EXPOSITIO
EPISTOLÆ
D. PAVLI
AD
COLOSSENSES,

PER

Reverendum in Christo Patrem

IOANNEM

SARISBVRIENSEM EPISCOPVM

jam primùm edita:

Olim ab eodem, Dominæ MARGARETÆ

in Academia CANTABRIGIENSI

Professore Theologico,

dictata.

R B

E Warwood

Jesus Navan. —

AMBROS. Serm. 68.

¶ *Quæ PAVLI Epistola non melle dulcior, lacte candidior?*

CANTABRIGIÆ,

Apud THOMAM & IOANNEM BVCKE,

celeberrimæ Academiæ Typographos.

Anno MDCXXVII.

S. J. H.

1627
fD246

ALMÆ MATRI
ACADEMIÆ
CANTABRI-
GIENSI,
VIRTUTE, PIETATE,
SANÆQVE DOCTRINÆ
PROFESSIONE SEMPER
CELEBERRIMAE,

HASCE THEOLOGICÆ SVÆ
Professionis primitias, in ea olim natas,
jam denuo renatas, Amoris &
Honoris ergô,

IOANNES DAVENANTIVS
Devotissimus Alumnus
libens meritóque
Dat, Dicat, Consecrat.



Irving Levy 2-23-'33 *4.57 (RB)

CHRISTIANO *Lectori.*

ACcipe benevolo animo Commentarios hoſce in Epiſtolam PAVLI ad *Coloſſenſes*, quibus Theologicæ noſtræ profeſſionis tyrocinium, in celeberrima Academia CANTABRIGIENSI olim exercuimus. Ægrè à me impetravi, ut in tanta copia doctiſſimorum Interpretum, paterer tenuem hunc meum laborem exire in publicum: vicit me tamen ad extremum amicorum importunitas; quibus viſum eſt ex hoc opere noſtro ad Eccleſiam Chriſti (cui me meáque omnia inſervire oportet) aliquid emolumenti poſſe redundare. Vtere nunc (ſi lubet) hac operâ noſtrâ, Lector benevole; ſed eâ lege, ne aut in verbis quicquam expoliti ab eo expectes, qui Apoſtolum explicat, omnia verborum lenocinia ex profeſſo abdicantem; aut in ipſa expoſitione aliquid eximii ab eo efflagites, qui ſe unum è multis agnoſcit, & in conferta turba Expoſitorum latere potiùs ſperat, quàm eminere. Si ad clariorem Apoſtolicæ mentis intelligentiam aliquid lucis attulerim, ſi tyrones in Theologia hac meâ lucubratione nonnihil adjuverim, inſtituto meo ſatisfactum eſt; expectationi etiam (uti opinor) tuæ. Quiſquis ex hoc ſcripto noſtro fructum aliquem perceperit, Deo gloriam omnem refundat; à quo *ſufficientiam* noſtram ad hoc opus perficiendum (quanta aut quantilla fuerit) accepimus precariam & gratuitam. Huic Deo Optimo Maximo, omnium bonorum datori, me precibus tuis commendatum habe, & vale in Domino.

PRO

PRO more quædam præmittenda ſunt quæ faciliorem aditum ad ipſius contextus explicationem aperient: illa autem ad quatuor Capita revocabimus. Primò, de ipſis Coloſſenſibus, ad quos hæc Epiſtola ſcripta eſt, aliquid dicemus: dein, de occaſione ſeu cauſa ſcribendi: pòſt, de præcipuo ſcopo totius Scripti: ad extremum, de diſtributione ejuſdem in ſuas partes. Vt hæc eodem ordine quo propoſita ſunt exequamur;

Nonnulli Coloſſas apud Rhodios quærunt, eo argumento ducti, quòd ingentem Solis coloſſum in ea Inſula fuiſſe conſtat; à quo volunt Coloſſenſes nomen ſuum traxiſſe. Sed multò veriſimilior eſt ſententia Hieronymi & Chryſoſtomi, qui hanc civitatem in Phrygia ſitam fuiſſe ſcribunt, non longè ab Hierapoli & Laodicea. Hoc videtur ipſe Paulus innuere, cùm Capite quarto jubet hanc Epiſtolam in Laodicenſium Eccleſia recitari; unde conjecturam facere licet, haſce duas Eccleſias fuiſſe vicinas; Laodicenſes autem nemo apud Rhodios locavit. Quinetiam Xenophon huic rei atteſtatur, qui (in 1. de Expeditione Cyri) ſcribit, illum, poſtquam Phrygiam ingreſſus eſt, rectà tendiſſe εἰς Κολοσσὰς πόλιν οἰκουμένην, εὐδαίμονα, καὶ μεγάλην. Ad hæc, refert Euſebius in Chronico, tres urbes Aſiaticas, Laodiceam, Hierapolin, & Coloſſas, eodem terræmotu concidiſſe. His adde Plinium, qui in 5 Naturalis hiſtoriæ cap. 32. non in Inſulam aliquam Coloſſas relegavit, ſed inter oppida Continentis numeravit. Sed in hæc, quæ alterius fori ſunt, non debemus anxiè inquirere; petantur à Coſmographis. Quicunque fuerint Coloſſenſes, hoc ſit nobis perſuaſiſſimum, non minùs ad nos, quàm ad illos, fructum hujus Epiſtolæ redundare oportere.

Iam quod attinet ad occaſionem hujus Scripti, ſciendum eſt, ab Epaphra aliiſque fidelibus Verbi Miniſtris Eccleſiam Coloſſenſem fuiſſe præclarè fundatam, & in myſterio Evangelii rectè inſtitutam. At ſtatim ſuborti ſunt Satanæ Miniſtri, quibus E-

vangelium

vangelium obſcurare, & turbare Eccleſiam, magna merces videbatur. Horum alii, quaſi Evangelii ſimplicitas indigna eſſet homine ſapiente, obtrudunt Coloſſenſibus Philoſophicas argutias; alii, quaſi Chriſtus non ſufficeret ad ſalutem, reducunt abrogatas Legis cæremonias. Sic dum Theologiam cum Philoſophia, Chriſtum cum Moſe confundere conantur, Eccleſiam illam in ſummum diſcrimen conjecerunt. Non tulit æquo animo boſce turbatores pius Chriſti Miniſter; tranſcurrit itaque Romam ad Paulum incarceratum; exponit ſummam doctrinæ Evangelicæ, quam ipſe prædicaverat; novatorum errores & impoſturas indicat. Illico Apoſtolus, divino Spiritu illum excitante & dirigente, Epaphræ doctrinam ſuâ authoritate confirmat, atque hortatur Coloſſenſes ut, ſpretis omnium Hæreticorum argutiis & ineptiis, in eadem conſtanter perſeverent. Hæc fuit ſcribendi occaſio.

Scopus itaque totius Epiſtolæ hic eſt, In ſolo Chriſto repoſitam eſſe omnem ſalutis humanæ ſpem; proinde acquieſcendum eſſe in fide Chriſti; & vivendum juxta præſcriptum Evangelii, rejectis cæremoniis Moſaicis, & ſpeculationibus Philoſophicis.

De partibus hujus Epiſtolæ intempeſtivum eſſet multa dicere: cùm ad ſingulas ventum fuerit commodiùs explicentur; nunc eas quaſi per tranſennam prætereuntibus ſtrictim oſtendam. Si igitur Titulum ſive Inſcriptionem ſeponamus, quinq; partes complectitur. Exordium gratulatorium, in quo laudat fidem & alias Coloſſenſium virtutes, atque progreſſum in fide & ſanctitate illis exoptat. Huic ſtatim ſubjungit vivam deſcriptionem Chriſti, & beneficiorum ejus; docens hunc eſſe verum Dei Filium, unicum Caput & Servatorem Eccleſiæ ſuæ. Hac doctrinâ fixâ & ſtabilitâ, tertio in loco aggreditur confutationem ſeductorum, qui Philoſophicas ineptias, & cæremonias antiquatas Coloſſenſibus obtrudebant. Quarta pars inſtitutionem morum continet; vitia extirpat, virtutes inſerit, format denique vitam Chriſtianorum, tum quoad communia omnium officia, tum quoad œconomica. Epilogus privata quædam negotia & ſalutationes hinc indè miſſas complectitur.

EXPOSITIO

EXPOSITIO EPISTOLÆ PAVLI AD COLOSSENSES.

CAP. I.

1 *PAVLVS Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater:*

2 *Iis, qui sunt Colossis, sanctis ac fidelibus fratribus in Christo Iesu; Gratia sit vobis & Pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, &c.*

CAPITIS Hujus primi quatuor partes. Prima absolvitur hisce duobus quos legi versiculis; atque continet Inscriptionem, seu Titulum præfixum ipsi Epistolæ. Secunda habet Proœmium, ad benevolentiam conciliandam accommodatum, à 3°, ad 12m. Tertia pars complectitur Expositionem doctrinæ de Christo & ejus beneficiis, ad 23m. Ultima hortatur ad progressum & constantiam in eadem doctrinâ, ad finem usque. 1 2 3 4

In Titulo tria observanda; Τροσχεσις vel Subscriptio, ἐπιγραφὴ vel Inscriptio, ἀσπασμὸς sive Salutatio. Nomina Subscriptionis & Inscriptionis à nostra consuetudine ducta sunt. Subscribi enim soletipsis literis nomen mittentis, tergo literarum inscribi nomen illius ad quem mittuntur. De his ordine.

Subscriptio tria continet: Nomina eorum qui mittunt hanc

Epiſtolam, *Paulus, Timotheus.* Elogia diverſa; Hic *Apoſtolus Chriſti*, Ille *Frater.* Authorem officii Apoſtolici, *Chriſti per voluntatem Dei.* Iam filum contextus proſequemur.

PAVLVS] De nomine paucis agam, quia nihil afferri poteſt, vel quod ſit valdè neceſſarium, vel quod non ſit valdè tritum & decantatum. Conſtat fuiſſe vocatum *Saulum*: Alii itaq; dicunt illum, ex quo Chriſtianam religionem amplexus eſt, nomen ſuum immutâſſe, ut mentis mutationem hoc facto declararet: ex ſuperbo enim & inflato Phariſæo, factus eſt parvulus & humilis Chriſti Diſcipulus. Hoc placuit Auguſtino in Enarratione Pſalm. 72. ubi ſic ſcribit, *Primò fuit Saulus, poſteà Paulus; primò ſuperbus, poſteà humilis; non quaſi aliquâ jactantiâ ſibi nomen mutavit, ſed quia ex ſuperbo factus eſt modicus: Paulum enim modicum eſt.* Alii putant hoc nomen ſibi aſſumpſiſſe Apoſtolum, poſtquàm Chriſto ſubjugaverat *Sergium Paulum* Proconſulem, quaſi trophæum tantæ victoriæ. Sed ipſe Lucas adverſatur, qui *Paulum* vocat ante converſionem Proconſulis, Act. 13. verſ. 9. Tertia opinio eſt Origenis, qui ſcribit fuiſſe hunc noſtrum Apoſtolum ab initio duobus nominibus inſignitum: *Sauli* nomen erat gentilitium, impoſitum illi à Parentibus, ut religionem & genus indicaret; *Pauli* additum eſt, ut civem Romanum oſtenderet. Vtitur hoc nomine in Epiſtolis, quia erat apud Gentes celebrius & gratioſius. Vſitatum autem fuiſſe Iudæis binis nominibus gaudere, ibidem oſtendit ille Pater. *Pauli* προσωπογραφίαν ſi quis ſcire velit, conſulat Niceph. lib. 2. cap. 37. Vitam & mores petat ex Actor. 8. & 9. & 22. 26. Ex 1. ad Galat. & 1. ad Timoth. cap. 1. Laudes, ab Euſebio, qui illum appellat *Apoſtolorum eruditiſſimum, in verbis & ſenſibus præpotentem.* Ab Hieronymo, qui illum vocat, *Tubam Evangelii, tonitrus Gentium, flumen eloquentiæ, &c.* ad Pamach. adverſ. errores Ioan. Hieruſolym. Sed hujus laudes pleniſſimè perſequitur Chryſoſtomus, in ſermonibus de *Pauli* laudibus.

Apoſtolus] Nomen hoc officii ſeu dignitatis eſt. Quemvis ab alio miſſum cum mandatis denotat, ſi originem vocabuli ſpectemus; ἀπὸ τοῦ ἀποστέλλειν enim deductum eſt: ſed ſi uſum attendamus, notat eximios quoſdam Chriſti Legatos. *In vocabulis autem non tam à Quo, quàm ad Quid ſpectandum eſt*, ut ait Thomas. *Apoſtoli* igitur nomen ex uſu ſacræ Scripturæ iis ſolis convenit, Primò, qui habuerunt ad prædicandum Evangelium immediatam vocationem à Deo. *Elegit duodecim quos Apoſtolos nominavit*, Luc. 6. 13. & Ioan. 20. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Secundò, qui habuerunt certam & infallibilem Evangelicæ doctrinæ cognitionem, per immediatam inſpirationem Spiritus Sancti. Hoc illis promiſit Chriſtus, Ioan. 16. 13. *Spiritus veritatis introducet vos in omnem veritatem.* Hoc præſtitit, Actor. 2. Tertiò, qui habuerunt

poteſtatem, non aſtrictam uni loco, aut certæ Eccleſiæ, ſed plenariam & univerſalem. *Docete omnes Gentes*, Mat.28. *Prædicate omni creaturæ*, Marc.16. Iam verò hæc omnia fuiſſe in Paulo conſtat. Immediata vocatio probatur ex Actor.9.15. verſ. *Dixit ad eum Dominus, proficiſcere, &c.* & ad Gal.1.1. Immediata inſpiratio de myſterio Evangelii, Gal.1.12. *Non edoctus ſum, &c.* Poteſtas univerſalis, Actor.9.15.ubi appellatur *Vas electum ad perferendum Nomen Dei in conſpectum Gentium, & filiorum Iſrael.* Et paſſim appellatur, non hujus vel illius Eccleſiæ Doctor, ſed Gentium. Rom.1.5. De Pauli Apoſtolatu conſtat. Iam quæramus cur hoc in loco, & alibi paſſim, meminit hujus ſui Officii. Id facit ut Pſeudoapoſtolis os obſtrueret, qui inſuſurrabant vulgi auribus non fuiſſe illum unum ex Apoſtolis; quia cum Chriſto in terris degente nullum habuit conſortium; quia non erat inter eos, cùm Spiritus Sanctus in ſpecie linguarum ignearum ſedit ſuper unumquemque eorum. At his non obſtantibus ſe Apoſtolum vocat & probat, quia erat à Chriſto immediatè vocatus, & inſtructus, licèt non eodem tempore.

Secundò, ſibi vendicat *Apoſtoli* titulum, ut ipſis fidelibus notam faceret doctrinæ ſuæ certitudinem. Eſt enim valdè neceſſarium ut ſciatur unde manaverit illa doctrina, quæ Eccleſiis commendatur. Si ex ſenſu humano, non poteſt eſſe certa & infallibilis; at ſi à Legatis ipſius Dei, & viris inſpiratis Spiritu divino ad hoc opus prædicandi, tum poſſumus tutò illi fidem adjungere. *Omnis creata veritas defectibilis eſt, niſi quatenus per increatam rectificetur*, Aquin.quæſt.diſ. de fide art.8.

Vltimò, Nomen officij ſui apponit Paulus, ut ſeipſum excitet & exuſcitet ad implendum opus Apoſtoli. Vocando enim ſe *Apoſtolum*, agnoſcit ſibi concreditum eſſe munus Evangelizandi; & væ ſibi, ſi id non præſtiterit.

Ieſu Chriſti] Ornat *Apoſtolatum ſuum* ab Authore.

Per voluntatem Dei] Id eſt, non humanâ ſolummodò Chriſti poteſtate, ſed Dei dono, ordinatione, approbatione. Quod hîc de Deo dicitur, non ſoli Patri, ſed Filio, & Spiritui Sancto eſt tribuendum: nam horum etiam voluntate & authoritate conſtituuntur Apoſtoli. *Chriſtus dedit Apoſtolos*, Epheſ.4.11. *Dixit Spiritus ſegregate mihi Paulum*, Act.13.2. Neque poteſt ſeparata eorum eſſe voluntas, quorum una eſt eſſentia: Paulus igitur vocatus eſt & electus in Apoſtolum, ſic volente, jubente, & ordinante ſacroſanctâ Trinitate. Hoc attulit Apoſtolus, ut Coloſſenſes, quibus erat ignotus de facie, intelligerent illum non temerè hæc ſcribere, aut immiſcere ſe negotiis illius Eccleſiæ; ſed hoc facere pro munere & poteſtate Apoſtolicâ, quibus omnium Eccleſiarum cura incumbebat. Poterat itaq; quamvis abſens, fideles erudire, ſeductores corripere, Eccleſiæ illius ſtatum labantem ſuſtentare. Hæc enim omnia, *per voluntatem Dei*, illi erant mandata & impoſita. Hactenus de Paulo.

Et Timotheus frater] De Timotheo præclara extant teſtimonia in Scripturis. Natus eſt ex piis majoribus, ut conſtat Actor. 16. & 2. Timoth. 1. 5. Ipſe etiam pius & fidelis, teſtante paſſim hoc noſtro Apoſtolo. Hunc *ſuum adjutorem* appellat, Rom. 16. 21. *Filium chariſſimum & fidelem in Domino*, 1. Cor. 4. 17. *Scripturarum ſtudioſiſſimum*, 2. Tim. 3. 15. & multis aliis ornat elogiis. Hoc autem in loco *Fratrem* appellat; vel propter conſenſum in Religione, & verâ doctrinâ cum Paulo; vel eo communi reſpectu, quo omnes Chriſtiani ſe invicem fratres appellant, quòd præſumantur filii per adoptionem ejuſdem Patris cœleſtis.

Dub. Paulus fuit organum Spiritus in tradendâ doctrinâ hujus Epiſtolæ; Cur Timotheum ſibi aſſociat? Tres cauſæ afferuntur cur in titulo hujus Epiſtolæ Timothei nomen ſubconjunctum voluit. Primò, ut oſtenderet ſe illis aliam doctrinam non prædicare, ſed eam ipſam quam Timotheus approbat, qui apud illos celebris erat. Quamvis enim doctrina Pauli non eget aliquâ externâ approbatione; tamen multùm valet ad perſuaſionem conſenſus & concordia Miniſtrorum in eâdem doctrinâ. Secundò, ut commendatiorem redderet Timotheum illi Eccleſiæ, dum ut æqualem ſibi conjungit in hac ſubſcriptione. Poſtremò, quia fortaſſe Timotheus erat illius Amanuenſis in hac Epiſtolâ deſcribendâ. Hactenus Παρεγγαζλὼ explicavimus. Iam *Doctrinas* eliciamus.

Paulus ſe *Apoſtolum Chriſti*, idque *per voluntatem Dei* nominat. Quid hinc colligimus?

1. *Doctr.* Quòd hiſce ſcriptis Paulinis æquè fides adhibenda eſt, ac ſi ipſe Chriſtus, vel Deus de cœlo loqueretur. Apoſtolus enim eſt Legatus Dei, Amanuenſis Spiritus Sancti. Apud fideles itaque valent ſuâ authoritate, nec egent externo aliquo, & humano teſtimonio, magis quàm ipſe Chriſtus eguerit. Si quis quærat, Vnde ſcis haſce Scripturas profectas eſſe à viris divino lumine inſpiratis, non ab impoſtoribus? Reſpondeo, Hoc principium eſt ad reliqua omnia; quod credere te oportet ut intelligas: fides autem hæc eſt donum Dei. Sic Auguſt. confeſſ. lib. 6. cap. 5. *Perſuaſiſti mihi, ô Deus, non qui crederent libris tuis, ſed qui non crederent eſſe culpandos. Nec audiendos eſſe, ſi qui fortè dicerent, Vnde ſcis illos libros unius veri Dei Spiritu eſſe humano generi miniſtratos?*

2. *Doctr.* Quòd utile & neceſſarium ſit omnibus Evangelii Miniſtris ſubinde in mentem revocare, quod officium, quam ſtationem tenent in Eccleſiâ, ut ſuæ vocationis perpetuò memores, conentur pro virili officio ſatisfacere. Qui enim ſemper ſibi inculcat, Epiſcopus ſum, Presbyter ſum, is ſimul intelligat neceſſe eſt, non eſſe indulgendum otio, aut genio, ſed gregi ſuo proſpiciendum. Turpe eſt ſi de verbi Miniſtris dicatur, quod de Licinio ſcribit Tacitus, *Tanta torpedo invaſerat animum, ut ſi Principem eum fuiſſe cæteri non meminiſſent, ipſe obliviſceretur*, Hiſt. 2. pag. 542.

Quòd

Quòd oportet in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutos non modò adminiſtrare officium ſuum, ſed & officii ſui authoritatem atq; exiſtimationẽ tueri contra contemptores præfractos, & Schiſmaticos. Sic enim Paulus non arrogantiæ causâ, ſed ne in detrimentum Eccleſiæ vileſceret illius authoritas, Apoſtolicam dignitatem ſibi vendicat. Contemptus enim ipſius religionis ſemper ſequitur contemptum eorum qui præſunt Eccleſiæ, & præſident Religioni. Vnde Paulus Timotheum monuit ut ſe ſic gereret, *Vt nemo illius adoleſcentiam contemneret*. Facile eſſet ex hiſce doctrinis multa inferre quæ ad mores formandos ac corrigendos pertinent, ſed induſtriæ & prudentiæ veſtræ relinquantur. Duo tantùm adjiciam, quæ ad ſolatium piorum plurimùm conducunt, ex eo, quòd ſe *Apoſtolum* conſtitutum dicit *per voluntatem Dei*. 3. *Doctr.* 1. Tim. 4. 12

Hinc oritur, quòd Deus non poteſt non efficax eſſe, cùm ea media adhibentur ad hominum ſalutem, quæ ipſe in eum finem ordinavit. Quamvis itaq; prædicatio Evangelii per homines infirmos, abjectos, peccatis contaminatos, videri poſſit medium ineptum ad procurationem ſalutis humanæ; tamen Deo ita ordinante & volente erit potentiſſimum: *Nam ſtultitia Dei ſapientior eſt quàm homines, & infirmitas Dei validior quàm homines*, 1. Cor. 1. 25. Non opus erit itaq;, ut expectemus vel Angelum è cœlis, vel extraordinarias viſiones & revelationes divinas; auſcultemus Apoſtolicæ doctrinæ, & erit *potentia Dei ad ſalutem omni credenti*. 1. *Solat.*

Indè manat, quòd hæc Apoſtolorum ordinatio [*per Dei voluntatem*] patefacit nobis mirum Dei amorem in genus humanum, ineffabile deſiderium ſalutis noſtræ. Nam quid aliud eſt Apoſtolos mittere in mundum, quàm Legatos mittere, qui orent & ambiant homines ut reconcilientur Deo, ut ſalutem oblatam amplectantur. Hinc Paulus hoc opus Apoſtolicum vocat διακονίαν τῆς καταλλαγῆς; & ait, *Legatione fungimur in nomine Chriſti, velut Deo vos precante per nos: oramus reconciliamini Deo*, 2. Cor. 5. 20. En Dei bonitatem, & φιλανθρωπίαν, eámq; ſpontaneam, non *provocaticiam*, ut Tertullianus loquitur. 2. *Solat.*

Iam ultimo in loco non abs re erit de Apoſtolicâ dignitate, quam Papa ſibi vendicat, inquirere. Nam paſſim ſedem Apoſtolicam, benedictiones Apoſtolicas, anathemata Apoſtolica jactitat; nihil denique non crepat Apoſtolicum. Ex illis itaque quæ anteà explicata ſunt de Apoſtoli naturâ, quæſtio hæc naſcitur,

AN PAPA ROMANVS HABEAT DIGNITATEM, ET AVTHORITATEM APOSTOLICAM, NECNE?

BELLARMINVS de Pontifice Romano, lib. 1. cap. 9. aſſerit, Apoſtolicam authoritatem in ſolo Petri ſucceſſore permanſiſſe; quia Petro data eſt ſumma & univerſalis poteſtas, tanquam Ordinario Paſtori, cui ſuccederetur: aliis verò Apoſtolis tanquam Delegatis, quibus non ſuccederetur. Solus itaq; Papa Romanus eſt Apoſto-

licus Pontifex, & ſedes ejus Apoſtolica ſimpliciter, & munus ejus *Apoſtolatus*, Pag. 476.

Sed contrà; Apoſtoli natura flagitat, ut quis immediatè à Deo vocetur ad illud munus, ut etiam immediatè inſtruatur in veritate Evangelicâ per infallibilem inſpirationem Spiritus Sancti; at ne ipſi quidē Pontificii audent hæc Papæ ſuo arrogare. Non à Deo immediatè vocatur, ſed à Cardinalibus eligitur, idq; ſæpiſſime ambitu & peſſimâ fraude intervenientibus. Scientiam Sacrarum Literarum acquiſitam ſtudio & induſtriâ habet, ſi quam habet, non infuſam ut Apoſtolus. Vocent itaque illum Apoſtolum licet, nos tamen concludemus cum Tertulliano, *Cui natura nomini ſubjecta negatur, nomine illuditur*, Tertul. adverſ. Marcionem lib. 1.

Secundò, Apoſtolus tenetur ad prædicationem Evangelii, *Væ mihi ſi non Evangelizavero*, idq; non in unâ aliquâ certâ Eccleſiâ, ſed paſſim; at Pontifices Romani non putant ſe obligatos ad munus prædicandi per totum orbem, neq; illud omninò exercent; ergò aut mentiuntur cùm ſe Apoſtolos vocant; aut improbè faciunt, qui non id agunt, quod eſt Apoſtolicæ functionis proprium.

At fortaſſe dicetur, Suâ authoritate emittunt prædicatores, & novas Eccleſias colligunt apud Indias, & in remotiſſimis orbis partibus; & hoc eſt propriè authoritatis Apoſtolicæ.

Reſpondeo, Nihil minus Apoſtolicum eſt, quàm ocioſè domi deſidere, & alios extrudere ad laborandum: habebant Apoſtoli inferiores Miniſtros ſibi ſubditos quorum operâ utebantur, ſed ipſi interim non omittebant prædicationem Evangelii; cùm itaque Apoſtolica operatio non competit Papæ, neque natura Apoſtolica; διὰ ὧν γὰρ ἐνεργεῖ ἕκαστον, τὴν οἰκείαν φύσιν πίστευε. His adde, quòd nec habet miraculorum edendorum poteſtatem, neque collationem Sancti Spiritus; at hæc conveniebant illis omnibus, qui à Chriſto Apoſtolicam authoritatem acceperunt. Hiſce claris rationibus cùm urgentur Pontificii, vacillare coguntur, & ſuo Papæ Apoſtolicam authoritatem dimidiatam & detruncatam tribuere. Sic Bellarminus, lib. 2. de *Romano Pontifice*, cap. 12. dicit in *Apoſtolatu* tria contineri. Primum, ut ſit immediatè a Deo vocatus & doctus; & hoc fatetur Apoſtolum ſuum Romanenſem non habere. Secundum, ut Eccleſias conſtituat in iis locis ubi nunquam fuerunt. Tertium, ut habeat ſummam poteſtatem in omnes Eccleſias, & ſit ordinarius Paſtor totius Eccleſiæ: atque dicit hæc duo Apoſtolatus inſignia competere *Romano Pontifici*. Sed Cajetanus, in Tract. tertio de Rom. Pont. inſtitutione, fatetur, *Si formaliter & exactè loquendum ſit, Petrum nullum habuiſſe ſucceſſorem in Apoſtolatu, magis quàm reliquos Apoſtolos: ſed præter ſuum Apoſtolatum fuiſſe ordinarium Paſtorem totius mundi, & in hoc officio regendi Eccleſiam Catholicam Papam illi ſuccedere, atque eatenus ſedem illius vocari Apoſtolicam.*

Sed

Sed neque hoc concedendum eſt Pontificiis. Primò, quia Deus non præficit Eccleſiæ Catholicæ aliquem Vniverſalem Epiſcopum authoritate Apoſtolicâ munitum, qui poſſit errare, & ſubditos ſibi in errores trahere. Hoc argumento Gregorius Ioannis Conſtantinopolitani ſuperbiam retudit: *Vniverſalis* (inquit) *Eccleſia corruit, quando is qui appellatur Vniverſalis cadit.* Epiſt.lib.4. cap. 76. At conſtat inter ipſos Pontificios Papam poſſe fieri Hæreticum, & eſſe in hoc caſu deponendum. Diſt.40. Can. *Si Papa.*

Secundò, non eſt Paſtor Vniverſalis Eccleſiæ, qui virtute ordinationis ſuæ certæ Sedi alligatur; ſed Romanus Pontifex, ut quivis alius, alligatur Sedi & Eccleſiæ ſuæ Romanæ; vel ſi habeat aliquam prærogativam latiorem, jure humano illam habet, non divino. Non eſt autem hominum, ſed Dei ſolius tribuere authoritatem Apoſtolicam. Sic Cyprianus: *Nemo noſtrum ſe Epiſcopum Epiſcoporum conſtituit. Quilibet habet poteſtatis ſuæ liberum arbitrium:* deinde ſubjungit, *Non eſſe minorem authoritatem in Africa conſtitutorum, quàm Romanorum Epiſcoporum.* Si Cyprianum non audient, at Synodum Nicænam non rejicient, quæ iſtum Oecumenicum Epiſcopum intra ſuos limites coërcuit. Canon.6.

Vltimò, Vniverſalis & Apoſtolicus Epiſcopus poteſt ubique pro ſuo jure Epiſcopos & Paſtores ordinare; at ſi Papa extra ſuam Provinciam Epiſcopum ordinaret, non eſſet illa legitima ordinatio; ſic enim habetur in Synodo ſupradictâ. Illud eſt omninò manifeſtum, quòd ſi quis abſq; Metropolitani ſententiâ factus ſit Epiſcopus, eum Synodus definivit non eſſe Epiſcopum. Ridiculè huic argumento occurrit Cajetanus, dicendo, *Aliud eſſe loqui de authoritate, & aliud de executione.* Papam habere authoritatem ordinandi, in Provinciis aliorum Epiſcoporum; ſed morem obtinuiſſe ut non exequeretur hanc authoritatem. Si jure hanc authoritatem haberet, non poſſet conſuetudine ità aboleri ut non eſſet Epiſcopus legitimè ordinatus, quem ille ordinaret abſque conſenſu Metropolitani. Nam *conſuetudo non præſcribit, ubi per jus expreſſum reprobatur:* Hoſtienſis. Non negamus prærogativas conceſſas fuiſſe Romanæ Eccleſiæ, & Epiſcopo Romano apud antiquos; ſed non eo reſpectu, quòd jure divino eſſet ordinarius Paſtor totius Eccleſiæ Apoſtolica authoritate munitus; ſed ob gravitatem, conſtantiam, & eximiam doctrinam eorum, qui primis temporibus illi Eccleſiæ prætuerunt: ob Vrbis Romanæ dignitatem, quæ erat caput Imperii. Denique ex aliarum Eccleſiarum *favorabili conceſſione*, ut loquitur Gerſon. Iam pauca Adverſariorum argumenta ventilemus.

Bellarm. lib. 2. de Romano Pont. cap.12.

Petrus habuit ſibi commiſſum regimen totius Eccleſiæ; at in hac *Argum.* 1.

hac, Monarcha debet aliquis ſuccedere jure divino; at hic ſucceſſor non poteſt eſſe alius quàm Papa.

Reſpon. Reſpondeo nihil ſolidi eſſe in hac argumentatione. Primò, quod attinet ad Petrum, cui dicunt commiſſum eſſe regimen totius Eccleſiæ, cùm illi ſoli dictum fuit, *Paſce oves meas*, Ioan. 21: fateor Petro, ut Apoſtolo, fuiſſe datam poteſtatem ubivis paſcendi gregem Chriſti; ſed hoc illi commune fuit cum reliquis Apoſtolis, quibus etiam dictum eſt, *Ite, docete omnes Gentes*, Matth. 28. Secundò, negamus in hac Apoſtolicâ poteſtate vel Petro, vel ulli Apoſtolorum dari ſucceſſores. Apoſtolis enim non novi Apoſtoli, ſed Epiſcopi ſucceſſerunt. Tertiò, ſi concedamus Petro ſucceſſorem in Apoſtolicâ poteſtate, is non erit Pontifex Romanus jure divino; quia nullum jus divinum appropriavit Petro ſedem Romanam. Vnde ipſe Cuſanus fateri non dubitat; *Quòd ſi Trevirenſis Epiſcopus eligeretur pro Capite Eccleſiæ, ille magis propriè eſſet ſucceſſor Petri, quam Romanus Epiſcopus.*

Argum. 2. Eccleſia eſt unum corpus, & habet unum Caput in terris præter Chriſtum; aliud autem Caput in terris præter Papam à nemine aſſignatur; ergò Ille eſt Caput & Monarcha totius Eccleſiæ. Habere autem Caput in terris probat ex illis verbis, 1. Cor. 12. 21. *Non poteſt Caput dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarii:* at Chriſtus poteſt hoc dicere, ergò eſt Caput in terris aliud a Chriſto.

Reſpon. Quamvis Eccleſia ſit unum corpus, & militet hîc in terris, nulla tamen neceſſitas cogit, ut fateamur Caput aliquod terrenum totius Eccleſiæ, quia Chriſtus qui aſcendit in cœlos, eſt etiam in terris per Spiritum, & vivificat & regit totam Eccleſiam: particulares autem Eccleſias inſtituit ac gubernat per particulares Præſules & Miniſtros. Quod autem objicit ex Apoſtolo, futile eſt & puerile. Non enim per *Caput* & *pedes* intelligit Papam & Eccleſiam, ſed per *Caput* quemvis hominem in Eccleſia excellentibus donis ornatum; per *pedes* quemvis humilem & abjectum. Hoc facilè conſtabit, ſi loci ſcopum perpendamus: non enim monet Petrum ne Eccleſiæ inſultet; ſed monet eos qui eminebant donis ſpiritualibus inter Corinthios, ne inferiores contemnerent, ut exponit Chryſoſtomus, Ambroſius, Aquinas.

Argum. 3. Non optimè gubernaretur Eccleſia, niſi ab uno ſpirituali Monarcha gubernaretur; at Chriſtus reliquit Eccleſiam optimo modo inſtitutam & gubernatam; ergò ab uno.

Reſpon. Solus Chriſtus eſt ſpiritualis Monarcha totius Eccleſiæ; Monarcham autem terrenum inſtituere, à cujus arbitrio tota Eccleſia penderet, eſſet peſſima ratio gubernandi Eccleſiam; quia nemo mortalium poteſt vel mediocriter fungi illo officio. Quomodo enim Indorum aut Æthiopum Eccleſias curabit Papa ſedens in Vaticano? Sed iſte Monarcha, non curam Eccleſiarum, ſed imperium affectat.

Eccleſia ſemper creſcit, & creſcere debet, donec in toto mundo prædicatum ſit Evangelium; non autem poteſt hoc fieri, niſi ſit unus ſummus Præſul, cui incumbat Apoſtolica cura, & ſolicitudo totius Eccleſiæ conſervandæ & propagandæ: nam nemo debet prædicare niſi mittatur. Nullus Epiſcopus particularis poteſt mittere extra ſuam Provinciam. *Ultim.*

Mittere prædicatores ad Gentes infideles non eſt jam opus Apoſtolicæ poteſtatis, ſed Chriſtianæ charitatis. Quivis itaq; Epiſcopus vicinus Genti alicui infideli, poteſt ex officio charitatis, vel per ſe, vel per alios illis Evangelium prædicare; quod ſi fidem Chriſtianam amplexi fuerint, quid impedit quò minus Epiſcopos & Miniſtros, ab alio quovis Epiſcopo legitimè ordinatos, poſſit illis petentibus præficere. Non eſt itaq; opus novo aliquo Apoſtolo ad propagandam Eccleſiam. *Reſpon.*

Concludimus itaq;, cùm Papa Romanus nec ſit immediate vocatus à Chriſto, nec imbutus ſcientiâ Evangelicâ immediato & extraordinario afflatu Spiritus Sancti, nec præditus univerſali poteſtate in totam Eccleſiam, illum nullâ ratione dici poſſe Apoſtolum, aut Epiſcopum Apoſtolicum.

VERSVS II.

Iis, qui ſunt Coloſſis, Sanctis & fidelibus fratribus in Chriſto Ieſu, &c.

HIſce verbis continetur ſecunda pars tituli, quam appellamus ἐπιγραφὴν, in quâ explicat & locum ubi habitant, & titulos eorum ad quos mittitur Epiſtola; dicitur autem Subſcriptio, vel Inſcriptio à noſtro more, qui ſolemus hiſce circumſtantias tergo literarum noſtrarum inſcribere, ut anteà monuimus.

Perſonæ igitur ſalutatæ trifariàm deſcribuntur: à loco in quo habitant; à tribus eximiis attributis, *ſanctitate, fide, fraternitate*; ab authore horum omnium, ſcilicet *Chriſto Ieſu*: ſunt enim in Chriſto ſancti, in Chriſto fideles, in Chriſto etiam fratres. De Coloſſis dictum eſt anteà in Præfatione, neque opus eſt ut plura adjungamus; hoc tantùm obiter notabimus, Quòd quamvis Eccleſia Catholica nunquam poteſt funditùs interire, tamen quævis Eccleſia particularis poteſt à verâ religione excidere. Hoc accidit hiſce Coloſſenſibus, hoc omnibus Eccleſiis quas ſuis Epiſtolis Paulus honoravit; eas enim aut Mahumetica perfidia delevit, aut ſuperſtitio fœda inquinavit.

Inanis eſt igitur omnis jactantia de Locali ſucceſſione, niſi doctrinæ veræ ſucceſſio ſimul comprobetur. *Non ſunt Sanctorum fi-*

lii qui tenent loca Sanctorum, ſed qui exercent opera eorum, inquit Hieronymus. In eodem ſubjecto ſuccedit morbus ſanitati, tenebræ lumini; ſic in eodem loco ſuccedere poteſt ſuperſtitio religioni, perfidia fidei. Sed de Loco ſatis.

Sanctis] Id eſt, lavacro Baptiſmi ſanctificatis; unde Apoſtolus 1. Cor. 6. 11. *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis.* Cùm autem Apoſtolus omnes Baptizatos Sanctos appellat, loquitur ſecundum regulam charitatis, quæ præſcribit, de quolibet eſſe præſumendum bonum, niſi conſtet contrarium. Atque optimâ ratione Baptizati dicuntur Sancti: nam ſanctitas duo importat; Primò, Munditiem ab impuritate, unde Iſidorus ſcribit, *Sanctum dici quaſi ſanguine tinctum eò quòd antiquitùs qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ tingebantur*: Secundò, denotat ſpecialem Applicationem ad cultum divinum; unde non ſolùm homines, ſed templa & vaſa ſancta dicimus, quia ſeponuntur ad uſus ſacros in cultu Dei. Vtroque hoc reſpectu Chriſtianus Baptizatus rectè appellatur Sanctus.

Nam primò, mundatur à corruptione originali, & reatu omnium peccatorum in Baptiſmo, unde *Lavacrum regenerationis* dicitur Tit. 3. 5. & *Act.* 2. 38. *Baptizetur unuſquiſq; veſtrum in remiſſionem peccatorum.* Hinc illud Nazianzeni, *Aqua viſibiliter purgat corpus; Spiritus concomitanter, & inviſibiliter purgat animam.* Hinc etiam antiqua illa conſuetudo induendi Baptizatos ſtolis albis: quo ritu ſignificabant munditiem animorum, acquiſitam virtute Sacro ſancti Baptiſmi, ut hoc verſiculo expreſſit Lactantius,

Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat.

Neque hæc Munditia ſita eſt in ſola ablutione peccatorum, ſed in connexâ infuſione Gratiarum ſpiritualium; quâ de re eleganter ſcripſit Pariſienſis; *Quemadmodum* (inquit) *theſaurarius Regius ſigillum Regium oſtendenti, dat dona ab ipſo Rege promiſſa: ſic diſpenſator ſpiritualium chariſmatum Spiritus ſanctus, dat gratias ſpirituales illis quos ſigillum Baptiſmalis ſanctificationis portantes viderit.* Hoc Petrus promittit Baptizatis, Actor. 2. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomen Chriſti, & accipietis donum Spiritus ſancti.* Atque hæc prima ratio cur Baptizatos appellat *Sanctos.*

Secundò dicuntur *Sancti*, quia ſunt in Baptiſmo ſpeciali quadam ratione conſecrati ad cultum divinum. In Baptiſmo enim fœdus initur cum Deo. Is nos in tutelam recipit: nos illum pro Domino agnoſcimus, atque aliis dominis renuntiamus; Mundo ſcilicet, Carni, & Diabolo. Sumus itaq; quaſi vaſa quædam ſacra, ſeposita à profanis uſibus, ad ſacrum Dei cultum. Hoc reſpectu Nazianzenus appellat Baptiſmum, *Pactum vitæ purioris cum Deo.* Et Petrus, *Stipulationem bonæ conſcientiæ apud Deum.*

Ex conſideratione hujus attributi multa corollaria deduci poſſent; nos tria deducemus.

1 In eo quòd non unum aut alterum eximium virum, ſed

Coloſſen-

Coloſſenſes promiſcuè ***Sanctos*** appellat quotquot Chriſtum in Baptiſmo induerunt, hinc nos docemur, Et cogitandum, & loquendum eſſe benè de omnibus qui profitentur Religionem, niſi factis claris & manifeſtis ſeſe prodant impios & hypocritas. Semper enim Apoſtoli, cùm deſcenditur ad particulares homines vel Eccleſias, præſumunt omnem Chriſtianum electum eſſe, ſanctificatum eſſe, juſtificatum, & fore glorificatũ, donec ipſe ſeſe probaverit eſſe improbum vel Apoſtatam; ſic Paulus ſcribens ad Corinthios indiſcriminatim de illis affirmat, ***Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis, &c.*** Nam ut in illis quæ ſpectant ad fidem, loquendum & ſentiendum eſt juxta Scripturam, quæ eſt regula certa & infallibilis; ità in aliis quæ ſpectant ad charitatem, ſufficit ſentire & loqui ſecundum probabilitatem ſignorum: quæ regula poteſt fallere, ſed nullo aut vitio, aut periculo illius qui melius de altero ſentiebat, quàm is reverà merebatur; ſed iſtius potiùs hypocritæ, qui alius erat, atq; multò pejor quàm apparebat aut videbatur. 1. Corin. 6. 11.

In eo quod ***Sancti*** vocamur quotquot fuimus Baptizati, monemur officii noſtri, quod eſt ***Servire Deo in ſanctitate ac juſtitiâ omnibus diebus vitæ noſtræ:*** nam ſi vita Sanctorum nobis deerit, appellatiò Sanctorum nihil proderit. ***Communio nominum non præjudicat conditionibus rerum***, inquit Tertul. adverſ. Marc. Quamvis itaque hypocritæ cenſeantur eodem nomine cum veris Sanctis, tamen non iiſdem præmiis remunerabuntur ab illo qui corda ſcrutatur. 2

Vltimò, in eo quòd ***Sancti*** appellamur, quia in Baptiſmo conſecramur divino cultui, manifeſtò deducitur, omnem Chriſtianum, qui Diabolo, aut carni, aut mundo inſervit, eſſe ſacrilegum: vaſa enim Deo conſecrata, id eſt, carnem ac mentem ſuam, ad profanos, imò diabolicos uſus transfert. Rectè dixit Orator, ***Communi jure gentium ſancitum eſt, ut ne mortales, quod deorum immortalium cultui conſecratum eſt, uſucapere poſſint.*** At quantò indigniùs & tetriùs, ut ipſe Diabolus uſucapiat Chriſtianum, Deo Sanctum, & in Baptiſmo dedicatum. Hæc de primo attributo. 3

Fidelibus] Hoc eſt ſecundum attributum quo ornat Coloſſenſes. Aliqui volunt hoc nomen eſſe ἐπεξήγησιν prioris, quaſi dixiſſet Apoſtolus, Nos ex lege charitatis omnes Chriſtianos ſanctos judicamus, at illi ſoli coram Deo ſancti habentur, qui ſunt verè ***fideles.*** Nam Deus ***fide corda hominum purificat***, Act. 15. 9. Quamvis enim ſacramenta non ſunt tantùm repræſentativa ſigna, ſed etiam exhibitiva; gratiam tamen à Deo oblatam infidelitas reſpuit & repellit. Hinc illud celeberrimum Auguſtini dictum, ***Vnde tanta virtus aquæ, ut tangat corpus, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur?*** Et Tertullianus illos perſtringit, qui impios & incredulos putant participes fieri gratiæ in ſacramentis oblatis. ***Quidam*** (inquit) ***ſic opinantur, quaſi Deus ne-*** *Obſerv.*

ceſſe habeat præſtare etiam indignis quod ſpopondit, & liberalitatem ejus faciunt ſervitutem. Sed Deus theſauro ſuo providet, nec ſinit obrepere indignos.

Alii per *fideles* intelligunt, in fide receptâ perſeverantes. Nam veriſimile eſt, aliquos à doctrinâ Evangelicâ fuiſſe abductos per illos qui, loco Evangelii, Philoſophicas ſpeculationes, & Iudaicas cæremonias obtrudebant. Hoc itaque vocabulo & laudat eos qui conſtanter permanebant in verâ doctrinâ fidei; & eos obliquè perſtringit, & quaſi indignos ſalutatione ſuâ oſtendit, qui novos illos magiſtros ſequuti, à fide Evangelii, ad errores & ſuperſtitiones deflexerunt. Initiatum igitur eſſe Chriſtianæ profeſſioni per Baptiſmum, nihil prodeſt, niſi fideliter in eâdem permaneatur. *Fides non accepta ſed cuſtodita vivificat*, Cypr. Epiſt. lib. 1. Epiſt. 5.

Obſerv.

Fratribus] Coloſſenſes, atque adeo omnes verè Chriſtiani & fideles, *fratres* dicuntur, multas ob cauſas. Primò, propter profeſſionem unius Religionis, & cultum unius & ejuſdem Dei: nam Scriptura *fratres* appellat, qui profitentur eandem religionem. Sic, Deut. 17. 20. *Ne elevetur cor Regis ſuper fratres ſuos:* & Matt. 23. 8. *Nolite vocari Rabbi: unus eſt enim magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis.* Secundò, fideles & pii dicuntur *Fratres* propter fraternum affectum & amorem qui viget ſemper inter eos; hanc fraternam charitatem paſſim inculcant Apoſtoli: Rom. 12. 10. *Fraternâ charitate eſtote alii ad alios amandos propenſi.* Hunc fraternum amorem Tertullianus appellat *Chriſtiani nominis Theſaurum:* verus enim amor peculium eſt Chriſtianorum. Tertiò, *fratres* appellamur, propter unum & eundem Patrem, ſcilicet Deum. Omnes enim pii ſunt per regenerationem & adoptionem filii ipſius Dei, & proinde fratres inter ſe. *Dedit iis dignitatem, ut filii Dei fierent.* Ioan. 1. 12. Vltimò, fratres dicimur, quia omnes inſeri mur in idem corpus Chriſti myſticum, & vivificamur uno & eodem Spiritu. Quemadmodum igitur carnali modo fratres ſunt, qui ab iiſdem parentibus naturalem vitam & originem traxerunt; ſic ſpirituali modo fratres ſunt, qui ſpiritualem vitam & originem ab iiſdem principiis deducunt.

Obſerv.

Hinc docemur quanta debet eſſe Chriſtianorum concordia, quàm longè abeſſe debent ab odio & invidiâ, quantum nefas ſit gaudere alterius malo aut dedecore, & infinita hujus generis. Nam *inter fratres communis eſſe debet metus, gaudium, dolor. De alterius ruinâ attolli, & proſtrato ſuperſcendere haud oportet*, Tertullianus de pœnitent.

In Chriſto Ieſu] Ornavit Coloſſenſes præclaris titulis, ſanctitatis, fidelitatis, fraternitatis: jam oſtendit unde hæc tam præclara dona nacti ſint, ſcilicet *à Ieſu Chriſto*, illorum omnium authore.

Primò, quòd attinet ad ſanctitatem noſtram, rectè dicimur *Sancti in Chriſto*; quia non niſi per Chriſti ſpiritum, & virtute

ſanguinis

ſanguinis ejus mundamur à peccatis, & ſanctificamur in Sacramento Baptiſmi. *Aqua exhibet forinſecùs ſacramentum gratiæ, at Spiritus operatur intrinſecùs beneficium gratiæ*, Auguſt. Epiſt. 25. Et in Pſal.86. *Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum. Si dixeris te Sanctum eſſe ex te, ſuperbus es. Rurſus membrum Chriſti factus, ſi dixeris te non eſſe ſanctum, ingratus es. Dic Deo tu, ſanctus ſum, quia ſanctificâſti me.* Ad hæc, dicimur *ſancti in Chriſto*, quia non modò efficit ſanctitatem noſtram, ſed per gratuitam imputationem, communicat nobis ſuam juſtitiam & perfectam ſanctitatem. Phil.3.9.

Secundò, dicimur etiam *fideles in Chriſto Ieſu*; tum quia vera fides Chriſtum Ieſum reſpicit, eúmq; agnoſcit unicum Mediatorem, & Servatorem humani generis; tum, quia ut ſanctitatis noſtræ, ſic etiam fidei Chriſtus operator eſt per Spiritum ſuum.

Vltimò, quod attinet ad fraternitatem noſtram, ſumus etiam *fratres in Chriſto Ieſu*; ſive enim fratres appellemur, propter conſenſum in fide & Religione, Chriſtus eſt unicus Doctor fidei & Religionis Chriſtianæ; ſive propter affectum fraternum, Chriſtus diffudit hanc charitatem in cordibus noſtris; ſive propter communem noſtrorum omnium parentem Deum, per Chriſtum & in Chriſto adoptamur in filios Dei: ſive denique propter inſitionem in unum corpus myſticum, Chriſtus eſt Caput hujus corporis.

Hinc diſcimus nullam eſſe ſanctitatem, aut fidem, aut fraternitatem alicujus momenti ad ſalutem, niſi fundetur in Chriſto. Habent enim Iudæi, Mahumetani, Hæretici ſuam quandam ſanctitatem, ſuam fidem, ſuam etiam fraternitatem; ſed hæc omnia habent extra Chriſtum. Iudæus vult ſanctificari; ſed ritibus Moſaicis, non ſanguine Chriſti. Mahumetanus vult cenſeri fidelis; ſed non in Chriſto, ſed nequiſſimo Impoſtore Mahumete. Papiſta vult frater eſſe; ſed Franciſcanus, Dominicanus, & quidvis potiùs quàm Chriſtianus: quod nomen apud illos ſordet præ iſtis novis fraternitatibus. Atque hæc de ἐπιγραφῇ. *Doct.*

Gratia ſit vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.

Hiſce in verbis continetur tertia pars tituli, quam appellamus ἀπαρτισμὸν; in quo duo notanda: Bona quæ Apoſtolus optat Coloſſenſibus; ea ſunt *Gratia & Pax:* Authores horum bonorum, *Deus Pater, & Chriſtus.*

Gratia ſit] Inprimis hoc in genere obſervandum, Apoſtolos immutâſſe, vel potiùs amplificâſſe veterem ſalutationem Hebræorum. Illorum enim uſitata ſalutatio erat, *Pax tibi.* At poſt patefactum redemptionis humanæ myſterium, in quo fontem gratiæ Deus aperuit humano generi, *Gratiam* etiam adjungebant. Et hæc duo bona optimâ ratione conjunguntur. Nam *Gratia* eſt bonum initiale, *Pax* eſt bonum finale; qui igitur hæc duo bona alicui optat, omnia etiam media bona includit. Sed hęc ſeparatim conſideremus.

Gratiæ vocabulum tria denotat. Gratuitum actum divinæ voluntatis acceptantis hominem in Chriſto, & peccata miſericorditer condonantis; hęc eſt primaria hujus vocabuli ſignificatio, quam ubique urget Apoſtolus. *Gratiâ eſtis ſervati*, Eph. 2. 5. *Juſtificati gratis ipſius gratiâ*, Tit. 3. 7. Hic amor Dei gratuitus eſt primum donum, in quo omnia alia dona dantur. Hanc gratiam acceptationis Aquinas agnoſcit, in quæſt. diſp. de Gratiâ, art. 1.

Secundò, ſub hoc vocabulo *Gratiæ*, complectitur Apoſtolus omnia habitualia dona quæ Deus infundit ad animam ſanctificandam. Sic fides, charitas, atque omnes virtutes & dona ſalutaria dicuntur Gratiæ. Hunc ſenſum habent verba Apoſtoli ad Epheſios 4. 7. *Vnicuique data eſt Gratia juxta menſuram donationis Chriſti*. Hanc gratiam inhærentem penè ſolùm agnoſcunt Pontificii; & illam interim acceptantem, quæ eſt hujus fons & ſcaturigo, nimis negligunt.

Vltimò, *Gratia* denotat actuale auxilium Dei quo renati, poſt acceptam habitualem gratiam, corroborantur ad exercenda bona opera, & ad perſeverandum in fide & pietate. Nam homini per gratiam renovato & ſanctificato, neceſſarium eſt tamen quotidianum Dei adjutorium, ad ſingulos actus. Cùm itaque Apoſtolus *Gratiam* optat Coloſſenſibus, optat illis gratuitum Dei favorem, habitualia dona ſanctificationis, & perpetuum actuale auxilium Dei. Neceſſaria eſt horum omnium connexio. Gratia inhærens non datur, niſi præceſſerit Gratia acceptationis; neque data, valet ad producendos fructus, niſi etiam ſubſequatur, & per ſingulos actus comitetur actuale auxilium Dei.

Et Pax] Hoc vocabulo Hebræi utebantur, ut nos ſalutis ſeu lætitiæ; ſignificat autem proſperum rerum ſtatum, & ad voluntatem fluentem, nullis calamitatibus, vel publicis vel privatis notabilem. Sic Geneſ. 43. 27. *Eſtne Pax patri veſtro?* Tremelius *Proſperéne?* & Pſal. 122. 6. *Rogate quæ ſunt ad Pacem Ieruſalem*. Sed apud Apoſtolos latiùs patet, & ſpiritualem lætitiam atque proſperitatem præcipuè complectitur. Sub hoc itaque *Pacis* vocabulo, optat illis inprimis *Pacem* internam, ſeu Pacem Conſcientiæ, quæ oritur ex Gratiâ Dei nos acceptante propter Chriſtum; unde Chriſtus, Ioan. 14. *Pacem meam do vobis:* & ad Rom. 5. 1. *Juſtificati fide Pacem habemus*. Hæc eſt illa Pax quæ ſuperat omnem intellectum, & cor pii hominis, quaſi præſidio quodam militari, munit & cuſtodit, φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν. *Ad Phil. 4. 7.*

Secundò, (ut vult Hieronymus) optat illis *Pacem* fraternam; ſic enim ille in hunc locum, *Pacem rumpentes gratiam excludunt*. Eſt autem & hæc Pax magnum & optabile bonum, & paſſim celebratur ab Apoſtolis, atque ſingulare Dei donum agnoſcitur: unde dicitur *Deus Pacis non diſſenſionis*; & alibi, *Deus Pacis & dilectionis*. 2. Cor. 13. 13. Schiſmatis ſemina ſparſa erant, ergò opus pace. *1. Corin. 14. 33.*

Vltimò,

Vltimò, optat etiam & illam externam *Pacem*, ſcilicet bonum ſtatum Eccleſiæ Coloſſenſis, & omnium privatorum in eâ; ſed eatenus tamen, quatenus non adverſatur bono illorum ſpirituali: aliquando enim conducit magis ad ſalutem fidelium ut affligantur, quàm ut pace & tranquillitate externâ fruantur. Hæc ſumma eſt voti Apoſtolici, unde multa colligi poſſunt digna obſervatione.

Ab ipſo ordine tria docemur.

In eo quòd Gratiam præponit Paci, docet hoc eſſe in primis optandum, ut Deum habeamus propitium. Si is ſit infenſus, etiam beneficia in maledictionem vertentur. *Doctr.1*

Docet inſuper veram Pacem non contingere, niſi illis ſolis qui ſunt in Gratia apud Deum. *Nulla pax impio*, id eſt, homini non reconciliato per Chriſtum. *Doctr.2.*

Vltimò, ab ipſo ordine quò collocantur hæc beneficia, oſtendit omnia bona quæ piis obveniunt, eſſe quaſi rivulos deductos ab hoc fonte Gratiæ divinæ. *Doctr.3.*

Ex ipſo optato.

Commonſtrat ſuo exemplo Paulus officium cujuſcunque Miniſtri Evangelici; quod eſt, non modò prædicare Gratiam & Pacem populo ſuo, ſed ex intimis viſceribus eaſdem precari & expoſcere à Deo aſſiduâ oratione. Neutrum per ſe ſufficit. 1

Taxat ſtultitiam hujus mundi, in quo penè omnes valetudinem, divitias, honores optant ſibi ac ſuis; at gratiam, pacem, ac reliqua ſpiritualia bona, nec curant nec cogitant. Sed Chriſtus nos jubet, *Primo in loco quærere Regnum Dei.* 2

Solatur pios & fideles, dum oſtendit illis ſemper adeſſe Gratiam Dei & Pacem Dei; præ quibus bonis σκύβαλα ſunt quæcunque improbis contingunt. *Tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum aſpicere quieſcere eſt.* Bernard. in Cant. 23. Atque hæc de Bonis optatis. Iam de Authoribus illorum dicendum, quos Apoſtolus deſignat hiſce verbis ſequentibus: 3

A Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.] In quibus oſtendit & fontem, & canalem omnis gratiæ; ac utrumq; deſcribit à relatione ad nos.

Deo Patre noſtro] Fons gratiæ eſt ipſe *Deus*; ſi enim per Gratiam intelligimus gratuitum Dei amorem erga nos, fluit hic amor immediatè à voluntate divinâ, non provocatur bono humano. Vnde dicit Deus Ieremiæ 31.ver.3. *Dilectione æternâ dilexi te, idcirco extendi erga te benignitatem meam.* Et diviniſſimè Bernardus, *Amat & Deus; non aliunde hoc habet, ſed ipſe eſt unde amat; & ideo vehementius amat, quia non amorem tam habet, quàm hoc eſt ipſe.* Dei amor non invenit, ſed facit amore dignos. Si habitualia dona ſanctitatis per Gratiam intelligimus, clarum eſt hæc omnia à ſolo Deo ad animas noſtras dimanare. *Omne donum, &c.* Iac.1.17. quod multis rationibus oſtendunt Scholaſtici. Nihil ſcilicet poſſe *Super Cant. Serm.39.*

eſſe

eſſe cauſam operantem phyſicè in productione Gratiæ, præter ſolum Deum. Infuſio ſive productio gratiæ accedit ad rationem Creationis, in quantum nec habet cauſam ullam in ſubjecto, nec materiam è cujus potentiâ, per Agens naturale, educi poſſit; eſt itaq; ſolius Dei gratiam influere & imprimere, qui ex nihilo fecit omnia. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, Pſal. 84. 12.

Gratia oritur ex ſupernaturali participatione Dei; at ſolius divinæ bonitatis opus eſt communicare ſeipſum creaturæ hac gratuitâ communicatione.

Gratia non imprimitur animæ, niſi per eam cauſam quæ poteſt operari immediatè in ipsâ animâ; at ſolius Dei privilegium eſt poſſe illabi in animam humanam, eámque mutare & flectere internâ operatione: ergò Deus eſt fons gratiæ. Vnde convincitur error Thomæ, Bellarmini, & aliorum omnium qui Thomam ſequuntur, & externis Sacramentis phyſicam cauſationem tribuunt. *Obſerv.*

Patre noſtro] Deus, ut Deus, ut Creator, vult bonum omni ſuæ creaturæ, ſed non omne bonum. Bona enim naturæ vult communicare, non modò improbis, ſed ipſis brutis animalibus; quia hæc tribuit ut Author Naturæ. Sed bona gratiæ ſalutiferæ ſolis filiis communicat, quia hæc largitur ut *Pater miſericordiæ*: atque ob hanc cauſam addidit Apoſtolus, *Patre noſtro*.

Hanc ob cauſam Servator, cùm orandi formulam præſcripſit, docuit nos *Patrem noſtrum* invocare; quia nulla ſpes eſt impetrandi bona gratiæ, niſi adoptemur in filios. Atque ab hac Dei paternitate concludit, quodcunque bonum neceſſarium piis à Deo ſore præbendum. *Quantò magis Pater veſter qui eſt in cœlis dabit bona petentibus ab ipſo?* Matth. 7. 11. Hæc de fonte Gratiæ, ſcilicet *Deo*.

Et Domino Ieſu Chriſto] Canalem Gratiæ oſtendit Apoſtolus, *Ieſum* ſcilicet *Chriſtum*, Mediatorem Dei & hominum. Ipſe Deus Pater eſt fons Gratiæ, ſed ad homines vult illam derivari, per & propter filium ſuum; nam ut per primum Adamum derivatur peccatum in carnaliter ab eo generatos, ſic per ſecundum Adamum, ſcilicet *Chriſtum* derivatur gratia in ſpiritualiter regeneratos. *Chriſtus* igitur gratiam ad ſuos derivare dicitur vel Efficaciâ operationis, vel Beneficio interceſſionis, vel Merito paſſionis. Vt eſt Caput Eccleſiæ, proprium eſt illius munus efficaciter vivificare membra ſua, & gratiam, id eſt, vitam ac motum ſpiritualem illis communicare. Vt eſt Sacerdos, orat & interpellat pro hac gratiâ. Vt ſe exhibuit Hoſtiam Deo gratam, meritoriè acquiſivit Eccleſiæ favorem & gratiam Dei. Hinc fit quòd in ſacrâ Scripturâ, omnis gratia & ſpiritualis benedictio nobis perhibetur in *Chriſto* donata: Ad Epheſ. 1. ver. 3, 4, &c. Epheſ. 4. 16. Ioan. 1. 16.

Domino] Chriſtus depingitur à relatione quam habet ad nos: eſt enim *Dominus* noſter, atque adeò omnium creaturarum: atque

hæc

hæc Dominatio non ſoli divinæ naturæ Chriſti, ſed & aſſumptæ naturæ convenit. *Huic enim Deus Pater omnia ſubjecta eſſe voluit.* Eph. 1. 2c. *Sedere fecit eum ſupra omnes poteſtates:* & ad Hebræos 1. 2. *Omnia ſubjecit ei.* Eſt autem piorum Dominus, non modò jure filiationis, ſed etiam jure redemptionis & liberationis. Videtis unde Gratia ad nos veniat, *A Deo Patre noſtro, per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Qui ſunt à Deo averſi per contumaciam in peccatis, ſunt gratiæ vivificæ expertes; & ſi de vitâ ſpirituali loquimur, ſunt cadavera, non homines: nam ut is qui ſe avertit à Sole, ſeipſum privat lumine & calore; ſic qui ſe avertit à Deo per peccata, ſeipſum privat ſalutiferæ gratiæ influentiâ. Nam *gratia à Deo.* *Obſerv.* 1.

Qui non ſunt adoptivi filii; non poſſunt confidenter ullam gratiam à Deo vel petere vel expectare: ut itaque cum fiduciâ ad Thronum gratiæ accedamus, Deus orandus eſt ut *Spiritum adoptionis mittat in corda noſtra, quo poſſimus ad eum clamare Abba, Pater.* Non enim ſimpliciter à Deo, ſed à *Deo Patre* hæc gratia. *Obſerv.* 2.

Qui gratiam petit, non Sanctos, ne beatiſſimam quidem Chriſti matrem imploret; ſed petat à Patre in nomine Chriſti filii: facilè enim impetratur, quod filius poſtulat, qui eſt Canalis Gratiæ. Errant igitur Pontificii, qui dicunt nullam gratiam venire de cœlo ad terram, quin tranſeat per manus Mariæ. *Obſerv.* 3.

Cùm Chriſtus ſit Dominus noſter, nos geramus ut ſervos bonos & fideles decet. Servorum eſt ad Domini arbitrium vitam & mores ſuos componere, provinciam à Domino ſibi impoſitam ſedulò adminiſtrare, cum hoſtibus domini ſui nullam familiaritatem inire, ſi deliquerit humiliter ſe Domino ſubjicere, & ejus generis infinita alia; quæ dum prætermittimus, Chriſtum eſſe Dominum noſtrum, non voce ſed vitâ, negamus. Atq; hactenus hanc Salutationem Apoſtolicam explicavimus; ex cujus conſideratione gravis oritur controverſia inter nos & Pontificios, quam breviter perſtringemus. Apoſtolus, ut audiviſtis, optat fidelibus *Gratiam & Pacem à Deo Patre, &c.* id eſt, gratuitam acceptationem propter Chriſtum, adoptionem in filios Dei, atque fiduciam de remiſſione peccatorum: Hinc quæritur, *Ult. Obſer.*

An fideles certò apud ſe ſtatuere poſſint ſe eſſe in gratiâ apud Deum, & peccata ſibi eſſe remiſſa propter Chriſtum, in quem crediderunt, necne?

Noſtrorum ſententia eſt, Omnem hominem fidelem & verè juſtificatum, pôſſe & debere infallibiliter credere, ſibi in individuo peccata eſſe remiſſa, & Deum eſſe reconciliatum ſibi, id eſt, ſe habere Gratiam & Pacem hanc quam Apoſtolus Coloſſenſibus optavit.

Pontificiorum ſententia eſt, Eos qui ſunt reverà juſtificati & in gratiâ apud Deum, non poſſe tamen aut debere credere, quòd

ſint reconciliati Deo & juſtificati, ſed ſperare & conjectari tantùm quòd ſint in gratiâ, & quòd obtinuerint remiſſionem.

Argum. 1. A natura fidei.

Noſtram ſententiam hiſce argumentis confirmamus. Qui eſt verâ fide prædituſ, ipſo lumine fidei per Spiritum ſanctum in corde accenſo, ſcit ſe in Chriſtum credere, & per fidem juſtificari: at qui hoc ſcit, ſimul ſtatuere poteſt ſe eſſe in gratiâ apud Deum, & peccata ſibi eſſe remiſſa. Scriptura enim clarè dicit, *Juſtificati fide pacem habemus*, Rom. 5. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, Ioan.3. Tota itaque difficultas in hoc eſt, ut oſtendatur poſſe fidelem dicere non ex conjecturâ & opinione, ſed ex fide, Ego credo in Chriſtum. Probatur ex Auguſtino de Trin. 13. 1. *Quod credere jubemur, videre non poſſumus: ipſam tamen fidem, quando ineſt in nobis, videmus in nobis.* Sic Thomas, *Quicunque habet ſcientiam vel fidem, certus eſt ſe habere, quia de ratione fidei eſt ut homo ſit certus de his quorum habet fidem.* In quem locum ſic etiam ſcribit Cajetanus: *Certitudine fidei quilibet ſcit ſe habere donum infuſum fidei, & hoc credit ſicut credit alia credita, ſcilicet Incarnationem Chriſti, &c.* Durandus etiam ſcribit: *Habens fidem ità certus eſt ſe habere fidem, ſicut certus eſt de quocunque alio. Credens enim experitur ſe credere.* Lib.3.diſt.23. qu.7. Rationem hanc Thomas affert: *Quia omnis habitus intellectivæ partis, ex hoc quòd per eſſentiam ſuam in mente conſiſtit, eſt principium proximum ſuæ cognitionis.* Multis Scripturæ teſtimoniis confirmari poſſit Fideles ſcire ſe eſſe fideles; & regeneratos ſcire ſe eſſe per Spiritum renatos. *Spiritum qui ex Deo eſt accepimus, ut ſciamus quæ donata ſunt nobis.* 1. Cor. 2. *An non cognoſcitis quòd Chriſtus in vobis eſt niſi forte reprobi eſtis?* 2. Corin. 13. *Cognovimus quòd in ipſo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* 1.Ioh.4.13. Nam fides, ut lumen, non modò alia, ſed & ſeipſam viſibilem facit.

Argum 2. A natura promiſſionum.

Promiſſiones Gratiæ Evangelicæ de Reconciliatione partâ per Chriſtum, & Remiſſione peccatorum, ſic à nobis credendæ ſunt, ut firmam & ſolidam conſolationem poſſint afferre; at niſi credatur in ſpeciali, quòd Ego ſum Reconciliatus, et Ego ſum peccatis abſolutus, non poſſunt hanc conſolationem afferre. Major manifeſta, quia ipſe finis Gratiæ Evangelicæ & promiſſionum divinarum eſt, ut *Conſolationem habeamus firmam*, ad Hebræos 6. 18. At generalis illa fides Pontificiorum, Quòd omnis vere credens & piè vivens, habet Remiſſionem peccatorum; vel iſta conditionata, Ego, ſi ſum fidelis, ſum in gratiâ Dei, non affert firmam conſolationem, quia ſtare poteſt cum deſperatione. *Neceſſe eſt credere quòd Remiſſionem habere non potes niſi per indulgentiam Dei: ſed adde, ut credas hoc, quòd per ipſum tibi peccata tua donantur.* Bernar. de annunc. Ser. 2. Ratio autem eſt, quia promiſſiones Dei non ſortiuntur effectum, donec à nobis fuerint acceptatæ: quamvis itaque offeratur Remiſſio peccatorum univerſis ſub conditione fidei, acceptari

tari tamen ne ceſſe eſt ab individuis & ſingulis, ut fiat cuivis homini utilis & ſalutaris. Promiſſiones non acceptantur à neſcientibus; ſed ab intelligentibus, & ſentientibus ſe eas apprehendere & acceptare.

Spiritus ſanctus in ſpeciali quemlibet fidelem obſignat, & illum certum facit de adoptione ſuâ, admirabili & ſecretâ quadam teſtificatione: nam datur cuivis fideli ut arrha divini amoris; clamat denique in pectoribus piorum, illos eſſe in gratiâ apud Deum: at huic teſtimonio & poſſunt & debent credere: ergò credunt in particulari ſe eſſe in Gratiâ Dei, & peccata ſibi eſſe remiſſa. Loci ex quibus hæc omnia probantur ſunt notiſſimi. *Rom.* 8. *Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei.* Et Gal. 4. 6. *Quoniam eſtis filii, emiſit Deus ſpiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pater.* Eph. 1. 14. *Obſignati eſtis Spiritu poſtquam credidiſtis, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.* Neque eſt hoc teſtimonium fallax aut conjecturale, ſed certum & infallibile in omnibus in quibus reperitur. Eſt enim verbum Miniſterium Spiritus; & fides concepta per Miniſterium verbi, eſt ſemper ipſius Spiritus teſtificationi conjuncta. Fidei itaque impreſſio per Spiritum ſanctum in corde particularis hominis, eſt quaſi particularis teſtificatio quòd ſit in gratiâ, & quòd ſit filius Dei. Sic Bernardus, Serm. 5. de dedicatione Eccleſiæ, *Quis ſcit ſi eſt dignus amore an odio? quis novit ſenſum Domini? Hîc fidem nobis ſubvenire neceſſe eſt, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipſius Spiritum reveletur; & Spiritus ejus teſtificans perſuadeat ſpiritui noſtro quòd filii Dei ſumus.* Perſuadet autem vocando & juſtificando gratis per fidem.

Argum. 3.

2. *Corin.* 3.

Bellarminus reſpondet, Spiritum ſanctum atteſtari ſpiritui noſtro, tantummodò per experimentum quoddam cujuſdam internæ ſuavitatis & pacis, quod non gignit certitudinem, niſi conjecturalem. De Iuſtif. lib. 3. cap. 9.

Object.

At Bernardus rejicit hoc commentum Ieſuiticum; dicit enim hoc teſtimonium ſuſcipi per fidei actum, & Spiritum ſanctum perſuadere ſpiritui noſtro quòd ſumus filii Dei, per fidem, non per fallaces conjecturas. Sic Chryſoſt. in 8. ad Roman. *Quando Spiritus teſtatur, quænam relinquitur ambiguitas?*

Sol.

Verè credentes habent *Audaciam*, & *aditum cum fiduciâ* ad Deum Patrem per fidem, Epheſ. 3. 12. & Hebr. 10. 22. At cui incertum eſt, & incognitum, Sitne filius Dei an ſpurius, ſitne inimicus an reconciliatus, non poteſt cum hac fiduciâ ad Thronum Gratiæ accedere, non poteſt Deum Patrem vocare, niſi cum ſummâ hæſitatione; multò minùs quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria ab illo, tanquam à Patre, fidenter poſtulare. Reſpondet Bellarminus, Vt accedamus ad Thronum Gratiæ cum fiduciâ, non eſt neceſſe ut certi ſimus de juſtificatione noſtrâ in ſpeciali; ſufficit quòd certiſſimi ſumus ex fide Catholicâ, Chriſtum pro nobis paſſum, mortu-

Ultim. Ab effectu fidei.

um, reſurrexiſſe, & intercedere apud Patrem. Sed invalida eſt hęc reſponſio, quia licèt conſtet in genere Chriſtum mortuum fuiſſe ſufficienter pro omnibus; tamen & illud etiam conſtat fructum mortis, reſurrectionis, & interceſſionis Chriſti actu pertinere tantùm ad illos qui ſunt inſiti in Chriſtum: ut itaque ego intelligam Chriſti beneficia ad me jam pertinere, intelligam ſimul neceſſe eſt, me eſſe factum membrum Chriſti, id eſt, eſſe juſtificatum & Deo reconciliatum. Si enim dubito an ſim efficaciter vocatus & juſtificatus, dubium eſt etiam mihi, utrùm ſim abſque Chriſto, abſque Deo, alienus à republicâ Iſraelis, & extraneus a pactis promiſſionis
Epheſ. 2. 12. necne. Cùm hæc omnia ſub dubio relinquuntur, quis confidentiæ locus relinquitur? Atque hæc ſunt noſtra argumenta; brevitatis causâ alia quamplurima omittemus.

Iam ad Pontificiorum argumenta accedimus. Incertitudinem gratiæ & remiſſionis peccatorum probare conatur Bellarm. de Iuſtif. lib. 3. cap. 4.

Ex Scripturis.

1 Ex Proverb. 20. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Quamvis itaque ſint aliqui mundi à peccato, tamen illi ipſi non hoc ſciunt, neque habent teſtimonium infallibile de ſua munditiâ & juſtitiâ.

Reſpon. Reſpondeo, neminem poſſe hoc dicere, neque eſſe aliquos mundos à peccato inhærente, ut ſomniat Bellarminus: ſed hoc non prohibet certitudinem de remiſſione peccatorum & ſtatu gratiæ. Paulus enim peccatum inhærens agnoſcit; & tamen ſe liberatum à condemnatione & reatu ejus credit, ad Rom. 7. Hoc itaque argumentum validum eſt apud Papiſtas, qui ſpem ponunt in operibus & juſtitiâ inhærenti; at frivolum eſt inter Orthodoxos qui juſtificationem ex fide & gratia quærunt, non ex Lege & propriâ juſtitiâ.

2 *Neſcit homo utrùm odio vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta*, Eccleſiaſtæ 9.

De tranſlatione non litigo cum Adverſariis.

Reſpon. Palam eſt Salomonem loqui de cognitione quæ colligitur ex eventis externis; ſubjungit enim, *eò quòd univerſa æquè eveniant juſto & impio*; non negat igitur pios per fidem certos eſſe poſſe de benevolentia divina, ſed per eventa: Quam expoſitionem Bernardus approbat, qui dicit, *Fidem hîc nobis ſubvenire, & revelare cordibus noſtris, quòd ſumus filii Dei*, ut anteà oſtendimus.

3 *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum; & ne dicas, Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* Eccleſiaſtici cap. 5. *Hic locus mirificè pungit Hæreticos.*

Reſpon. Hæreticos fortaſſe pungit, at Orthodoxos ne tangit quidem: nihil enim concludit contra certitudinem remiſſionis. Primò,

quia

quia poteſt locus intelligi de illis qui ſacrificiis expiatoriis tolli peccata putabant, etiamſi manerent in propoſito peccandi, & peccata peccatis indies adderent: hos qui abſque vera converſione cordis, peccata victimis expiari putabant, jubet non eſſe ſine *Metu de propitiato*, vel, ut eſt in origine, de *Propitiatione peccati*. Huic expoſitioni atteſtantur ve. bailla ſequentia, *Ne tardes converti ad Dominum: ſubitò enim veniet ira, &c.* Sed demus intelligi de illis quibus verè pœnitentibus peccata ſunt remiſſa; non debent illi eſſe ſine metu de propitiato peccato & remiſſo, putà de adulterio, de furto, ebrietate, aut alio quovis: ſed iſte metus eſt, non ne illud peccatum non remittatur, ſed ne redeat idem, & gravior reatus ſi rurſus admittatur. *Nam peccata remiſſa redeunt per ingratitudinem, non quantum ad actum, ſed in quantum majoris pœnæ reus efficitur ob ingratitudinem recidivans, quàm ſi peccatum prius non fuiſſet dimiſſum.* Durand.4.diſtin.22.quæſt.1.

Quartum argumentum ducit Bellarminus ab illis locis ubi juſtificatio & remiſſio peccatorum ſub conditione proponitur. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vitâ vivet*, Ezec.18. *Vos amici eritis ſi feceritis quæ ego præcipio*, Ioan. 13. & ſimilibus. At nemo certus eſſe poteſt certitudine fidei ſe toto corde converſum eſſe ad Dominum, & fidem veram, ac pœnitentiam, qualis requiritur, habere, cùm in nulla Scripturâ teſtimonium hujuſmodi inveniatur de fide & pœnitentiâ noſtrâ in particulari. 4

Reſpondeo, ad recipiendam gratiam Remiſſionis, neceſſaria eſt ex noſtrâ parte conditio fidei & pœnitentiæ veræ: ſed quod addit, Neminem ſcire an ſua fides & pœnitentia ſit talis & tanta, quanta à Deo requiritur, falſiſſimum eſt. Non enim ex gradu, aut menſurâ fidei vel pœnitentiæ dependet juſtificatio, ſed ex veritate: fidem autem & pœnitentiam ſuam eſſe veram & non hypocriticam novit, quiſquis ex dono Spiritus fidem & pœnitentiam accepit, ut antea oſtenſum eſt. Vnde illud Auguſtini in Pſal.149. *Eſt modus gloriandi in conſcientiâ, ut noveris fidem tuam eſſe ſinceram ſpem tuam eſſe certam, ut noveris charitatem tuam eſſe ſine ſimulatione.* Quod urget in Scripturis non inveniri teſtimonium de fide vel remiſſione noſtrâ in particulari, ſolvemus cùm ad rationes Bellarmini ventum fuerit, nam ibi hoc regerit. *Reſpon.*

Quintum teſtimonium petit ab illis locis ubi remiſſio proponitur pœnitentibus ſub formâ dubitationis: Ioelis 2. *Convertimini ad me ex toto corde veſtro. Quis ſcit ſi convertatur, & ignoſcat Deus?* Et Actor.8. *Pœnitentiam age, ſi fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui.* Hæc & ſimilia ſignificant incertitudinem remiſſionis, non reſpectu divinæ promiſſionis, ſed reſpectu noſtræ diſpoſitionis, inquit Bellarm. 5

Ad primum teſtimonium reſpondebit Ieſuitæ alius Ieſuita; ſic igitur Ribera in hunc locum. *Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat* *Reſpon.*

Deus? id eſt, *Fortaſſe non patietur Chaldæos in terram veſtram venire, nec vos captivos abduci, ſi pœnitentiam agatis:* non igitur jubet eos Propheta dubitare de remiſſione peccatorum ſi convertantur, nec jubet verè pœnitentes dubitare de ſua pœnitentia; ſed oſtendit ſe certum non eſſe de remotione externorum judiciorum, etiamſi convertantur: de hoc itaque ſperare poterant, de altero certi eſſe. Quinetiam ex Ambroſio docet phraſin hanc non eſſe ſemper dubitantis; atque ex Gregorio, eſſe aliquando rei difficultatem oſtendentis, & paucitatem facientium id quod dicitur. Ad ſecundum idem Ribera reſpondet: *Petrum non dubitâſſe an culpa remittenda eſſet agenti pœnitentiam; ſed dubitavit, an vera futura eſſet pœnitentia Simonis.* Addi etiam poteſt, quod obſervavit Tremellius, *Hanc phraſin non eſſe dubitantis, ſed à rei difficultate animos erigentis.*

Ultim. Affert ea loca quæ timorem ſuadent ipſis piis & fidelibus: *Beatus homo qui ſemper pavidus.* Prov. 28. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini:* ergò non debemus certò credere remiſſionem peccatorum noſtrorum.

Reſpon. Reſpondeo Timor filialis non excludit certitudinem de reconciliatione & remiſſione peccatorum; imò neceſſe eſt, ut qui credat ſe eſſe Deo reconciliatum, eò magis timeat ne frænum laxando concupiſcentiis novum reatum incurrat. Non movent hi loci ut incerti ſimus de remiſſione peccatorum, ſed ut ſoliciti ſimus & pavidi de offensâ Dei. Atque hæc de teſtimoniis quæ afferuntur ex Scripturis. Quæ ex Patribus attulit nullius ſunt momenti: hoc enim tantumodò probant, quòd etſi quis non ſit conſcius ſibi alicujus peccati, tamen ex eo non poteſt certò ſtatuere ſe eſſe immunem à peccato, quod nos ultrò fatemur. At longè aliud eſt eſſe abſolutum á peccato, & eſſe expertem peccati. Ad rationes Bellarmini accedamus, quas ille *Egregias* nobis pollicetur.

Ratio 1. Non poteſt aliquid certum eſſe certitudine fidei, niſi immediatè contineatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per evidentem conſequentiam deducatur; at quòd talis vel talis homo habeat peccata ſibi remiſſa, nec continetur in verbo, nec evidenter deducitur: ergò non eſt certum certitudine fidei.

Minorem probat quòd verbum Dei teſtatur tantùm in univerſali quòd fidelibus & pœnitentibus remittuntur peccata; ſed quòd Petrus aut Joannes credat, aut pœniteat, non eſt revelatum in verbo, neque poteſt indè deduci infallibiliter; quia alia deductio non eſt quàm hæc, Verbum Dei teſtatur verè credentes & converſos obtinere remiſſionem peccatorum: Ego certum habeo quòd ſum verè credens & pœnitens: ergò Ego obtinui remiſſionem peccatorum meorum. Minor, inquit Bellarminus, non eſt modò falſa, ſed etiam impoſſibilis, abſq; ſpeciali revelatione.

Reſpon. Priuſquam ad minorem venio, ad explicationem majoris, pauca

præ-

præmittam. Quòd dicit Bellarminus, Nihil eſſe certum certitudine fidei, niſi ponatur aut deducatur ex Scripturis, intelligendum eſt de doctrina fidei quam credimus, non de habitu aut actu fidei quo credimus. Exempli causâ: Quòd Deus ſit trinus & unus, eſt doctrina fidei; hujus igitur certitudo colligitur quia in Bibliis ſic ſcribitur: At quòd Ego credo Deum eſſe trinum & unum, eſt actus fidei meę: hujus igitur certitudo non in Bibliis ſcribitur, ſed in tabulis cordis mei. Certitudo de priore ſpectat totam Eccleſiam; ergò revelatur in Scripturâ quæ patet toti Eccleſiæ: at certitudo de poſteriore, ſcilicet de habitu vel actu fidei habitantis in corde hujus vel illius hominis, hunc vel illum tantùm ſpectat; ergò huic tantùm patet per actum reflexum ipſius mentis, & multò clariùs per internam operationem Spiritus ſancti, qui unà cum fide & gratiâ dat cognitionem acceptæ gratiæ & fidei, ut anteà probavimus. Hinc Scotus, 3. diſtinct. 23. *Quemadmodum credo Deum eſſe trinum in perſonis, & unum in eſſentiâ; ſic etiam credo, me fidem infuſam habere per quam hoc credo.*

Alterum adjungendum eſt, quod etiam attinet ad majorem: Omnem concluſionem eſſe de fide, quæ oritur ex alterâ propoſitione in Scripturis contentâ, & alterâ per bonam conſequentiam additâ, ſive ex ſenſu, ſive ex ratione, ſeu quovis alio modo cognoſcatur. Hoc docet Gerſon de vitâ Spirit. & Medina.

Iam venio ad minorem, atque nego quòd ex Verbo non habetur per evidentem deductionem quòd Hic vel Ille fidelis habeat peccata remiſſa. Singulos enim alloquitur Scriptura, ad Rom. 10. 9. *Si tu confeſſus fueris ore tuo dominum Ieſum, & crediderit in corde tuo, quòd Deus eum excitavit à mortuis, tu ſervaberis.*

Sed urget Bellarminus, deeſſe adhuc minorem propoſitionem, ſcilicet, Ego confiteor, & Ego credo: itaque non poteſt ex fide teneri concluſio, Ego ſervabor.

Reſpondeo (ut ſuprà) hanc minorem, non fidei doctrinam aliquam generalem, ſed particularem actum unius fidelis ſpectare; non itaque quærenda eſt in Bibliis, ſed in cordibus. Iam verò ſi ſenſu quodam ſpirituali, vel experientiâ certâ, vel denique teſtificatione Spiritus ſancti, vel hiſce omnibus conſtet ea minor propoſitio; concluſio erit de fide, quia major propoſitio erat de fide. At nos anteà probavimus ex Patribus, Scholaſticis, & Scripturis, fideles habere notitiam claram fidei ſuæ & reconciliationis; eadem itaque non regeremus.

Sed inſtat adhuc Adverſarius, Videmus multos reverà falli, qui putant ſe habere fidem ac gratiam quam non habent. Hæretici enim multi jactant certitudinem fidei, multi etiam non renati putant ſe obtinuiſſe fidem, & remiſſionem peccatorum à Deo; ergò non habent hanc certitudinem quam præ ſe ferunt.

Reſpondeo, hæc omnia nihil ad rem: non enim defendimus

omnem

omnem hominem qui ſomniat ſe habere fidem, gratiam, & remiſſionem peccatorum, reverà hiſce donis præditum eſſe; ſed omnem qui præditus eſt hiſce donis, etiam ſcire ſe reverà credere, & eſſe in gratia apud Deum, &c. Ieſuita concludit à majore ad minus affirmativè, hoc modo, Hæreticus & carnalis fallitur in judicando de fide & gratia: ergò verè fidelis & renatus etiam falli poteſt. Quemadmodum igitur ſomnians, cùm judicat objici animo ſuo non ſimulata ſed vera viſa, fallitur, nec tamen indè ſequitur vigilantem falli, aut falli poſſe cùm ſtatuit ſe non ſomniare, ſed videre res ob oculos poſitas: ſic Hæreticus & Carnalis, qui habet ſomnum fidei & gratiæ, fallitur, cùm judicat ſe res ipſas habere; at verè Renatus hæc aſpicit quaſi ob oculos mentis poſita in vigilia luminoſæ veritatis, non ſimulachro ſomniculoſæ vanitatis: is igitur falli non poteſt. Ad extremum interrogat, Quo indicio docebimus, nos non falli, alios falli? Stultum poſtulatum; Quo indicio probabis ſomnianti illum non vigilare, te vigilare? Per experimentalem notitiam ipſius vigiliæ, quę habet viſa lucidiora & ſortiora, non opinor ſed ſcio me vigilare: idem opinatur ſomnians, ſed fallitur. Sic per experimentalem quandam notitiam ſciunt fideles ſe fidem habere; hoc aliis tamen probare non poſſunt, qui non vident internas motiones in cordibus illorum. Neque poſſunt illis ſomniatoribus perſuadere, quòd non habeant fidem; quia etſi non certius, tamen pertinacius inhærent falſis opinionibus quàm veris.

2 In nullo Symbolo fidei ponitur hic Articulus, *Ego credo mihi peccata eſſe remiſſa*; ergò non oportet hoc credere.

Reſpon. Conſequentia eſt prorſus invalida, cui tamen refellendæ non inſiſtam: ſed reſpondeo, quòd ponitur in omnibus Symbolis. Primò, per evidentem conſequentiam. Nam cùm dico, *Credo in Deum*, ut vult Auguſtinus & poſt illum omnes Scholaſtici, dico non ſolùm me credere Deum eſſe, vel credere verbis ejus; ſed *me ipſum amare, & credendo in Deum ire, & membris ejus incorporari*: Hæc enim omnia implicantur hiſce verbis, *Credo in Deum*. Compend. Theolog. 5. 21.

Secundò, ponitur expreſsè in illo articulo *Credo remiſſionem peccatorum*. Non enim hic ſenſus eſt quem fingit Bellarminus, Credo in Eccleſiâ dari remiſſionem peccatorum; quod diabolus atque deſperabundus quivis poteſt credere: ſed credo dari remiſſionem peccatorum per Chriſtum mihi, quia in illum credo. Hoc ipſe Aquinas videtur concedere, de Iuſtif. art. 4. ubi dicit, *In juſtificatione peccatoris, non neceſſe eſt ut actu cogitentur omnes articuli fidei, ſed ſolùm quòd cogitetur, Deus ut juſtificans & peccata remittens; in quo implicitè includuntur alii articuli.* *In quæſt. diſp. in reſp. ad 9.* Hîc quæro, Cui Deus cogitatur ut peccata remittens? num vago alicui individuo, an ipſi juſtificato? proculdubio ipſi homini qui tum cogitat de ſuorum peccatorum remiſſione.

Sed

Sed rurſus objicit, Si tenemur credere peccata nobis remiſſa, tum Hæreticus eſt quiſquis hoc non credit: at nec poteſt, nec debet hoc credere qui ex propoſito peccat, & manet in mortali peccato: ergò omnis peccator talis eſſet Hæreticus; quod eſt à ratione alienum. *Object.*

Fallitur Bellarminus in duobus. Primò, in hoc quòd ponit Hæreticum illum eſſe qui non credit quodcunque debet credere; non enim defectus ſive Actus ſive Habitus fidei facit Hæreticum, ſed pertinax oppugnatio doctrinæ fidei: nam ſi omnis eſſet Hæreticus qui non credit myſteria fidei Chriſtianę, Hæretici eſſent omnes Ethnici, Hæretici etiam eſſent omnes Chriſtiani nondum renati. Nemo enim fide Theologicâ & infuſâ credit ullum Articulum fidei, antequam in regeneratione donum fidei accepit. Secundò, non eſt undequaque firmum, quod dicit, Voluntariè peccantem non teneri ad credendum remiſſionem peccatorum ſuorum. Tenetur enim deponere hanc voluntatem, tenetur pœnitere, & etiam credere Deo promittenti remiſſionem pœnitentibus. Non igitur dicimus, Voluntariè manentem in peccatis gravibus, poſſe credere ſibi peccata eſſe remiſſa, aut debere pro præſenti ſtatu: ſed dicimus, Illum, Deo adjuvante, poſſe, & pro officio ſuo teneri ex ſtatu illo exire, & hoc credere. *Reſpon.*

Non expedit ut homines habeant certitudinem de remiſſione peccatorum, & de propriâ gratiâ; nam qui ſe juſtificatum confidit, facilè ſuperbit ut Phariſæus. *Ratio.* 3.

Qui ſe juſtificatum inhærente juſtitiâ & propriis operibus confidit, facilè inflatur; ſed qui juſtificatum ſe gratis credit, gloriatur indè in Deo, in ſeipſo deprimitur: *Quid enim habet quod non accepit?* *Reſpon.*

Deus ſingulari beneficio revelavit quibuſdam remiſſionem peccatorum ſuorum, ut de Sancto Antonio, & ſancto Franciſco Authores teſtantur. Quorſum id certis hominibus revelaret ſpeciali prærogativâ, ſi fidelibus omnibus fides iſta ſit communis? *Ratio.* 4.

Harum narrationum fides ſit penes Authores; ſed reſpondeo: Nihil impedit quò minùs illud ipſum quod creditur per fidem, poſſit per ſpecialem revelationem magis explicatè & evidenter oſtendi, ſi Deus voluerit. Paulus per fidem credidit gaudia futuri ſeculi; voluit tamen Deus in Raptu clariorem viſionem cœleſtis beatitudinis illi communicare. Sic etſi illi crediderunt remiſſionem peccatorum ſuorum, voluit tamen Deus ſcientiam manifeſtiorem illis impertire. *Reſpon.*

Viri perfectiſſimi & ſanctiſſimi trepidârunt, & dubitârunt de ſtatu ſuo, & de remiſſione peccatorum; quomodò igitur omnibus fidelibus adeſt certitudo de propriâ gratiâ & remiſſione? *Ultim.*

Non tenemus verè fideles nunquam dubitare, vel de remiſſione peccatorum, vel de ſtatu reconciliationis ſuæ cum Deo, ſed defen- *Reſpon.*

dimus haſce dubitationes ex carne oriri, non ex fide. Hoc itaq; intereſt inter nos & Pontificios: Illi dubitationem in ipſis fidelibus laudant, & ad virtutem humilitatis referunt; Nos illam pro peccato agnoſcimus, & ad peccati reliquias pertinere dicimus: Illi in dubitatione perpetuâ fidelem relinquunt; Nos dicimus illum tandem eluctari, & ex fide ſtatuere peccata ſibi remiſſa, non tantùm ex conjectura, aut ſpe, cui falſum ſubeſſe poteſt, ut autumant Papiſtæ.

Quòd autem, dum ſumus in hac carnis infirmitate, fides ſtare poſſit in eodem ſubjecto cum crebris dubitationibus, patet Matth. 14.31. *O modicæ fidei, cur dubitâſti?* Hoc Scholaſtici etiam concedunt, *In credente poteſt inſurgere motus de contrario hujus quod firmiſſimè tenet*, Aquin. de Fide art. 1. Et alibi, *Fidei certitudo importat firmitatem adhæſionis, non quietationem intellectus.* Sic Durandus, *Fides poteſt habere aliquem modum dubitationis ſalvâ fide*, lib. 3. diſt. 23. quæſt. 7. Non igitur neceſſe eſt, ut fidei certitudo excludat dubitationem omnem, ſed ut vincat. Atque hæ ſunt Bellarmini *Egregiæ* rationes, quibus certitudinem fidei oppugnat, certitudinem ſpei interim concedens fidelibus: de qua etiam diſtinctione pauca adjungam, & concludam.

Quæro igitur à Pontificiis utrùm intelligant ſpem humanam, id eſt, ortam ex conjecturis probabilibus & diſcurſu rationis humanæ; an divinam & Theologicam, id eſt, virtutem infuſam à Spiritu ſancto? Si dicunt pios certos eſſe de gratia & remiſſione peccatorum ſpe humanâ, nihil concedunt piis, quod non poteſt infidelibus convenire; ſi ſpe infuſâ, audiant ſuum Durandum: *Quod ſubeſt ſpei infuſæ, non poteſt non evenire*, lib. 3. Scriptura etiam huic ſpei eandem certitudinem aſſignat quam fidei, Rom. 8.13. *Salvamur ſpe*: & 15.13. *Deus ſpei impleat vos omni gaudio & pace in fide, ut exuberetis in ſpe, per virtutem Spiritus ſancti.* Eſt igitur fides oculus hujus ſpei; atque hæc ſpes excitatur & ſtabilitur à Spiritu ſancto, cujus donum eſt: niſi igitur fides excutiat, & Spiritus ſanctus excitet ad falſam perſuaſionem, ſpei infuſæ eadem erit certitudo quæ fidei. Nam ſpes infuſa non modò comprehendit jucundam illam expectationem bonorum futurorum, quæ eſt in voluntate; ſed indubitatam perſuaſionem de illis obtinendis, quæ eſt in vi apprehenſivâ ſicut & fides: ut rectè Pariſienſis de moribus, capit. 3.

Ad extremum addo confeſſionem Adverſariorum. Catharini, qui in Concilio Tridentino defendebat, *Fideles habere certitudinem fidei divinæ de propria gratia & juſtificatione.* Theologorum Colonienſium, qui ſcribunt in Enchiridio Chriſtian. inſtitut. *Neceſſarium eſſe ad juſtificationem, ut certò credat unuſquiſq; ſibi remiſſa eſſe peccata.* Ipſius Bellarmini, qui cogitur fateri Chriſtianorum ſpem certiſſimam eſſe, tum ex parte voluntatis, tum

ex

ex parte Intellectus; & solùm ratione propriæ dispositionis formidinem aliquam habere conjunctam. At nos anteà ostendimus, has formidines & dubitationes non tollere certitudinem, sed oppugnare, & tandem profligari à fide resistente & adhærente divinis promissionibus. Concludimus igitur omnem verè fidelem habere, & credere se habere illam Dei *Gratiam* & *Pacem*, quam Colossensibus optat Paulus.

Vers. III. & IIII.

Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis precantes:

Auditâ fide vestrâ in Christo Iesu, & charitate in omnes Sanctos:

ABsolvimus Inscriptionem sive Titulum Epistolæ. Sequitur jam Proœmium vel Exordium ad benevolentiam comparandam accommodatum; quod est secundum hujus Capitis membrum, & ab hoc tertio versu porrigitur usque ad duodecimum.

Ejus partes tres sunt. Propositio gratulatoria, versu tertio.

Causæ hujus gratulationis narratæ & illustratæ, à 3° versu ad 9^m.

Comprecatio pro augmento bonorum omnium spiritualium, à 9° ad 12^m.

Propositio gratulatoria: *Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi, &c.*]

Εὐχαριστοῦμεν] Hoc primo vocabulo denotantur Personæ gratulantes, & etiam Modus gratulationis. Personæ qui lætantur & gratulantur ob fidem & charitatem Colossensium, sunt Paulus & Timotheus, Præcones Evangelii.

Vnde apparet, quomodo affecti sunt in populum Dei pii Pastores; scilicet ut non tam lætentur quòd ipsi percipiant ex grege suo fructum temporalem, quàm quòd grex Christi ex ipsorum prædicatione percipiat fructum spiritualem. Hoc est signum veri amoris & pastoralis affectus, si illorum bono æquè lætetur ac suo; præsertim bono spirituali.

Modus gratulationis & exprimendi gaudii Apostolici est per gratiarum actionem. Εὐχαριστεῖν est gratum se declarare pro accepto beneficio, illud agnoscendo, & authorem ejus prædicando. Nam in hoc differt gratulatio Apostolica à gratulationibus civilibus. In hisce solemus fortunam, vel industriam, vel prudentiam illorum celebrare, quibus bonum aliquod magnum obtigisse lætamur: at Apostolorum gratulationes nil aliud sunt, quàm simplices gratiarum actiones, quibus celebrant benignitatem ejus qui dona-

vit hominibus bona ſpiritualia. Quis autem ille ſit declaratur.

Deo, & Patri Domini, &c.] Hîc perſona deſcribitur cui gratiæ exhibentur ab Apoſtolo. Deſcribitur autem, tum Nomine abſoluto, quòd ſit *Deus*; tum relato, quòd ſit *Pater Chriſti*. Vtrunque poſuit Apoſtolus optimo conſilio.

Deo inprimis gratias agit, quia is eſt dator omnis boni: quamvis autem primam perſonam in Trinitate deſignat, reliquas tamen non excludit. *Opera enim Trinitatis ad extra ſunt indiviſa.* Quod itaque Deus Pater dat creaturæ, idem dat Filius atque Spiritus ſanctus. Quia autem prima perſona eſt fons Deitatis, igitur illo nominato cæteræ intelliguntur.

Obſerv. 1. Exemplo Apoſtolico hîc erudimur, in omni gaudio noſtro ob bona collata vel in nos, vel in alios, protinus debere nobis occurrere memoriam Dei; quia ejus beneficium eſt, quicquid lætum & ſalutiferum eſt.

Obſerv. 2. Illud etiam monemur, Oportere nos, quoties ſpectamus aliquem à Deo ornatum eximiis donis, erumpere in laudes Dei, & in gratiarum actionem: hanc enim laudis & gratiarum penſionem, quaſi in recognitionem ſui ſupremi dominii, Deus perſolvi vult ſibi ab omnibus ſuis beneficiariis. Sic Pſalmiſta, Pſal. 116. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini prædicabo.* Vnuſquiſq; tenetur de debito honeſtatis (ut loquuntur Scholaſtici) aliquid ei reddere, qui ſibi gratiam fecit; at Deus non indiget bonorum noſtrorum; reddamus itaq; illi quod ſuum eſt, id eſt, gloriam beneficiorum ſuorum. Hoc ſi facere nolimus, quemadmodum ille qui Dominum feudi non recognoſcit, fundum beneficiarium hoc ingratitudinis crimine amittit; ſic qui non recognoſcit Deum boni ſui authorem, jure bono poteſt eodem privari.

Et Patri Domini, &c.] Non ità intelligenda ſunt hæc verba, quaſi alius eſſet Deus, alius verò Pater Chriſti: ſed hunc in modum exponenda ſunt; *Deo & Patri Chriſti*, id eſt, Deo, qui Deus eſt etiam Pater Chriſti: vel ſic, *Gratias agimus Deo & Patri Chriſti*, id eſt, illi qui eſt & Deus Chriſti, & ſimul etiam Pater Chriſti. *Deus* Chriſti reſpectu humanæ naturæ: nam humana Chriſti natura habet Deum Creatorem, & Conſervatorem, quemadmodum & aliæ creaturæ: unde Chriſtus in cruce pendens ad Patrem clamavit, *Deus mi, Deus mi, cur deſeruiſti me?* Matth. 27. 46. & Ioan. 20. 17. *Aſcendo ad Deum meum, & Deum veſtrum.*

Pater autem Chriſti dicitur, reſpectu utriuſque ejus naturæ: nam æternâ & ineffabili generatione Pater communicavit Filio ſuo eſſentiam ſuam divinam. Æternâ, inquam, generatione; quia non, ut in creaturis pater eſt ſemper filio antiquior, ſic in divinis putandum, Deum Patrem eſſe priorem Filio ſuo. Rectè Damaſcenus, Ἐπὶ μὲν ὃν τῆς τοῦ υἱοῦ γενήσεως ἀσεβὲς λέγειν χρόνον μεσιτεῦσαι. Non enim

à non

à non ente ad ens deductus eſt Filius, ſed ſemper cum Patre fuit; & in ipſo ſempiternè, & ſine principio ab ipſo genitus eſt. Vndè apud Ioan.17.5. Filius dicit Patri, *Glorifica me eâ gloriâ, quam habui apud te priùs quàm mundus exiſteret.* Sed de Chriſti divinâ naturâ fuſiùs dicendum erit in poſterum.

Etiam reſpectu humanæ naturæ ſpeciali privilegio dicitur filius Dei, & Deus Pater Chriſti. Luc. 1. 32. *Filius altiſſimi.* Luc. 23. 46. *Pater in manus &c.* Ioan. 10. 36. & alibi paſſim.

Sed cur hoc in loco non ſatis habuit Apoſtolus dicere, *Gratias agimus Deo*, niſi & illud adderet, *& Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti?* *Quæſt.*

Primò, in ſolatium noſtrum hoc addidit; nam in verſu præcedenti Deum appellavit Patrem noſtrum, in hoc eundem Deum appellat Patrem Chriſti. Innuit itaque nos & Chriſtum eſſe fratres; & proinde fratrem noſtrum germanum ſemper intercedere apud Deum communem Patrem pro fratribus ſuis; at facilè impetratur à Patre, quod Filius poſtulat, præſertim cùm poſtulat aliquid pro fratribus, non pro extraneis. Heb. 2. 11. *Reſpon.*

Secundò, ad diſtinctionem Chriſtianæ invocationis, ab invocatione Ethnicâ & Iudaicâ. Ethnicus enim invocabit, & laudabit Deum omnipotentem, qui fecit cœlum & terram; Iudæus invocat Deum Abrahami, Iſaaci, & Iacobi: At *Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti* ſolus Chriſtianus invocat & agnoſcit.

Vltimò, ut oſtenderet beneficia Dei Patris derivari ad nos per filium ſuum & fratrem noſtrum Ieſum Chriſtum. Niſi enim eſſet Deus Pater Chriſti, & noſtri per Chriſtum, nulla ſpes nobis eſſet de obtinendis Dei beneficiis.

Semper pro vobis precantes] Oſtendit hîc Apoſtolus pro quibus gratias agant, ſcilicet pro Coloſſenſibus; & quando, *Semper precantes*, id eſt, ſemper cùm precamur.

Quòd Apoſtolus gratias agit Deo tam frequentes, tam ſolennes pro beneficiis in alios collatis, oſtendit naturam Chriſtianæ charitatis, *Quæ gaudet cum gaudentibus, flet cum flentibus*; bona denique & mala proximorum pro ſuis ducit. Non ineptè Pariſienſis *charitatem* appellat *furem fideliſſimum & innocentiſſimum, quia omnia bona proximorum ſua facit, neque tamen illi adimit.* Imò de alienis bonis munuſculum invenit gratiſſimum quod Deo præſentet, ſcilicet laudationem Dei & gratiarum actionem. *Obſerv.* 1.

Secundò, ſuo facto taxat Apoſtolus hujus ſeculi invidiam & livorem; in quo tantum abeſt ut homines Deo gratias agere velint ob dona aliorum præclara & eximia, ut potiùs parati ſint eadem vitio vertere, & malevolis detractionibus conſpurcare. Quibus hoc incommodi ſemper accidit, quòd invidendo alienum bonum ſuum faciunt ſupplicium, qui gaudendo feciſſent ſuum peculium; nam *Tolle invidiam, & tuum eſt quod habeo: tolle invidi-* *Obſerv.* 2.

am, & meum eſt quod habes, ut inquit Auguſtinus in Pſal. 139.

Semper precantes] Hæc conjungo quia non ſemper erant in gratiis agendis, ſed tum gratias ſemper agebant cùm precabantur: poſterius itaque vocabulum eſt limitatio prioris; atque uſitatum eſt apud Græcos, ut Participium exponatur per Subjunctivum.

Obſerv. 1. Eſt itaque tempus orandi commodiſſimum tempus pro Dei beneficiis gratias agendi: oratio etenim eſt *Elevatio mentis ad Deum*, & tum potiſſimùm gratiæ Deo agendæ ſunt, cùm animus piis affectibus incaleſcit. Aridæ enim & ſteriles gratiæ habentur coram Deo, quæ ex primoribus tantùm labiis profluunt; ex imo pectore hauriendæ ſunt, quod fervefactum oratione Dei gloriam & laudes non dicis cauſâ, ſed ſeriò ſolet celebrare.

Obſerv. 2. Illud etiam hinc colligimus, gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, eſſe aditum commodiſſimum ad petitionem novorum beneficiorum, ſive pro nobis, ſive pro aliis; hæc eſt enim methodus Paulina, Gratias agit Deo pro bonis in Coloſſenſes collatis, deinde a Deo poſtulat horum donorum confirmationem, ut poſteà audietis. Atque hactenus de Propoſitione gratulatoria: ſequitur Narratio & Illuſtratio cauſarum hujus gratiarum actionis.

Narratio verſu quarto, ibi enim nominat ea bona, quæ illum ad gratias Deo agendas excitârunt, *Fidem* ſcilicet illorum & *Charitatem*. Illuſtratio uſque ad nonum.

VERS. 4. *Auditâ Fide veſtrâ in Chriſto Ieſu, & charitate in omnes ſanctos.*

IN hoc quarto verſu explicat (uti dixi) cauſam gaudii & gratulationis ſuæ; id autem facit per enumerationem quorundam donorum ſpiritualium, quæ eminebant in Coloſſenſibus. Inſtat autem hîc in duobus; *Fide* ſcilicet & *Charitate*; atque utrunq; donum illuſtrat appoſitione objecti, non adæquati, ſed primarii & principalis, *Fide in Chriſto, Charitate in Sanctos.*

Fide veſtrâ] Per *Fidem* hîc intelligit Profeſſionem Chriſtianæ religionis quam amplexi ſunt Coloſſenſes, Miniſterio & prædicatione Epaphræ, & aliorum: neque ſolùm externam fidei profeſſionem, ſed internam & ſinceram in corde habitantem fidem: in priori enim ex regula charitatis ſemper præſumenda eſt poſterior, niſi hypocriſis & impietas detegatur, quæ prodant contrarium.

Hanc fidem primo in loco ponit, & præponit cæteris donis ſpiritualibus, quòd eſt ſuâ naturâ reliquis prior: eſt enim fundamentum & radix pietatis & religionis; eſt porta vitæ, per quam Deus primò ingreditur in mentem humanam; eſt baſis ſpiritualis ædificii. Nam ut in Creatione lux præceſſit reliquas creaturas, *Dixit enim Deus, Fiat lux, & fuit lux die primo*; ſic in opere recreationis dicit Deus, Fiat lux fidei, & ea primò in mente refulget, dein aliæ virtutes ſequuntur. Ipſa prima acceſſio ad Deum fit per fidem.

Hebr.

Hebr. 11. 6. Prima purificatio cordis humani fit per fidem. Actor. 15. 9.

Vt opera noſtra placeant Deo, primo in loco fides requiritur. Hebr. 11. Vnde Proſper de vita contemplat. 3. 21, præclarè ſcribit, *Fidem eſſe juſtitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt, ſed ex qua omnia procedunt; ipſa nos à peccatis purgat, Deo conciliat, &c.*

Hinc liquet, quicquid fit ab hominibus infidelibus, quantumvis ſanctum & pium videatur, eſſe tamen cadaver & ſimulachrum boni operis, non bonum opus, neque remunerabile ullâ mercede quæ veræ pietati promittitur. *Obſerv.*

Pauca Patrum teſtimonia apponemus, quia Pontificii qui fidem in omnibus deprimunt, & opera extollunt, hiſce infidelium operibus meritum aliquod adſcribunt.

Clemens Alexand. Stro. 1. *Nihil hominibus poſt vitæ finem proderit, etiamſi nunc rectè operentur, niſi fidem habeant.* Auguſtinus: *Quiſquis in Deum fidem rectam non tenet cum omnibus ſuis laudabilibus moribus de hac vita, damnandus abſcedit:* lib. 3. contra duas epiſt. Pelag. cap. 5. *Omnis infidelium vita peccatum.* Proſp. ſent. 106. *Cùm deeſt agnitio Dei, omnis juſtitia eſt ſimilis humano corpori caput non habenti*: Lactant. 6. 9. Plura non accumulo; hæc ſatis oſtendunt cur Apoſtolus, primo in loco, Deo gratias agit ob fidem Coloſſenſium, quia ſcilicet abſque fide nihil poteſt eſſe Deo gratum & acceptum. Hæc de primo dono.

In Chriſto Ieſu] Oſtendit fidei Chriſtianæ objectum, non generale aut adæquatum, ſed principale; &, ſi actum juſtificationis ſpectemus, proprium.

Generale & adæquatum objectum fidei eſt, omnis veritas à deo revelata in Scripturis. Cui reſpondet generalis quædam fides, quę certâ perſuaſione ſtatuit veriſſima eſſe, quæcunque in verbo Dei patefacta ſunt. Sed hic generalis fidei aſſenſus non poteſt juſtificare; quia juſtificatio affert ſecum pacem conſcientiæ, purificationem cordis, liberum acceſſum ad Deum, & multa alia quibus procul dubio carere poteſt aliquis, firmiter nihilominùs credens Scripturam totam eſſe veram & à Deo inſpiratam. Ipſe enim Diabolus novit Scripturas, & à veritatis authore profectas agnoſcit. In hoc itaque generali fidei objecto, ſcilicet verbo Dei, ineſt unum ſpeciale & principale objectum, quod eſt à fideli principaliter conſiderandum, & ad quod omnia alia, quæ traduntur in Scripturis, habent quendam reſpectum, & attributionem, ut loquitur Durandus in prologo ſent.

Hoc autem Objectum eſt Chriſtus Ieſus ſub ratione Mediatoris & Salvatoris (quod innuitur ſub ipſis nominibus; nam Chriſtus Ieſus nihil aliud ſonat quàm unctus Salvator.) Patet autem ex Scripturis hunc eſſe fidei principale objectum, & reliqua omnia

quæ

quæ traduntur in Scripturis Chriſtum tanquam metam & ſcopum ſpectare. Ioan. 5. 39. ***Scrutamini Scripturas, illæ teſtantur de me:*** & paulò pòſt, ***Moſes de me ſcripſit.*** Sic Lucæ ult. verſ. 44. *Oportebat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Moſe, & Prophetis, & Pſalmis de me.* Sic de tota Lege dictum eſt, quòd *fuit Pædagogus nobis ad Chriſtum.*

Hunc Prophetæ depingebant, hunc Legis ceremoniæ adumbrabant, hunc denique cum ſuis beneficiis Evangelium nobis offert & exhibet. Rectè itaque Apoſtolus ſpeciale, & principale objectum fidei poſuit, non verbum Dei in genere, ſed Chriſtum Ieſum Salvatorem & Mediatorem noſtrum: qui principaliter conſideratur à fideli, & ad quem omnia in Scripturis habent attributionem.

Corol. Hinc jam conſequens eſt, quòd Actus proprius & principalis fidei juſtificantis, ſit apprehenſio & applicatio particularis gratuitarum promiſſionum, quæ fidelibus offeruntur in hoc Chriſto Mediatore. Quæ fides particularis ac juſtificans includit fidem generalem; nam ſi vacillaret in genere de veritate verbi divini, non poſſet in ſpecie de promiſſionibus nobis factis in Chriſto Mediatore confidere; ſed juſtificat, non quatenus in genere aſſentitur verbo divino, ſed quatenus applicatur huic ſuo principali & proprio objecto, nempe promiſſionibus gratiæ in Mediatore.

Quod patet, Primò, quia ***Iuſtificatio peccatoris pertinet ad bonitatem, & miſericordiam Dei ſe ſuperabundanter diffundentem***; ut loquitur Thomas, 1. quæſt. artic. 6. 45. At Dei bonitatem & miſericordiam nec quærere, nec apprehendere poſſumus aut debemus, extra promiſſiones gratiæ, quæ factæ ſunt & ſancitæ in Chriſto Mediatore; ergò in his ſolis, ut in proprio objecto, exercetur actus fidei juſtificantis, quando & quatenus juſtificat.

Secundò, patet à diſtributione Scripturę; dividitur enim in Legem & Evangelium: at in Legis doctrinâ non quæritur aut habetur juſtificatio. Non in illa parte quæ præcipit obedientiam & remunerationem pollicetur implentibus mandata ejus; quia conſcientia uniuſcujuſque teſtatur, non poſſe nos hoc pacto Legali juſtificari. Multò minùs in illâ alterâ parte, quæ continet comminationes & pœnas debitas violantibus Legem; quia hæc doctrina non ſalutis ſpem affert, ſed gehennæ metum incutit. Reſtat itaque ut juſtificatio in Evangelio, id eſt, in promiſſionibus gratiæ quæratur; & actus fidei quatenus juſtificat, in haſce præcipuè dirigatur.

Tertiò, ex claris Scripturæ teſtimoniis hoc evincimus. Actor. 13. ver. 39. ***Per Chriſtum annuntiatur remiſſio peccatorum, & ab omnibus à quibus non potuiſtis per legem Moſis juſtificari, per hunc quiſquis credit juſtificatur.*** Et Rom. 3. 21. *Abſq; Lege juſtitia Dei patefacta eſt, comprobata teſtimonio Legis, ac Prophetarum.*

Iuſtitia, inquam, ***Dei per fidem Chriſti ſuper omnes qui credunt.*** Hæc ideo à me fuſiùs diſputantur, quia Bellarminus de juſtif. lib. 1.

cap.

cap. 8. &c. dicit, Fidem justificantem esse generalem assensum ad omnia quæ in verbo Dei continentur, & hujus objectum facit, non promissiones gratiæ, sed omne à Deo revelatum. Si illud vult, fidem justificantem assentiri toti verbo divino, nos lubenter concedimus: at si negat habere in verbo principale quoddam objectum quod respicit præ aliis in ipso actu justificandi, scilicet Christum Mediatorem, & gratuitas ejus Promissiones de remissione peccatorum, adversatur Paulo, qui centum in locis Christum nominat ut principale objectum fidei, non verbum in genere: repugnat etiam suo Aquinati, qui dicit, *Fidem in justificationis actu, ne Articulos quidem omnes fidei, multò minùs totum Dei verbum ex æquo respicere & cogitare; sed solummodò Deum, ut peccata remittentem.* Sed hic dubium, quod a Scholasticis movetur, breviter solvendum est.

Quærunt quomodo Christus potest esse objectum fidei, cùm fides habeat pro objecto suo enuntiabile, vel propositionem à Deo revelatam; Christus sit res, & (ut Dialectici loquuntur) vox incomplexa, non propositio in quâ cernitur veritas vel falsitas.

Respondetur, objectum fidei appellari vel illud quod creditur, vel illud de quo aliquid creditur: quod creditur, est propositio vel enuntiabile; de quo creditur, est res simplici termino significata, ut loquitur Durandus. Apertiùs Thomas: Objectum fidei dupliciter consideratur; ex parte rei creditæ, & sic objectum fidei est semper aliquid incomplexum, scilicet, Res ipsa de qua fidei propositiones formantur, ut Christus, Resurrectio, Iudicium extremum, Creatio, & similia: vel ex parte credentis; & sic objectum fidei est illud enuntiabile, quod de illa re fides apprehendit, ut, quòd Christus est Mediator & Servator, quòd corpora nostra resurgent, quòd Christus veniet judicare mundum, quòd Deus creavit mundum, & similia. Atque hæc de primo dono, scilicet fide, & ejus objecto, nempe Christo.

Et charitate in omnes Sanctos] Hoc est illud alterum donum, unde Apostolus occasionem sumpsit gratias agendi Deo nomine Colossensium: adjungitur etiam & quoddam speciale objectum hujus virtutis, scilicet *Sancti*.

De ipso dono, quid sit, primò inquirendum. Putavit Lombardus, lib. 1. dist. 17. Charitatem nihil aliud esse quàm ipsum Spiritum Sanctum immediatè moventem voluntatem ad actum dilectionis. Hanc enim differentiam ponebat inter Charitatem & alias virtutes, quòd Spiritus sanctus ad actus aliarum virtutum movebat animam mediantibus quibusdam habitibus infusis, sed ad actum dilectionis immediatè per seipsum, absque aliquo habitu creato vel infuso. Nitebatur autem præcipuè illo loco Ioannis, 1. epist. 4. cap. 8. ver. *Deus est charitas:* & rursus versu 16. *Deus charitas est, & qui manet in charitate manet in Deo, & Deus in eo.* Sed

hæc ſententia nullo modo ferenda eſt; ut enim fides & ſpes ſunt dona creata, ſic etiam charitas eſt habitus creatus a Deo, quo voluntas inclinatur ad diligendum Deum ſuper omnia, propter ſe, & cæteros omnes propter Deum. Nam ſi charitatis actus eſſet immediata motio voluntatis à Deo ſine habitu infuſo, ſequeretur; Primò, quòd charitatis actus non eſſet voluntarius, quia non provenit neque à voluntate naturaliter (charitas enim eſt ſupra naturam) neque à voluntate ut perficitur habitu ſupernaturali; ſed tantùm à voluntate, ut movetur tanquam inſtrumentum ſuperioris cauſæ; quemadmodum manus vel pes poſſit moveri ab alio. Secundò, ſequeretur quòd homo in charitate non haberet tamen promptitudinem aliquam, aut delectationem in charitate exercendâ: nam promptitudo & delectatio in actibus arguit habitum vel acquiſitum vel infuſum.

Ipſa etiam Scriptura huic commento Lombardi repugnat, & clarè docet ἀγάπην, ſeu charitatem noſtram, non eſſe Spiritum ſanctum, ſed καρπὸν πνεύματος, Gal. 5. 22. Patres etiam reclamant: Ἀγάπη ἐστὶ διάθεσις ψυχῆς ἀγαθὴ, *Eſt animi bonus affectus quo efficitur, ut nihil Deo præferat*, Maximus 1. Centur. ſenten. Tom. 7. Et Proſper: *Charitas eſt recta voluntas ab omnibus terrenis averſa, & Deo inſeperabiliter unita, ab igne quodam Sancti Spiritus incenſa*: de vita contemp. 3. 13. Dicit charitatem incenſam à Sancto Spiritu, non ipſum Spiritum ſanctum. Ad locum ex Ioanne allatum, *Deus eſt Charitas*, facilis eſt reſponſio: Deus enim charitas dicitur cauſaliter, non formaliter (ut loquuntur Scholaſtici) id eſt, quoniam cauſat in nobis charitatem; eſt enim perennis fons unde ad nos dimanat charitas noſtra, & omnes aliæ virtutes. Vel dici poteſt Deus Charitas eſſentialiter, quemadmodum dicitur Deus ſapientia & juſtitia, quia hæc attributa non ſunt accidentia in Deo, ſed unica & eadem Dei eſſentia. Sed hoc nihil impedit quin charitas noſtra poſſit eſſe donum creatum, quemadmodum prudentia noſtra & juſtitia, & ſanctitas ſunt dona creata, quamvis Deus rectè dicatur ipſa prudentia, & ipſa ſanctitas, & ipſa juſtitia.

Videmus quid ſit Charitas. Iam ſecundo in loco, quoniam ab Apoſtolo connectitur cum fide, quæramus de connexione fidei & charitatis, ſcilicet, An vera fides poſſit eſſe ſine charitate.

Primò, concedimus poſſe mentem hominis ità illuſtrari ut credat Deo, id eſt, ut aſſentiatur verbo divino in genere, & tamen interim ſit expers charitatis: hanc *fidem informem* appellant Scholaſtici, nos *fidem hiſtoricam*, ſive *fidem generalem*. Sic Antiſſiodorenſis perantiquus Scholaſticus, lib. 3. *Fide informi credimus Deo, id eſt, quòd ſit Deus, & quòd Deus ſit omnipotens, & multa alia.* De hoc etiam loquitur Iacobus, cap. 2. *Quid prodeſt ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?* Deinde paulò pòſt, *Diaboli credunt & contremiſcunt.*

Sed

Sed eſt alia etiam fides, quam nos juſtificantem appellamus, Scholaſtici formatam, quæ non ſolùm credit Deo, ſed in Deum, id eſt, quæ apprehendit Deum, ut ſibi placatum & reconciliatum in Chriſto; atque hanc dicimus nunquam ſejungi à charitate. Prior eſt ſimplex irradiatio, non virtus Theologica; hæc poſterior eſt primaria inter tres illas celebres Theologicas virtutes. Hujus autem nexus perpetuus cum charitate probatur multis rationibus.

Quia hæc fides Deum apprehendit ut bonum & miſericordem & ſalutis authorem ſibi per Chriſtum; at hæc apprehenſio parit amorem Dei neceſſariò: Sic enim Antiſſiodorenſis, *Æſtimatio qua aliquis æſtimat per fidem Deum eſſe Summum bonum ſuum, generativa eſt deſiderii illius boni*, lib. 3. 1

Quia fides juſtificans ſanctificat & purificat corda; at cor expers charitatis non eſt ſanctificatum, aut purificatum. 2

Quia omnis qui credit verâ fide & juſtificante, habet jus ad vitam æternam. Sic enim Baptiſta, *Qui credit filio, habet vitam æternam.* Et Paulus ad Galatas, *Omnes filii Dei eſtis per fidem:* ſed hæc nemini competunt qui eſt expers charitatis. 3

Ipſi Scholaſtici docent, tres illas virtutes Theologicas ſemper eſſe connexas. Sic Antiſſiodorenſis, *Omnes virtutes ſunt connexæ: Nam fides eſt neceſſaria cauſa ſpei & charitatis*, lib. 3. De connexione autem Fidei & Charitatis in ipſo actu credendi ſic Pariſienſis: *Fides viva non eſt ſolummodò lumen, ad oſtendendum credita; ſed vita ad movendum, ad illa facienda vel declinanda, quærenda vel fugienda.* Et Durandus, *Credere in Deum non eſt præcisè actus fidei, ſed actus fidei & charitatis ſimul.* 4

Ex his patet, cùm Papiſtæ diſputant veram fidem poſſe à charitate ſejungi, illos vel ambiguitate vocabuli ludere, vel ſuis Scholaſticis repugnare. Fides enim illa, quæ eſt expers charitatis, differt ſpecie ab hac juſtificante; hæc enim eſt virtus Theologica, illa non eſt: differunt objecto; hæc enim Deum ſibi in Chriſto reconciliatum apprehendit, illa non poteſt apprehendere: differunt effectibus; hæc enim pacem conſcientiæ affert, illa timorem: differunt actibus; hujus enim actus eſt credere in Deum, illius eſt tantùm credere Deo, ut anteà oſtendimus.

Reſtat ultima quæſtio quæ ſpectat ad fidem & charitatem: ſcilicet an charitas ſit ità conjuncta cum fide, ut ſit forma fidei? Sic videtur Thomæ, Durando, & aliis recentioribus. Imaginantur enim fidem per ſe eſſe quiddam mortuum & inanime; & quicquid vitæ vel meriti habeat, illud mutuari à charitate tanquam ab animâ & formâ ſuâ.

At contrà pugnat (quem ſæpe nominavi) Antiſſiodorenſis, lib. 3. ubi defendit, fidem veram & formatam eſſe naturâ priorem charitate.

Juſtus ex fide vivit; ergò ex fide diligit; ergo fides viva eſt prior *Ratio* 1.

naturâ quàm charitas, & proinde non formatur, & vivificatur à charitate.

Ratio 2. Ex 1ª. ad Timoth. 1°. ver. 5°. *Finis mandati eſt charitas ex puro corde, & fide non fictâ*; ergò vera fides, & cor purificans parit charitatem : & per conſequens non eſt formata à charitate.

Ratio. 3. Motus fidei formatæ præcedit motum charitatis; ergò ipſe habitus fidei formatæ naturâ præcedit habitum charitatis. Nam priùs in Deum credimus, & fidem noſtram reponimus, quàm illum amare poſſumus.

Ratio. 4. Ex Apoſtolo ad Galatas, *In Chriſto Ieſu neque circumciſio valet, neque præputium, ſed fides quæ per dilectionem operatur*; ergò fides eſt efficiens cauſa charitatis, & proinde charitas non eſt forma fidei, ſed filia vel famula. Sed cùm in anguſtias contrudantur, explicare conantur ſuam ſententiam hunc in modum. Charitatem eſſe formam fidei, non eo modo quo in naturalibus forma dicitur informare materiam; ſed hoc tantùm reſpectu, quòd per charitatem actus fidei perficitur: nam fides habet omnem ſuam efficaciam & meritum à charitate : ſic Thom. 2ª.2ª. qu.4. art.3. & qu. diſp. de fide, artic. 5. Et Durandus lib. 3. diſtin. 23. quæſt. 8. Charitas non eſt forma fidei inhærens, ſed extrinſeca; nec informat fidem quoad eſſe naturæ, ſed quoad eſſe meritorium.

Sed hæc omnia falſa ſunt & infirma. Nam primò, charitas nec elicit nec perficit proprium actum fidei; quia etſi ſunt ſimul tempore, tamen naturâ actus fidei & etiam habitus præcedit actum & habitum charitatis.

Secundò, non reddit illum meritorium, ut illi opinantur, vel acceptum Deo; ſed è contrà, vis merendi (ut illi loquuntur) id eſt, actus noſtros acceptos efficiendi, priùs & principaliùs ſita eſt in fide quàm in charitate. Sine fide enim impoſſibile eſt ut diligendi actus ſit Deo acceptus. Priùs etiam renatus proprio intellectui renunciat per fidem, quàm propriæ voluntati per charitatem. Non eſt itaque charitas forma, ſed filia veræ fidei. Hactenus ipſum donum charitatis conſideravimus; jam ad objectum veniamus.

In omnes Sanctos] Vbi duo notanda. Objectum charitatis hoc in loco ſpecificatum, *Sancti*; & latitudo Objecti, *Omnes* Sancti.

Per Sanctos intelligit Apoſtolus Baptizatos & Chriſtianam religionem profitentes, ut anteà expoſuimus : tales enim charitas præſumit eſſe reverà Sanctos.

Quod attinet ad Objectum charitatis, ſciendum eſt, Sanctos neque ſolùm eſſe objectum Charitatis, nec primarium; nam ut ſcribit Auguſtinus de doctrin. Chriſt. 1. 25. *Quatuor ſunt nobis ex charitate diligenda; unum quod eſt ſupra nos, ſcilicet Deus; aliud quod nos ſumus; tertium quod eſt juxta nos, ſcilicet proximus; quartum quod eſt infra nos, ſcilicet corpus proprium*: de hiſce omnibus breviſſimè.

Principale

Principale itaque objectum charitatis, & etiam formale, eſt ipſe *Deus:* ipſe enim amatur per ſe, reliqua omnia in ordine ad illum; & quatenus ſimilitudinem divinam, & beatitudinem aut participant, aut poſſunt participare. Cùm itaque Apoſtolus celebrat Coloſſenſium charitatem in Sanctos, non excludit, ſed ex neceſſitate ſupponit charitatem in Deum: ut enim color non videtur ſine lumine, quia lumen eſt ratio videndi colorem; ſic proximus non amatur ſine amore Dei, quia Deus eſt ratio amandi proximum. Hinc Servator in duobus illis magnis mandatis, præmittit amorem Dei ut cauſam & fontem amoris proximorum. Mat. 22. 39. Hinc etiam Auguſtinus Confeſſ. lib. 10. cap. 29. ***Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*** 1

Secundum charitatis objectum Auguſtinus unicuique ponit *Seipſum*, & rectè: nam ut obſervavit Philoſophus, Eth. 9. cap. 8. Ἀπ' ἀυτῦ πάντα τὰ φιλικὰ ἡ πρὸς τὺς ἄλλυς διήκει. Et ipſe Deus in mandato de amando proximo, amorem ſuiipſius includit, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Ratio etiam manifeſta hoc evincit. Cùm enim charitas fundetur ſuper communicationem divinæ fruitionis, vel beatitudinis; unuſquiſque quatenus ſe divinæ fruitionis participem eſſe poſſe intelligit, tenetur ſeipſum amare, & hoc bonum divinum ſibi optare quod eſt charitatis proprium. 2

Imò & hoc adjungamus, neminem poſſe ex charitate Deum amare, qui non ſimul ex charitate diligat ſeipſum: qui enim Deum amat, vult frui beatitudine divinâ; at hoc bonum ſibi velle, eſt ſeipſum ex charitate diligere. Deinde priùs & intentiùs unuſquiſque Dei fruitionem ſibi optat quàm alteri; ità ut ſi non poſſit pluribus dari, malit unuſquiſque ſibi, quàm cuilibet alii illam à Deo communicari. Et ratio eſt, quia plures cauſæ concurrunt ad amandum ſeipſum hoc modo quàm alium. Alius enim quivis poteſt excidere hoc bono divino, ſine meo damno aut vitio, ipſe non poſſum.

Sed ſi unuſquiſque tenetur ſeipſum amare, idque intentiùs quàm alium hoc amore charitatis, cur nullum expreſſum, & directum præceptum de ſeipſo amando? Imò cur amor ſuiipſius taxatur, 2. ad Timoth. 3. ***Erunt homines amantes ſeipſos.*** *Quæſt.*

Quoniam diligere Deum eſt diligere ſe: ideo cum præcipitur ut Deum diligamus, præcipitur eâdem operâ, ut noſmet diligamus. Nam qui Deum diligit, vult Deo frui, vult Deo uniri; vult igitur ſibi ſummum & maximum bonum, & proinde ſe amat quàm maximè. Reſponderi etiam poteſt datam fuiſſe legem ſcriptam in auxilium legis naturæ, quæ erat obtenebrata per peccatum. Non autem ſic erat obtenebrata quin moveret unumquemq; ad diligendum ſeipſum; ergò non erat opus expreſſo mandato de amore ſuiipſius. Quod autem dictum eſt, amorem ſuiipſius taxari in Scripturis, intelligendum eſt de amore inordinato qui reſpicit bonum ſenſibile; non de amore charitatis qui reſpicit bonum divinum. *Sol.*

Nemo enim poteſt nimis amare, aut nimis optare ſibi bona ſpiritualia; at ſenſibilia & tranſitoria poteſt, & in hoc conſiſtit amor ille vituperabilis.

3 Venio ad tertium charitatis objectum, quod præſens noſtrum inſtitutum maximè ſpectat; hoc autem eſt illud quod eſt *juxta nos*, ut loquitur Auguſtinus; id eſt, *Proximus*.

Proximus autem aliquis dicitur, non tantùm *propinquitate ſanguinis*, ſed *ſocietate rationis*, ut habet Gloſſa. Sic etiam Iuſtinus Martyr: Proximus hominis aliud nihil eſt, niſi ſimilis conditionis & rationis particeps animans. Sed illud obiter notandum eſt proximum à nobis diligi amore charitatis non ſimpliciter quatenus eſt particeps naturæ rationalis, ſed quatenus natura illa rationalis particeps eſſe poteſt beatitudinis divinę: nam in ſocietate fruitionis divinæ fundatur charitas, ut anteà dictum eſt. Inter proximos igitur, id eſt, inter homines, præcipua charitatis noſtræ objecta ſunt ſancti homines, quod Apoſtolus & hîc, & alibi docuit, ad Galatas 6. 10. *Operemur bonum ad omnes, maximè ad domeſticos fidei.* Sic Auguſtinus. *Sanctiora membra majori charitate ſunt amplectenda.* Et venerabilis Beda, *Sanctior eſt copula cordium, quàm corporum.* Facile autem eſt rationem aſſignare, cur Sancti magis à nobis amandi ſunt quàm alii; quia ſcilicet ea quæ eſt formalis ratio charitatis, magis in illis conſpicitur quàm in aliis: Nam ut ea objecta meliùs videntur, quæ ſunt magis in luce poſita, quia lux eſt formale objectum viſus; ſic illi homines magis amantur, qui ſunt Deo magis conjuncti, quia Deus eſt formale & proprium objectum charitatis.

Vltimum charitatis objectum Auguſtinus facit corpus humanum. Quod ideò fecit, quia cùm charitas fundetur ſuper communicatione divinæ beatitudinis; quicquid poteſt beatitudinem illam participare, poteſt eſſe objectum charitatis. Iam verò licèt corpus noſtrum non poſſit frui beatitudine divinâ cognoſcendo & amando Deum, tamen poteſt inſtrumentum eſſe animæ cognoſcentis & amantis in multis operibus pietatis; unde ex beatificatione animæ redundat quædam accidentalis beatitudo ad corpus, ſcilicet immortalitatis & impaſſibilitatis. Atque hæc de objectis charitatis. Iam latitudinem hujus objecti quod hîc ab Apoſtolo exprimitur perpendamus. Charitatem extendi vult ad omnes Sanctos, id eſt, religionis veræ profeſſores.

Omnes] Cùm charitatem ad omnes Sanctos extendit Apoſtolus, intelligendus eſt, non modò de interno affectu, ſed de externo exercitio charitatis, quod cernitur in liberalitate & beneficentiâ erga illos qui indigent ope noſtrâ. Quantum enim in nobis eſt, debemus eſſe benefici in omnes, non modò propinquos vel conſanguineos, ſed extraneos, imò inimicos & improbos. De extraneis habemus praxin Eccleſiæ Apoſtolicæ. Macedones & Achæi

collationem

collationem faciunt in pauperes Sanctos qui habitârunt Hierosolymis: Rom. 15. 26. Sic Corinthii excitantur ut suâ abundantiâ suppleant defectum aliorum. Sic Gaius laudatur ob charitatem in peregrinos: 3. Epist. Ioan. 5. vers. Benè Lactantius; *Quod præstámus nostris per affectum, præstemus alienis per humanitatem.* Poetæ Græci dictum est, Bonum virum, si affluat divitiis, esse κοῖνον θησαυρὸν. De inimicis præcipit Scriptura multis in locis, illos esse diligendos; *Benefacite iis qui oderunt vos*, Matth. 5. 24. Et ad Rom. 12. 2. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*: unde illud Tertulliani ad Scapulam; *Amicos diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum.* Atque hoc maximè indicat vim & efficaciam charitatis. Vt enim ille ignis fervent̃ior & validior est, qui non solùm propinqua, sed longè dissita p̃test calefacere; sic perfectior & vivacior est illa charitas, quæ non solùm ad propinquos, sed ad longissimè remotos, id est, ad inimicos pertingit. Neque putare debemus hunc amorem inimicorum esse rem Consilii non Præcepti; Deum enim non diligit super omnia, qui non diligit inimicum. Quod sic demonstrari potest. 2. Epist. 8. 13

In quovis nostro inimico duo inveniuntur; unum quod est ratio dilectionis, scilicet participatio similitudinis divinæ, & possibilitas beatitudinis participandæ; alterum quod est ratio odii, scilicet quod nobis injuriam infert & adversatur: si itaque, prætermissâ ratione amoris, toti convertamur in odium, inimicitia nostra præponderat amori divino. Iam quod attinet ad homines palam impios, quales sunt ebrii, adulteri, perjuri, ne hos quidem deserit charitas Christiana. *Charitas*, enim, *omnia sperat*: 1. Cor. 13. 7. Sperat itaque hos ad Deum converti posse, & participes fieri communionis sanctorum, & beatitudinis æternæ; vir itaque pius odit improbum, sed perfecto odio. Perfectum autem odium est, quod nec justitiâ, nec scientiâ caret, id est, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.

Ex hisce itaque manifestum est, charitatem Christianam complecti omnem rationalem creaturam extra dæmones & damnatos: quia omnes aut sunt, aut saltem quoad nos possunt esse participes sanctitatis & beatitudinis: dæmones autem & damnatos charitas relinquit, quia Deus illos reliquit. Bonum itaque vitæ æternæ quod charitas potissimùm respicit non possumus illis velle, quia hoc repugnaret charitati quæ Dei justitiam approbat, & ejusdem voluntati revelatæ acquiescit. Atque hæc dixisse sufficiat, de virtute charitatis, de objecto & latitudine objecti: quæ ex his corollaria, vel ad instructionem, vel ad informationem morum, vel etiam ad reprehensionem deduci possent, quia nimis diu in hisce jam hæsimus, penitus prætermitto, & progredior.

VERS. V.

Propter spem sepositam vobis in cœlis: quam priùs audistis per sermonem veritatis, id est, *Evangelii.*

SVperiore versu explicavit causas suæ gratiarum actionis, nimirum Fidem & Charitatem Colossensium: jam pergit in iisdem illustrandis & confirmandis, à causa finali, & instrumentali. Causa finalis, *Spes reposita in cœlis.* Causa instrumentalis, *Sermo Evangelii.* Sed quia de connexione & etiam de sensu ipsorum verborum litigatur, hæ dubitationes sunt priùs expediendæ, quàm ad subjectæ materiæ tractationem accedatur.

Alii connectunt hæc verba, διὰ τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ὑμῖν, cum verbo illo εὐχαριστοῦμεν, quod positum est in principio versus tertii; hoc sensu, Gratias agimus Deo, auditâ fide vestrâ & charitate, quia nos indè intelligimus vos esse ex illis quibus reponitur æternum præmium in cœlis. Sic Athanasius.

Alii hæc verba referunt ad versum proximè præcedentem, hoc sensu, Gratias agimus Deo, auditâ fide vestrâ & charitate, quam fidem & charitatem amplexi estis, & in illis perseveratis; *Propter spem repositam in cœlis*, id est, propter cœlestem beatitudinem. Nam spes hîc ponitur pro rebus speratis, quemadmodum fides sæpe capitur pro ipsis rebus quæ creduntur. Sic Chrysostomus & Theodoretus. Jam ad ipsa Apostoli verba redeamus.

Propter spem sepositam, &c.] Potuit aliquis Colossensium à Paulo quærere, Cur tantas Deo gratias agis ob fidem & charitatem nostram? Quid indè boni ad nos redundabit? Nonne fideles & pios ab omnibus spretos & conculcatos conspicis? Occurrit Paulus, Ego gratias ago, non propter temporale commodum quod percepturi estis, sed propter cœlestem beatitudinem quam indè scio vobis reservatam.

Hîc autem notentur tria. Nomen cœlestis præmii dicitur ἐλπὶς, *spes nostra.* Modus; dicitur non protinus collatum, neque solummodò propositum & oblatum, sed nobis *repositum* vel *sepositum* præmium. Denique notetur locus, *In cœlis.*

Propter spem] Sub spei nomine comprehenditur, quicquid boni in vita gloriæ speratur: voluit autem hoc vocabulo cœlestem beatitudinem designare.

Primò, ut indè intelligamus præmium hoc cum patientia à nobis expectandum; sic enim Apostolus ad Romanos, 8.25. *Si id quod non videmus speramus, nempe per patientiam expectamus.* Patiens expectatio est spei effectum proprium, & ideo valdè necessarium, quia quicquid speratur, differtur: dilatio autem suâ naturâ affligit, nisi adsit patientia quæ sustentet animum. Est autem illa Patientiæ vox, quam Tertullianus expressit in libro de Anima. *Quærat ali-*

quis

quis, quando perveniam ad hoc ſperatum gaudium? reſpondet patientia, *Cùm Deus dederit: nullæ ſunt longæ moræ ejus quod certò eveniet.*

Secundò, beatitudo promiſſa dicitur *ſpes* noſtra, id eſt, illud quod ſperamus, per Antonomaſian, ut hinc colligamus hoc ſolum objectum dignum eſſe in quod figatur ſpes noſtra; cætera verò caduca & tranſitoria, quæ vulgò ſperantur & expetuntur, eſſe potiùs conculcanda quàm ſperanda aut expetenda, ſi ad hoc præmium cœleſte conferantur.

Vltimò, hoc vocabulo taxantur carnales & mundani qui futuram beatitudinem nec curant nec ſperant; inhiant tantùm præſentis vitæ voluptatibus, & in eas ſe ingurgitant. Sed, ut loquitur Cyprianus, *Hoc ipſum quòd ſumus Chriſtiani, ſpei res eſt.* Si non ſolatium & gaudium invenis in rebus ſperatis, fruſtra Chriſtianus es. Hæc de nomine præmii. *De bono patien.*

Sepoſitam, Ἀπακειμένην] Hîc modum præmii innuit, modum ſcilicet quo ſpectat nos præſenti hoc ſeculo. Non donatur nobis, nec in poſſeſſionem ejus ſtatim introducimur: hoc enim everteret naturam ſpei, & rei ſperatæ. Eſt enim fruitio non ſpes rerum præſentium & habitarum. Vnde Apoſtolus: *Spes ſi cernatur non eſt ſpes; quod enim quis cernit, cur ſperet?* Rom.8.26.

Neque hoc præmium dicitur tantùm oblatum nobis, & propoſitum; nam hoc ſpem noſtram infirmaret, ſi certitudo rerum ſperatarum penderet ex nobis, & diſpoſitione noſtrâ; ità ut vel daretur nobis, vel negaretur, pro merito operum noſtrorum.

Sed dicitur *ſepoſitum nobis*, id eſt, quaſi in depoſito reconditum apud Deum Patrem noſtrum. At ſi quid in depoſito ſit nobis vel apud probum & honeſtum virum, nihil dubitamus de futura ejus recuperatione; imò in eum finem apud alium deponuntur bona noſtra, quia veremur ne in tuto eſſe non poſſint apud nos. Cùm igitur Apoſtolus vocat regnum cœlorum Ἐλπίδα ἡμῖν ἀπακειμένην, oſtendit, pios certos eſſe debere de conſecutione vitæ æternæ; quia eſt tanquam theſaurus filiis ſuis reconditus apud ipſum Deum Patrem eorum: hinc illud Chriſti dictum Lucæ 12.32. *Ne timeas grex puſille; quia vult Pater veſter dare vobis regnum.* Egregiè ſcribit de hac certitudine piorum Clemens Alexand. *Vir fidelis habet Deum quem dilexit; & per fidem accepit quod eſt incertum aliis, ac* κρείττω ἐπαγγελίας; *futura veluti præſentia poſſidet, imò tam certam habet perſuaſionem, ut magis ea adeſſe putet quàm præſentia.* Vnde hæc tanta certitudo, niſi quia ſcit hoc præmium eſſe ſibi *ſepoſitum?*

In cælis] En locum præmii, ex quo docemur, tale eſſe hoc præmium, quod habenti ſemel nunquam poſtea eripi poſſit. Sic enim Servator, Lucæ 12. *Hùc fur non accedit, nec tinea hîc corrumpit quicquam:* quaſi diceret, omnia in cœlis poſita, eſſe extra ja-

ctum fortunæ, & periculum jacturæ.

Secundò, ex eo quòd *in cœlis* reponitur præmium ſperatum, datur intelligi, illud non eſſe aliquid humile aut abjectum; ſed divinum, magnificum, & planè cœleſte. De terrenis omnibus rectè cecinit Prudentius,

Hymno ad Galli cant.

Aurum, voluptas, gaudium,---opes, honores, proſpera,
Quæcunque nos inflant mala,---ſit mane, nil ſunt omnia.

Sed ut hæc terrena fluunt & evaneſcunt, & nihil habent fixum aut permanens; ſic cœleſtia ſtant in ſoliditate perpetuitatis ſuæ, & nihil habent evanidum aut fluens. Pariſienſis de retributione Sanctorum.

Vltimò, Si ſpes noſtra ſit ſepoſita in cœlis, ibi debet perpetuò verſari animus noſter: *Nam ubi theſaurus, ibi cor:* Luc. 12. 34. Eſt illa vox Pauli cujuſcunque veri Chriſtiani vox; *Noſtra converſatio eſt in cœlis, unde Servatorem expectamus:* ad Philip. 3. 20. Hinc Clemens eleganter ſcripſit, *Fidelem quemlibet eſſe, etiam in terrâ, cœleſtis naturæ & vitæ* μεδόριον. Strom. 2. At en nos cepit cœlorum oblivio! ut jure poſſit in nos intorqueri illud Prudentii,

Nemo animum ſummi memorem genitoris in altum
Excitat, ad cœlum mittit ſuſpiria nemo. In Hamart.

Atque hæc de præmio ſperato, de modo quo nos ſpectat in præſenti vita, & etiam de loco hujus præmii. Reſtat ut aliquid dicamus de illa Chryſoſtomi & Theodoreti interpretatione, quam ſuprà tetigimus.

Verba hæc, *propter ſpem repoſitam vobis in cœlis*, Chryſoſtomus refert ad ipſam charitatem & fidem Coloſſenſium; quaſi diceret, Vos credidiſtis, & charitatem exercuiſtis erga fratres, propter ſpem repoſitam in cœlis, id eſt, propter mercedem cœleſtis beatitudinis. Neceſſe eſt aliquid de hac interpretatione dicere, quia & verba ferunt illam, & multi interpretes eam ſequuntur.

Quia autem in cæteris convenit cum priori interpretatione, in hoc uno differt, quòd ponit *ſpem in cœlis repoſitam* cauſam motivam, non reſpectu gratiarum actionis in Paulo, ſed fidei & charitatis in Coloſſenſibus; hanc unicam quæſtionem diſceptabimus.

Quæſt. An liceat bona opera facere, qualia ſunt credere in Chriſtum, amare Sanctos, intuitu mercedis vel propter mercedem in cœlis

Object. 1. repoſitam? Contra objicitur ex Ioan. 10. 12 ubi ipſe Servator reprehendit mercenarios, qui propriam utilitatem ſibi proponunt in paſcendis Dei ovibus.

Sol. Non vituperantur quòd expectant mercedem æternam à Deo promiſſam bene operantibus, ſed quòd mercedem temporalem, eámque ſolùm reſpiciebant; & interim opus à Deo mandatum negligebant: *Mercenarius eſt, & non eſt illi cura ovium*, 13. verſ.

Object. 2. Operari propter mercedem eſt ſervorum non filiorum; at nos filii ſumus; ergò non debemus intueri mercedem inter operandum.

Sic

Sic propter mercedem operari, ut quis absque mercede nollet Deo servire, est revera sordidum & servile, neque decet filium patris sui amantem, ut inter laborandum respicere mercedem à patre promissam, neque servile est neque sordidum. *Sol.*

Credere in Deum, vel diligere Deum (sive proximum) propter mercedem beatitudinis, est diligere propter aliud, sed non debemus in Deum credere vel Deum amare propter aliud, sed propter se; ergò non propter mercedem beatitudinis. *Object. 3.*

Ipse Deus est merces promissa fidelibus, ergò dum æternam mercedem expectant & intuentur, non aliud à Deo intuentur. Sed si mercedem intelligimus, non ipsum Deum, sed ipsum actum fruendi Deo; tum respondendum est aliter, scilicet non ità esse respiciendam hanc mercedem, ut sit finis Dei amati, sed tantùm ut sit finis actionis nostræ, id est, dilectionis & amoris nostri. Atque hoc licitum est, quia minus bonum licitè ordinatur ad majus, tanquam ad suum finem; atqui ipsa fruitio Dei in patriâ est majus bonum quàm fides aut dilectio Dei in viâ; ergò fides & charitas licitè ordinantur ad eum tanquam ad finem. *Sol.*

Patres etiam afferuntur nonnulli contra hanc sententiam. Clemens Alexandrinus Strom. 4. asserit, *Virum bonum & perfectum nihil boni facere vel propter metum pœnæ, vel propter spem mercedis, sive ab hominibus, sive ab ipso Deo.*

Bernardus in libro de diligendo Deo citatur à Durando in hanc sententiam, *Licèt Deus sine præmio diligi non possit, non tamen est ei intuitu præmii serviendum.*

Vtrique eadem responsio danda est, scilicet Mercedem non debere spectari, ut solum, vel ut principale motivum, sed Deum, ejusq; gloriam, tanquam ultimum finem respiciendum; nostram verò beatificam visionem, ut finem sub fine; ideò enim appetimus mercedem beatitudinis, ut secuùs & ardentiùs Deum diligamus in æternum. Solutis hisce objectionibus, veritas stabilienda est rationibus ex Scriptura petitis.

Quod à Sanctis factum, & in Scripturis laudatum, id licet facere; sed Sancti mercedem hanc respexerunt, & hoc in laudem eorum recitatur. *Ratio 1.*

David, Psalmo 119. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Moses, Heb. 11. 26. *Aspiciebat in remunerationem*, ἀπέβλεπεν εἰς μισθαποδοσίαν. Paulus ad Philip. 3. 14. *Scopum versus feror ad palmam supernæ vocationis.*

Recta ratio jubet agentem intueri finem actionis suæ; est enim de ratione finis, ut appetatur, & sui desiderio accendat efficientem ad agendum; finis enim est principium ex quo in agendis ratiocinatur intellectus practicus de his quæ sunt ad finem. Sed beatitudinis merces est finis propositus fidei, charitati, & omnibus bonis operibus, ut patet 1. Pet. 1. 9. *Vt reportetis finem fidei vestræ, salutem animarum.* *Ratio 2.*

Ratio. 3.

Ipſe Deus hanc mercedem protendit bene operantibus; ergò vult illam à nobis aſpici; imò jubet aſpicere. Nam promiſſiones nullas dediſſet piis de beatitudine, niſi vellet ut inter bene agendum eaſdem reſpiceremus. Matth. 6. Iubemur *quærere regnum Dei*; at quis quærit quod intueri non licet? 1. Tim. 4. *Pietas habet promiſſiones vitæ præſentis & futuræ*; at fruſtrà, ſi non licet intuitu illarum excitari ad bene agendum.

Concludimus itaque mercedem bonis operibus à Deo proponi, & à nobis ſpectari oportere.

1 Vt indè diſcamus Dei voluntatem, & munificentiam.

2 Vt illius intuitu ſpem & fidem exerceamus.

3 Vt inde excitemur ad alacritatem in bonis operibus.

Mercedem autem ſpectare, & intueri non debemus.

1 Vt nolimus Deo inſervire ſi merces non eſſet.

2 Vt ipſam beatitudinem noſtram finem ſtatuamus Dei amati.

3 Vt ex mercede propoſitâ operum noſtrorum meritum inferamus.

De cauſa finali fidei & charitatis Coloſſenſium hactenus dictum eſt; ſequitur jam de inſtrumentali, hiſce verbis,

VERS. 5. *Quam priùs audiſtis per ſermonem veritatis*; id eſt, *Evangelii*]

Oſtendit autem his verbis unde Coloſſenſes ſpem conceperunt, de obtinenda cœleſti hac beatitudine; nimirum ex Evangelio priùs illis prædicato per Epaphram. Sunt autem hîc duo à nobis animadvertenda.

Inſtrumentum ſpei & fidei procreandæ, in genere, ſcilicet verbum Dei auditum; in ſpecie, verbum Evangelii, quod ornatur ab adjuncto, ſcilicet veritate.

Quod ad primum attinet, ea quæ ſperantur & creduntur à Chriſtianis, ſunt poſita ſupra captum humanum; ergò ut nobis innoteſcant, opus eſt non humanâ, ſed divinâ inſtitutione. Hujus autem divinæ inſtructionis organon eſt verbum Dei, ut eſt, 10. ad Romanos 14. *Quomodo credent ei de quo non audierint? quomodo audient abſque prædicante?*

Sed hîc explicatiùs nobis oſtendendum eſt, quo ſenſu verbum ab hominibus prædicatum ſit inſtrumentum fidei & ſpei generandæ, cùm fides & ſpes ſint dona gratuita à fonte gratiæ immediatè derivata. Iacob. 1. 17. ver. Sciendum itaque eſt, quòd ad fidem vel ſpem duo concurrunt: Notitia rerum credendarum ſeu ſperandarum; & Cordis aſſenſus. Notitia hæc oritur ex auditu verbi; non enim per extraordinarias revelationes aut inſpirationes nunc dierum communicatur hominibus cognitio ſalutaris; ſed *verbum prædicatum eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti*. Ergò quoad propoſitionem & cognitionem rerum credendarum ac ſperandarum, ſpes & fides dependent ab auditu, tanquam ab inſtrumento neceſſario.

Iam

Iam verò quod ſpectat ad internum cordis aſſenſum, quo unuſquiſque firmiter apprehendit, & in ſolatium ſuum applicat, doctrinam propoſitam de credendis & ſperandis; hic aſſenſus oritur ex habitibus ſpei & fidei infuſis per internam operationē Spiritus. Doctrina itaque fidei & ſpei promulgatur ab hominibus, ſed habitus fidei & ſpei infunduntur & imprimuntur ab ipſo Deo: unde Clemens pædag. 1. Ἡ μὲν κατήχησις εἰς πίστιν παράγει, πίστις δὲ ἐγγίζει παραδείσῳ πιθομένῳ. Et huc ſpectat celebre illud Auguſtini dictum, *Nolite putare quenquam hominem aliquid diſcere ab homine: ſi non ſit intus qui doceat, inanis ſtrepitus noſter eſt. Magiſteria forinſecùs adjutoria quædam ſunt, & admonitiones: in cœlo cathedram habet qui corda docet.* Sic Apoſtolus ad Hebræos. 4. 2. *Non profuit illis ſermo auditus, quia non erat συγκεκερασμένος τῇ πίστει, contemperatus fide apud illos qui audiêrunt.* *Aug. tract. 4. expoſ. in Epiſt. Ioan.*

Eſt itaque ipſe Deus creator fidei & ſpei in cordibus hominum; ſed verbum Dei auditum eſt cauſa inſtrumentalis; tum quia objectum oſtendit, & proponit animo credentis vel ſperantis; tum quia ipſi habitus ſpei & fidei non infunduntur dormientibus, aut aliud agentibus, ſed verbum Dei audientibus, & in eodem meditantibus: quo nomine verbum dicitur miniſterium Spiritus, 2. Cor. 3. 8. Verbi contemptores ſpei ſalutaris ſunt expertes. Atque hæc de inſtrumento generali, ſcilicet *verbo Dei.*

Per ſermonem veritatis Evangelii] Iam magis in ſpecie declarat unde ſpes vitæ æternæ oritur: non enim quælibet pars verbi divini apta eſt ad ſpem generandam; imò Lex ad metum incutiendum inſervit. Oritur itaq; ſpes non ex prędicatione pacti legalis, *Hoc fac & vives*; ſed ex promulgatione pacti Evangelici, *Crede & ſalvus eris.* Optimè Tertullianus adverſ. Marc. 3. c. 16. *Vitæ æternæ poſſeſſio, non per Legis diſciplinam, ſed per Evangelii gratiam nobis provenit.* Vt poſſeſſio per Gratiam non per Legem; ſic ſpes poſſeſſionis accenditur per prædicationem Evangelicæ gratiæ, non Legalis doctrinæ. Qui ex operum pacto vitam expectant æternam, non ſperant ſed præſumunt. Sed à nobis anteà declaratum eſt proprium objectum fidei & ſpei, non eſſe in genere omnia quæ traduntur in verbo, ſed promiſſiones Gratiæ: non opus eſt itaque ut immoremur diutiùs in hujus rei aut explicatione aut probatione.

Λόγῳ ἀληθείας] Hac periphraſi ornatur Evangelium. Eraſmus tranſtulit *veracem ſermonem*, quia genitivus ſubſtantivi ſæpe per adjectivum reſolvendus eſt, ex uſu linguæ Hebraicæ. Sed non ſatis aſſecutus eſt aut mentem aut emphaſin Paulinæ dictionis. Nam & Legis doctrina eſt *Sermo verax*, & multæ philoſophorum doctrinę ſunt veræ; ſed *ſermo veritatis* κατ' ἐξοχὴν appropriatur Evangelio.

Ratio duplex ejus aſſignari poteſt; Primò, quia quod eſt excellentiſſimum in aliquo genere, ſolet per ἀντονομασίαν, nomen genericum quaſi ſpeciali prærogativâ vendicare. Cùm itaque in genere

veritatum, veritas salutifera sit reliquis excellentior; doctrina salutis appellatur doctrina veritatis. Legis doctrina, postquam per peccatum infirmati sumus, facta est doctrina mortifera: Philosophorum doctrina est civilis, non salutaris: relinquitur ergò Evangelii doctrina, quæ sola est salutifera, & ideò sola dicitur *sermo veritatis*, κατ' ἐξοχὴν, id est, veritatis salutaris.

Secundò, Evangelium dici potest λόγος ἀληθείας, quia est Sermo
*Ioan.*14. de Christo, qui est *Via, Vita, & Veritas*. Est enim Christus quasi verum Corpus, præ quo Legales ritus & cæremoniæ erant umbræ & figuræ: unde illud, *Lex data est per Mosen, gratia & veri-*
*Ioan.*1.17. *tas per Christum*. Et Ioan. 8. 31. *Si manseritis in sermone meo, verè mei discipuli eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas vos liberabit*. Cùm itaque Christus sit veritas, & Evangelium habeat Christum & Authorem & Objectum, aptissimè dicitur λόγος ἀληθείας, *Sermo veritatis*.

Quæ possunt deduci ex hisce quæ dicta sunt, de instrumentali causa fidei generandæ in specie, atq; etiam ex hoc titulo quo ornatur Evangelium, omitto, & festino ad sequentia.

VERS. VI.

Quod pervenit ad vos, sicut & in totum mundum, & fructum profert, sicut apud vos quoque, ex quo die audistis, & cognovistis Dei gratiam in veritate.

PAVLVS superiore versu celebravit Evangelium, utpote causam instrumentalem generandæ spei in cordibus Colossensium: jam verò progreditur, in laudibus ejusdem Evangelii. Est enim huic Apostolo solenne, nominato semel Evangelio, excurrere protinùs in ejus præconium. Quod hoc in loco facit lubentiùs, quia laudato Evangelio, in societatem ejusdem laudis vocantur & Colossenses, qui illud tam alacriter receperunt; & Epaphras, qui illud tam fideliter apud eos prædicavit: Sed ad contextum accedamus.

In eo tria facit Apostolus: Primò, ostendit Evangelii dilatationem, in speciali, *pervenit ad vos*; in generali, *& in totum mundum*. Secundò, declarat ejus efficaciam, *fructum profert*; ubi vulgata versio, & Chrysostomus etiam addit vocabulum, quod deest nostris versionibus, scilicet καὶ αὐξανόμενον, *& crescit*. Tertiò, amplificat hanc efficaciam à circumstantia temporis, *Ex quo die audistis, &c.*

Quod pervenit ad vos] τὸ παρὸν εἰς ὑμᾶς. Hîc Dei bonitas & amor erga Colossenses elucescit; non enim Colossenses venerunt ad Evangelium, sed Evangelium ad illos. Solent ægroti medicos quærere, & pharmaca suis sumptibus comparare: at cœlestis

Medi-

Medicus quærit ægrotos, & Evangelii pharmacum vltrò mittit, nec quærentibus, nec cogitantibus. Sic Propheta Eſaias, 65. 1. *Invenerunt me, qui non quæſiêrunt me.* Et ipſe Servator; *Venit filius hominis quærere, & ſalvare quod perierat.* Hinc Cyprianus de Baptiſmo Chriſti; *Dilectus à patre immeritò nos dilexit, ultrò viſitationis ſuæ beneficium nobis largitus eſt, ultrò ſanavit, ultrò curavit.* Luc. 19. 10.

Ex hoc etiam apparet humana miſeria & infirmitas, non enim poſſumus viribus naturæ & liberi arbitrii ità vivere, ut ex congruo mereamur illuminationem Evangelicam. Quidam ex Scholaſticis ſomniârunt, hominem qui benè negotiatur in bonis naturalibus (ut illi loquuntur) ex congruo mereri ut Deus illi impertiat cognitionem ſalutaris Evangelii, & alia bona gratuita. Vnde Durandus; *Nullus eſt, qui ſi fecerit quod in ſe eſt, quin Deus revelet ei ea omnia ſine quibus non eſt ſalus.* Et alibi; *Benè viventi ſecundum Legem naturæ, Deus ſubveniet in neceſſariis ad ſalutem.* Sed ſcimus Evangelium non perveniſſe ad Socratem, Phocionem, Ariſtidem, Catonem, Senecam, & multos alios, qui meliùs negotiabantur in bonis naturalibus, quàm illi Corinthii ad quos pervenit, qui erant ſcortatores, fures, ebrioſi, &c. 1. Cor. 6. 11. Vt itaque ad Coloſſenſes pervenit Evangelium, non advocatum illorum meritis, ſed ultrò oblatum bonitate divinâ; ſic & de aliis omnibus ſentiendum eſt. *Signanter* (inquit Gerſon) *dicitur in oratione Dominicâ, Adveniat regnum tuum, id eſt, ad nos veniat, quia virtute noſtrâ ad ipſum pervenire non poſſumus.*

Sicut & in totum mundum] Oſtenſa ſpeciali dilatatione Evangelii ad Coloſſenſes, generalem addit, *in totum mundum.* Evangelium enim Soli comparatur, qui omnes mundi partes percurrit & illuminat. Lumen hoc circumtulerunt Apoſtoli, & Diſcipuli Servatoris noſtri. Vnus Paulus ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum Evangelium prædicavit; Marcus in Ægypto, Matthæus in Æthiopia, Thomas in Indiis, Simon Zelotes in Britannia, & alii alibi: de ſeptuaginta etiam diſcipulis referunt Eccleſiaſtici ſcriptores quas Provincias quilibet eorum prædicando obierit. Patres etiam antiquiſſimi loquuntur de Evangelio jam tum ad remotiſſimas quaſque nationes diſſeminato. Nos Iuſtini Mart. Clementis Alexandr. & Tertulliani teſtimoniis contenti erimus.

Nullum eſt omninò genus hominum, ſive Barbarorum, ſive Græcorum, ſive eorum qui quovis nomine appellantur, aut eorum qui plauſtris pro domibus utuntur, aut qui domorum uſum non nôrunt, apud quos non Ieſu Chriſti qui crucifixus eſt nomine preces fiant, &c. Dialog. cum Tryphon. *Nullis celatum eſt verbum, eſt communis lux, omnibus illuxit hominibus; Nullus eſt in verbo Cimerius.* Hæc Clemens Alexandrin. *Quem exaudiêrunt omnes Gentes? cui omnes gentes crediderunt niſi in Chriſtum?* Enumerat ibi Tertullianus omnes Gentes, & tandem de nobis addit,

Britan-

Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto tamen ſubdita ſunt. Et alibi aſſerit, *Chriſtum totum orbem Evangelii ſui fide cepiſſe:* adverſ. Marc. 3.

Dub. Sed hîc dubium movetur à nonnullis, qui putant Evangelium non potuiſſe pervenire ad totum mundum tam brevi temporis ſpatio, putà quadraginta aut quinquaginta annorum. Illud etiam objiciunt, multas nationes, imò alterum orbem jam eſſe detectum qui non innotuit Apoſtolorum temporibus.

Sol. Sed primò poteſt reſponderi, illa verba *per totum mundum* exponenda eſſe per Synecdochen pro maxima mundi parte; non enim putandum eſt, omnes mundi cogniti angulos perreptaſſe Apoſtolos; ſed in celeberrimis Provinciis, & magnis Vrbibus præcipuè Evangelium prædicâſſe; hoc eſt, longè & latè illud diffudiſſe. Sic Lucæ 2.1. *Exiit Edictum ab Auguſto, ut cenſeretur univerſus orbis*, id eſt, omnes Provinciæ Romano Imperio ſubditæ. Ioan. 12. *Totus mundus abiit poſt eum*, id eſt, omnium generum homines indiſcriminatim.

Secundò, Evangelium pervenit in totum mundum, quatenus ſchola doctrinæ Evangelicæ eſt toti mundo aperta, licet non in ſingulis locis prædicetur. Opponitur itaque doctrinæ Moſaicæ, quæ patuit uni tantùm nationi, cùm omnibus nationibus pateat acceſſus ad Evangelium. Vnde illud Apoſtoli, 2. ad Titum. 11. *Illuxit gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus.* Non quòd prædicatores Evangelici circumcurſantes omnibus & ſingulis prædicent, ſed quòd prædicationes gratiæ Evangelicæ omnibus & ſingulis proponantur, abſque ullo nationum diſcrimine.

Quod autem ultimò objicitur de novo orbe, illis populis ſcilicet nunquam fuiſſe notum Evangelium, cùm ipſi fuerint tempore Apoſtolorum ignoti: Primò, hoc incertum eſt; nam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ docent in ultimas Indię orientalis oras penetrâſſe Evangelium; at hujus Indiæ occiduas partes, orientalibus Americæ ſive novi orbis partibus contiguas opinantur doctiſſimi viri, inter quos eſt Arius Montanus in libro Phaleg. Quamvis & illud reſponderi poteſt, illas regiones cæptas fuiſſe habitari, longè poſt Apoſtolorum tempora: cùm autem Evangelium dicitur perveniſſe in totum mundum, intelligitur in illas mundi partes quæ ab hominibus incoluntur. Conſtat jam Evangelium fuiſſe toti mundo prædicatum; ſed cur hujus rei mentionem introducit Apoſtolus hoc in loco?

Primò, ut oſtenderet, verè impletas fuiſſe prophetias antiquorum, & etiam Chriſti Servatoris de vocatione Gentium, & propagatione Evangelii. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui*, Iſa. 60. 3. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam*, Iſa. 9. 2. *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe*, Matth. 24. 14. Non hoc potuit non confirmare Coloſſenſes in doctrina Evangelii, cùm intelligerent illam

fuiſſe

fuiſſe divino decreto deſtinatam gentibus, ab initio mundi.

Secundò, (ut annotavit Chryſoſtomus) quoniam confirmantur plerique in fide, ex eo, quòd habent multos ſuorum dogmatum conſortes: quamvis enim multitudo errantium, non parit errori patrocinium, multitudo tamen in veritate conſpirantium, animos addit fidelibus, & quaſi exprobrat incredulis infidelitatem ſuam. Vnde illud Auguſtini, *Quiſquis adhuc prodigia, ut credat, requirit, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit.* De civitate Dei, 22.8.

Vltimò, meminit Evangelii per totum mundum propagati, ut hinc Coloſſenſes intelligerent, novas illas philoſophorum & ſeductorum doctrinas, quæ ſpargi cœperant in illa Eccleſia, non eſſe partem Evangelii, quia non erant per totum mundum propagatæ ab Apoſtolis. Atque hoc eodem argumento omnes Papiſtarum errores revincimus; nunquam enim probare poterunt, vel Primatum Papæ Romani, vel infallibilem ejus authoritatem, vel cultum imaginum, vel indulgentiarum nundinationem, vel ullum dogma in quo à nobis diſſentiunt, fuiſſe ab Apoſtolis vel illorum coadjutoribus per totum mundum prædicatum: non ſunt itaque Evangelii decreta, ſed vaniſſimorum hominum inſomnia; & proinde, non illis aſtringitur fides Chriſtianorum. Scitè Tertullianus, *Cùm credimus Evangelio, nihil deſideramus ultrà credere: hoc enim priùs credimus, non eſſe quod ultrà credere debemus.* Hæc de dilatatione Evangelii; ſequitur de efficacia.

Et fructum profert] Vbi ſupplendum eſt ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, *ſicut apud vos*; poſſumus etiam adjungere quod habetur in multis exemplaribus, *Et creſcit.*

Prima illa verba, *& fructum profert*, oſtendunt efficaciam Evangelii, in gignenda fide, charitate, & ſanctitate in animis audientium; quo reſpectu prædicatio aptè comparatur ſeminationi, & verbum ſemini, quod jactum in terram bonam edit fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum: Mat. 13.

Loquitur itaque hîc Apoſtolus de ſpirituali illo fructu, qui cernitur in converſione, & immutatione morum & animarum, cùm homines vitiis priùs cooperti, virtutibus florere, & ſanctitate fulgere incipiunt.

Hanc efficaciam Evangelii celebrant paſſim, Clemens Alexand. in Protrept. ubi dicit, *Chriſti Evangelium* ἀγριωτάτας θηρίων, *belluas immaniſſimas, homines nimirum improbos manſuefeciſſe.* Et Lactantius, Inſtit. 3. cap. 26. *Sapientia philoſophorum non excindit vitia ſed abſcondit; Dei præcepta totum hominem immutant, & expoſito vetere novum reddunt.* Eleganti ſimilitudine hoc depingitur apud Prophetam Iſaiam, 55. 10. *Sicut deſcendit imber de cælo, & illuc rurſus non revertitur, ſed inebriat terram, & eam facit germinare: ſic verbum meum non revertetur ad me vacuum, ſed*

faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.

Obſerv. Atque hoc in loco operæ pretium eſt obſervare, quòd Apoſtolus prædicationi & auditioni Evangelii ſtatim ſubjungit fructificationem; quo ſuo facto nos docet Evangelii potentiam, non tam ſitam in illuminatione intellectus, quàm in reformatione voluntatis; ſi hæc non fiat arbor bona, & producat bonos fructus ſanctitatis & novitatis, fruſtrà gloriamur de Evangelio; quod hominibus impuris, non in beneficium, ſed in condemnationem cedit. Heb. 6.7. *Terra quæ imbrem ſæpiùs in ſe venientem combiberit, & profert ſpinas & tribulos, eſt maledictioni proxima, &c.*

Et creſcit] Hoc in multis codicibus reperitur, & à Syriaco interprete exprimitur; quæ verba efficaciam Evangelii oſtendunt in multitudine profitentium. Creſcere enim dicitur, cùm creſcit numerus eorum qui fidem Chriſtianam amplectuntur. Et ſanè hoc ſenſu, uſque ad miraculum crevit Evangelium. *Græcam Philoſophiam* (inquit Clemens) *ſi quis Magiſtratus prohibuerit, ea ſtatim perit: at doctrinam Chriſtianam oppugnant Reges terræ, & tamen creſcit.* Eccleſia decem continuis perſecutionibus vexata erat, ſub Imperatoribus Ethnicis, neque tamen atteritur tot calamitatibus: ſed, ut ſcribit Auguſtinus, Epiſt. 42. *Victi ſunt Gentiles, & eorum Idololatria, non à repugnantibus, ſed à morientibus Chriſtianis.*

Hoc incrementum Eccleſiæ Chriſtianæ, ut divinæ tutelæ & Evangelicæ potentiæ ſpecimen, Lucas ubique commemorat in Actis Apoſtolorum. *Augebatur credentium multitudo*, 5.14. *Eccleſiæ confirmabantur & abundabant numero quotidiè*, Act. 16.5. Armis propagare religionem ſuam (quod faciunt Mahumetani) aut igne & fraude (quod Papiſtæ) non eſt ſignum veritatis Evangelicæ; ſed cùm prædicando aut patiendo religio invaleſcit contra impugnantes, magno argumento eſt, divinum auxilium adeſſe ſuis Miniſtris. Clarum hujus rei argumentum habemus in reſtauratione Evangelii per Lutherum, aliósq; pios viros; quod indies creſcebat frendente Papâ, & Regibus terræ frementibus. Hæc de dilatatione & efficacia.

Ex quo die audiviſtis & cognoviſtis Dei gratiam in veritate] Amplificat hiſce verbis efficaciam Evangelii, & ſimul laudat tum Evangelium, tum ipſos Coloſſenſes, & Epaphram ut alii volunt. Evangelium à propriâ ejus doctrinâ; Coloſſenſes à modo audiendi, vel Epaphram à modo prædicandi.

Amplificatur Evangelii virtus à circumſtantiâ temporis; ſtatim atque prædicatum eſt cœpit operari, & adhuc operatur. In quo etiam duplex laus Coloſſenſium; docilitatis, quòd ſtatim amplexi ſunt Evangelium; conſtantiæ, quòd in eodem adhuc perſiſtunt & permanent.

Obſerv. Non eſt procraſtinandum auditoribus Evangelii, ſed ex quo

die

die prædicatur, eos oportet & credere, & fructus proferre. Sic Apoſtolus, *Hodiè ſi audieritis vocem ejus, ne obdurate corda veſtra*, ad Hebr. 3. 8. Et ſanè diaboli vox eſt quæ dicit, Da peccato quod præſens eſt, Deo & Evangelio quod futurum eſt; peccato florem ætatis, Evangelio reliquias.

Non ſatis eſt, ſtatim atque offertur cum gaudio amplecti Evangelium, & fructus proferre; ſed in utroque perſeverare oportet, & in fide ſcilicet, & in ſanctificatione. Nota eſt terræ petroſæ parabola, quæ ſemen recepit & fructus edidit; cui tamen vitio vertitur, quòd exaruerunt illi fructus ad ardorem ſolis. Hæc etiam inconſtantia vituperatur in Eccleſia Epheſina, Apocal. 2. 4. *Habeo aliquid adverſum te quòd charitatem primam amiſeris: reſipiſce, & priora opera facito. Pereunt præterita, ſi quæ cœperant deſinunt eſſe perfecta.* Cypr. de bono patien.

Dei gratiam] Evangelium ornat à doctrina ejus propriâ quâ diſtinguitur à Lege. Lex enim voluntatem Dei imperantem declarat, & nobis mandata imponit; Evangelium voluntatem Dei ſalvantem oſtendit, & nobis gratiam in Chriſto offert. Non ſunt itaque hæc illis confundenda, qui nolunt Evangelium obſcurare.

Hinc Papiſtarum error detegitur, qui renatis gratiam & ſalutem pollicentur in doctrina Legis. Docent enim homines juſtificari juſtitia ſuâ inhærente, & operibus ſuis ſalutem promereri. Si juſtificatio & ſalus per Legem, cur Evangelium diceretur doctrina gratiæ, & hoc titulo à Lege diſtingueretur? Sed Paulus dirimat hanc litem ad Romanos 3. *Ex operibus Legis nulla caro juſtificabitur; per Legem enim agnitio peccati. Nunc abſque Lege juſtitia Dei patefacta eſt per fidem Chriſti.--Omnes enim peccaverunt,-& juſtificantur gratis ejus gratiâ, &c.* Ipſe Aquinas, tam evidenti teſtimonio convictus, ſcribit in hunc modum: *Decalogi legitimus uſus eſt, ut homo non attribuat ei, quod in eo non continetur: non eſt ergò in præceptis moralibus ſpes juſtificationis, ſed in ſola fide.* In tertium ad Rom.

In veritate, Ἐν ἀληθείᾳ] Vltima hæc verba diverſimodè exponuntur; volunt enim aliqui in ἀληθείᾳ, nihil aliud eſſe quàm in Evangelio; quia Evangelium antè dictum eſt λόγῳ ἀληθείας. Dicit itaque hîc Paulus, eos cognoviſſe gratiam Dei *in veritate*, id eſt, in Evangelio. De hac expoſitione nihil jam dicam, quia nec illam valde probo, & anteà dictum eſt de hoc cognomento Evangelii.

Secunda expoſitio eſt illorum, qui interpretantur *in veritate*, verè & ex animo, abſque omni fuco & hypocriſi; & hoc referunt ad Coloſſenſes, & ad eorum laudem, qui non ſimulatè, ſed verè amplectebantur Evangelium.

Vnde oritur hoc documentum, Nihil prodeſſe hominibus nomen Chriſtiani, vel nomen Evangelii, ſi abſit ipſarum rerum veritas. Nam qui non eſt verus Chriſtianus, non eſt omninò Chriſti- *Obſerv.*

anus; qui non eſt verè Evangelicus, non eſt omninò Evangelicus. Nam Ens & Verum convertuntur, ut loqui ſolent Metaphyſici. Vnde illa increpatio Angeli qui erat Sardibus, Apocal. 3. 1. *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es.* At *nudum nomen nec in bonis, nec in malis ponendum*, ut loquitur Iuſt. Mart. Apolog. 2.

Vltima expoſitio eſt eorum, qui hæc verba referunt ad laudem Epaphræ, qui Evangelium verè & ſincerè prædicavit Coloſſenſibus, nullo errore admiſto philoſophicæ ſpeculationis, nullo fermento Iudaicæ ſuperſtitionis. Innuit itaque eos in doctrina cognitâ perſeverantes eſſe debere, nec quovis vento novæ doctrinæ circumferri oportere, quia doctrina Evangelii erat priùs verè illis tradita; à veritate autem diſcedere, & errores amplecti, turpe & pudendum. Atque hactenus Evangelium ipſum Apoſtolus laudibus extulit, à dilatatione, ab efficacia, à circumſtantia temporis, ab objecto proprio, & denique à modo promulgationis. In verſu proximo, tranſit à laudibus Evangelii ad laudem Epaphræ, qui prædicavit illis hoc Evangelium.

VERS. VII. VIII.

Sicut & didiciſtis ex Epaphra dilecto conſervo meo, qui eſt fidus pro vobis Miniſter Chriſti:
Qui & declaravit nobis veſtram dilectionem in Spiritu.

IN hiſce duobus verſibus totus eſt Apoſtolus, ut Epaphram miniſtrum Coloſſenſium reddat illi Eccleſiæ commendatiſſimum: eſt enim valde conducibile, ad religionem promovendam, ut populus honorificè ſentiat de Prælatis & Miniſtris ſuis: ſi enim ſordere incipiunt Sacerdotes Dei, ſordebit protinus religio, & cultus Dei; quod videmus in exemplo filiorum Heli, 1. Sam. 2. 17. Hic itaque in genere tria annotabimus. Deinde ad particularem verborum explicationem veniemus.

Obſerv. 1. Exemplo Pauli docentur Miniſtri, non deprimere alios, quò ipſi ſoli emineant; ſed curare famam, ac bonam æſtimationem aliorum, æquè ac ſuam: dum enim alii alios invicem mordemus, & laceramus maledictis, univerſi à Laicis conſpuimur & conculcamur.

Obſerv. 2. Cùm ſit è re Evangelii bona Miniſtrorum exiſtimatio, ſciamus nobis ſingulis in eo laborandum eſſe, ut bonam famam mereamur; debemus itaque non modò ab omni malo, ſed ab omni ſpecie mali abſtinere. *Non ſunt audiendi* (inquit Auguſtinus) *qui dicunt coram Deo ſufficere ſibi conſcientiam, & interim æſtimationem hominum impudenter contemnunt: quiſquis à flagitiis vitam ſuam cuſtodit ſibi benefacit; quiſquis autem famam, & in alios eſt miſericors. Nobis neceſſaria eſt bona vita noſtra, aliis fama.*

De bono vidu. c. 22.

Cùm

Cùm res tanti momenti sit integra fama Ministrorum, reputent quanto scelere se astringunt, qui vel detractionibus malevolis, in suspicionem vocant immerentes; vel dicteriis & jocis ludibrio illos exponunt, quos vel vocationis nomine, ab hominibus honoratos oportuit. Piè dixit Poeta, quisquis fuit; *Non patitur ludum, fama, fides, oculus.* Quinetiam Theologi hanc detractionem furto pejorem statuunt: tenetur uterque ad restitutionem, latro scilicet & detractor; sed multò facilùs satisfit pro furto quàm detractione: quia in illo quantitas damni cognosci & æstimari potest, in illâ non potest. Atque hæc in generali dicta sunto de illâ quam habuit Apostolus curâ, ut Epaphras Minister Colossensium esset apud suos acceptus & honorabilis. Iam in speciali prosequamur eas laudes, quibus cumulatur ab Apostolo. *Observ.* 3.

Vers. 7. *Sicut & didicistis ex Epaphra dilecto conservo nostro &c.*] Hisce in verbis commendat Epaphram per comparationem sive relationem ad se, idque duplici nomine; primò, quòd erat sibi dilectus; secundò, quòd conservus.

Dilectus] Propter sinceritatem in docendo Evangelio; Paulus enim mirifico amore eos omnes complexus est, qui fideliter laborabant in Evangelio. Erat itaque hoc Epaphræ valde honorificum, quòd fuit ex intimis Pauli amicis; nam si laudari à laudatis sit honorificum, tum multò magis laudari simul & amari; dum itaque suum *dilectum* vocat, ab illis diligendum innuit. *Figulus figulo invidet, & faber fabro*; sed non ità inter Ministros esse debet.

Conservo nostro] Propter idem munus Evangelizandi, in quo uterque eidem Domino inserviebat. Cùm autem suum *conservum* appellat, obiter monet Colossenses, Epaphram non esse gregarium aliquem ministrum, sed ducem militiæ Evangelicæ & quasi Apostolum illorum.

Hîc autem humilitas & candor tanti viri observetur, qui cùm esset in Apostolicæ dignitatis fastigio collocatus, Epaphram quasi parem agnoscit. Hanc humilitatem imitari debent, qui inter ministros Evangelicos, ordine & dignitate aliis præpollent. Est omnium Christianorum illustre ornamentum humilitas; sed illustrissimum & maximum, cùm cernitur in illis qui sunt illustrissimi & maximi. Sequitur laus Epaphræ per comparationem & respectum ad Christum & Colossenses. *Observ.*

Qui est fidus pro vobis Minister Christi] Triplex commendatio Epaphræ, ab officio, seu vocatione, *Minister Christi*; à qualitate, *fidus Minister*; à scopo vel fine hujus Ministerii, *pro vobis*, id est, pro vestra salute. Hisce omnibus nominibus, debuit esse in summo honore, & amore apud Colossenses.

Minister Christi] vocabulum διάκονος, quod habetur in Græco contextu, non sumitur hoc in loco pro speciali officio curandi viduas & pauperes, ad quod munus septem electi sunt Actorum 6.

sed, largo sensu, ponitur pro quovis dispensatore verbi divini, ità ut ipsos Apostolos quandoque comprehendat, sicut 1. ad Corinth. 3. 5. ***Quis Paulus? quis Apollos? nisi ministri per quos credidistis?*** in Græco ἀλλ' ἢ διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε. Sed, misso vocabulo, in rei ipsius dignitatem inquiramus. ***Minister Christi***, id est, Minister summi Regis cœlorum, terrarum, inferorum. Ne Angeli quidem dedignantur huic Domino ministrare, & inservire.

Sed quâ in re minister? nam & hoc multùm facit ad dignitatem ministerii, non in vili aliquo aut abjecto negotio; sed in dispensatione thesauri pretiosissimi, gratiæ scilicet Evangelicæ. Inter Regum ministros Thesaurarius habetur unus ex honoratissimis: quanto igitur honore à populo afficiendi sunt illi, per quos gratiæ Evangelicæ thesaurus hominibus dispensatur? Talis Minister erat Epaphras; amandus itaque & honorandus à Colossensibus.

Ex hoc titulo qui verbi prædicatoribus tribuitur, multa deduci possent.

1 Cùm sint Christi Ministri, non posse impunè contemni aut injuriis affici ab ullo mortalium; David ultus est injuriam Legatis suis illatam ab Ammonitis, in abradendis barbis, & præcidendis vestibus corum; quantò magis Christus vindicabit Legatos & Ministros suos, si quid injuriosè aut contumeliosè adversus illos commissum fuerit ab Ammonitis nostris. 2. *Sam.* 10.

2 Cùm sint cœlestis hujus Regis Ministri, oportere illos non commodis temporalibus inhiare, sed cœlestem mercedem expectare. Hunc aureolum Christus suis promittit, Danielis 12. 3. ***Docti fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*** Hanc coronam Paulus semper cogitavit. 2. Tim. 4. 8. ***Reposita est. &c.***

Fidus] Hoc vel maximè facit ad laudem Epaphræ; magnum est esse Ministrum Christi, id est, dispensatorem Evangelii; sed ut loquitur Apostolus, 1. ad Corin. 4. 2. ***Requiritur in dispensatoribus, ut fidus quisque inveniatur.*** Hæc fidelitas in duobus potissimùm cernitur.

1 In eo ut Minister semper respiciat honorem Domini sui, non propriam gloriam. Honorem Dei respicit, qui *sic loquitur quasi sermones Dei, ut in omnibus Deus honorificetur*, 1. Pet. 4. 11. Gloriam suam quærit, qui sic loquitur, ut placeat vanis hominibus; & ab illis laudetur, vel ingenii, vel scientiæ, vel eloquentiæ nomine. De hoc studio inanis gloriæ, Paulus ad Galatas, 1. 10. ***An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Dei servus non essem.*** Salubre monitum prædicatoribus est illud Prosperi: ***Non in verborum splendore, sed in operum virtute prædicandi fiduciam ponant; non vocibus delectentur populi acclamantis, sed fletibus; nec plausum à populo expectent, sed gemitum:*** de vita contemp. lib. 1. cap. 23.

2 In hoc cernitur fidelitas Ministri, ut non modò Domini sui gloriam,

riam, ſed ut gregis ſibi commiſſi utilitatem promoveat, & ſalutem pro ſuo virili. Hoc faciunt dum gregi invigilant, dum cibum animorum opportuno tempore illis impertiunt, dum lac infantibus, ſolidiorem cibum robuſtioribus diſtribuunt; ut verbo comprehendam omnia, dum præ ſocordia nihil omittunt facere aut dicere, quod ad ſalutem populi ſit neceſſarium; neque præ perfidiâ aliquid aut doceant aut faciant, quod ſit ſaluti eorum inimicum. Hujus fidelitatis illuſtre ſpecimen habemus in Paulo: qui potuit illud de ſe audacter profiteri, *Non quæro quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant.* 1. Cor. 10. 33. Vt autem hanc fidelitatem quis præſtet, utile erit haſce tres circumſtantias ſemper ob oculos ſibi proponere: Quis, Quid, Quibus.

Quis ſit inprimis diligenter perpendat. Non privatus homo, non liber & ſui juris; ſed Chriſti Legatus, & ſervus: Quare oportet Paſtorem non indulgere otio & voluptatibus, ſed omni diligentiâ negotium ſibi impoſitum procurare.

Quid tractandum ſuſcepit deinde apud ſe ſeriò cogitet; verbum ſcilicet Dei, & Sacramenta Chriſti. Illud vel celare, vel quovis modo adulterare nefas; illa vel canibus, vel porcis projicere, vel filiis denegare ſummum piaculum eſt.

Quibus hæc omnia adminiſtranda ſunt denique conſideret: Chriſti ovibus, ſuis fratribus, Dei filiis. Illis *quos Chriſtus redemit, non auro & argento, ſed ſuo pretioſo ſanguine.* Qui vel unam ex hiſce animulam ſuâ infidelitate amiſerit, *Vtilius eſſet illi ſi mola aſinaria circumponeretur collo ejus, & abjectus foiſſet in mare:* Luc. 17. 2.

Sed hîc quæratur cur in laudando Epaphrâ fidelitatem tantùm nominet, non prudentiam; cùm in verbi divini diſpenſatione utrunque requiratur? ut eſt Matth. 24. 45. *Quiſnam eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familitium ſuum?* *Dub.*

Primò, quia hæ duæ qualitates inter ſe connexæ ſunt & conjunctæ, ità ut non poſſit vera fidelitas adeſſe niſi etiam adſit prudentia, quæ docet, & oſtendit quid ab homine fido requiratur. Eſt enim prudentia *cujuſcunque virtutis oculus.* *Sol.*

Secundò, ut obiter perſtringeret doctores illos novos & erroneos in Eccleſia Coloſſenſium, qui prudentiæ ſpeciem affectabant, at fidelitatis curam omnem exuebant. Dicit igitur Epaphram *Fidum Chriſti Miniſtrum*, ut illum opponeret iſtis in quibus ſapientiæ ſuæ regnabat opinio, cùm tamen eſſent in Chriſtum infidi.

Pro vobis] Poſtquam Epaphram commendaverat ab ipſa Vocatione, quòd eſſet *Miniſter Chriſti*; & à Qualitate, quòd eſſet *fidus Miniſter*; illud jam addit, quod ad conciliandum illi amorem maximè conducebat, *pro vobis*, id eſt, pro veſtro bono, pro veſtra ſalute.

Ex

Ex scopo igitur, & fine Ministerii, ostendit Ministro deberi honorem à suo grege; non est enim sibi Minister Christi Epaphras, sed aliis, nempe Colossensibus.

Pol. 2.2. Rectè statuit Philosophus, duo esse quæ faciunt homines amare, & curare quamlibet rem; τὸ ἴδιον, & τὸ ἀγαπᾶσθαι: utrumque in Epaphra reperitur. τὸ ἀγαπᾶσθαι, quia erat Minister Christi, & fidus insuper: τὸ ἴδιον, quia erat proprius Minister Colossensium. Hinc utile & necessarium documentum nascitur, & quod à Laicis nunquam satis discitur.

Doctr. Quamvis tenetur Christianus populus omnes Ministros amare & honorare, tamen illos præcipuo amore & honore prosequi debent greges singuli, qui singulis illis præficiuntur. Sic Paulus ad Thes. 1.5.12. *Rogamus vos fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos; & quàm maximè charos ducatis, propter opus ipsorum.* Vnde apparet, quam sit vitiosus ille affectus multorum, qui quemvis audiunt potius, & amant magis, quàm proprium suum & domesticum Ministrum. Si hujusmodi hominibus Paulus scripsisset de aliquo, *Qui est pro vobis Minister Christi*; non amorem, sed fastidium illius excitasset. Hi illi sunt, quos *auribus prurire, & sibi secundum suas peculiares cupiditates doctores coacervare* scribit Apostolus, ad Timoth. 2.4.3.

Atque hæc de Epaphræ commendatione, ab officio, à fidelitate in ejus executione, & à peculiari scopo ejus, quod erat Colossensibus destinatum.

VERS. 8. *Qui & declaravit nobis vestram per Spiritum charitatem.*

LAudavit Paulus fidem & charitatem Colossensium, cùm tamen illis esset de facie ignotus, ut est cap. 2.1. Potuit itaque aliquis quærere, Vnde tibi Paule hæc cognitio nostri, & rerum nostrarum? Occurit huic dubitationi, & ostendit non temerè illos laudâsse, sed omnia habere comperta & explorata per relationem Epaphræ, testis locupletissimi.

Qui & declaravit] Authorem relationis ostendit; quod eò facit ut Epaphræ gratiam apud eos conciliet: est enim insitum omnibus eos amare, quos intellexerint de se honorificè sentire & loqui.

Atqui hîc observandum, quàm fidus Christi Minister Epaphras fuit, non modò in prædicando Evangelio, sed in excitandis hominum animis ad mutuum amorem. Nam, uti verisimile est, declaraverat Colossensibus quantus Apostolus Paulus fuit, quàm admirabili scientiâ, quàm singulari zelo præditus; & ità in animis eorum admirationem, & mirificum Pauli amorem excitavit: tum Paulum adit, & explicat quanta esset Colossensium pietas in

illum.

illum. Hoc tandem eſt ingenui & pii viri officium, amorem & charitatem inter omnes, non odia & litem ſerere.

Veſtram charitatem] Hîc caput præcipuum illius relationis tangit: multa enim de illis bona dixerat Paulo, ſed præcipuè charitatem eorum extulerat. Hanc charitatem eorum quidam referunt ad omnes Sanctos; ſed, quoniam hanc verſu quarto laudavit, probabilior eſt Chryſoſtomi ſententia qui refert ad Apoſtolum Paulum. Quod etiam innuere videntur verba ſequentia.

Ἐν πνέυματι] *In Spiritu*, vel *per Spiritum*. Duæ rationes afferuntur ab interpretibus, cur eorum dilectionem dicat eſſe ἐν πνεύματι.

Prior generalis, quæ ſpectat ipſam naturam charitatis: nimirum quia ejus Author eſt Spiritus ſanctus: & etiam quia manat charitas à corde ſpirituali, id eſt, renovato & regenerato.

Hinc obſervate dignitatem charitatis Chriſtianæ. Nam Naturalis charitas vel dilectio oritur ab illis inclinationibus, quas appellant σοφὰς φυσικὰς: Mundana dilectio oritur, vel ab utilitatis ratione, vel à morum conformitate: Carnalis ab appetitu voluptatis. Hiſce omnibus nonnihil fæculentum, ſordidum, & vitioſum ſemper adhæret: at Chriſtiana charitas oritur à *Spiritu ſancto*, & eſt ſanctitatis & puritatis pleniſſima. *Obſerv.*

Altera ratio cur charitas Coloſſenſium dicatur eſſe ἐν πνεύματι, ſpecialis eſt, & ipſum Paulum reſpicit: nam, ut anteà diximus, Paulum nunquam viderant; ſed tantùm de eo audierant per Epaphram & alios: Quia igitur illum amarant, quem nunquam viderunt in carne, dicuntur *in Spiritu* diligere. Nomen itaque *Spiritus*, hîc eodem modo accipitur, quo ponitur 1. ad Corin. 5. 3. *Ego abſens corpore, præſens apud vos Spiritu, &c.*

Obſervate hinc officium eſſe cujuſcunque probi viri, ut omnes bonos, quamvis de famâ tantùm notos, amore ſpirituali complectatur. Vt quis amore noſtro dignus cenſeatur, ſatis eſt ſi innoteſcat de facie ſuæ virtutis, quamvis ignotus ſit de facie carnis. *Obſerv.*

Atque hactenus in prima & ſecunda Exordii parte explicanda verſati fuimus: reſtat ultima, quę abſolvitur tribus verſibus ſequentibus, 9, 10, 11.

Vers. IX. X. XI.

Propterea & nos, ex quo die audivimus, non ceſſamus pro vobis orare & petere ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni ſapientia & intelligentia ſpirituali, &c,

In hoc verſu & duobus ſequentibus continetur ultima pars Exordii; quæ habet precationem pro augmento bonorum ſpiritualium, quorum participes facti erant Coloſſenſes aliqua ex parte. Tria autem bonorum genera petit. Primum eſt eorum quæ ſpe-

ctant ad perfectam cognitionem veritatis, verſu 9. Secundum eſt eorum quæ ſpectant ad exercitium pietatis & ſanctitatis, verſ. 10. Vltimum eſt eorum quæ ſpectant ad patientiam & tolerantiam crucis, ver. 11.

In nono hoc verſu, à quo nobis ordiendum eſt, tria obſervamus.

Cauſam impulſivam quæ Paulum excitabat ad hanc precationem, *Propterea & nos &c.*

Modum ipſius precationis, *Non ceſſamus pro vobis orare & petere.*

Summam ipſius petitionis, *Vt impleamini &c.* ad finem uſque.

Propterea nos ex quo die audivimus] Hîc cauſam impulſivam innuit ſuæ orationis, relationem ſcilicet Epaphræ de illorum fide, charitate &c. Nam hæc verba referuntur ad totam Narrationem de illorum fide in Chriſtum, charitate in Sanctos, ſpe repoſitâ in cœlis, & amore etiam peculiari in Apoſtolum: quia enim tot bona de Coloſſenſibus nuntiabantur, *non ceſſabat ex illo die pro illis orare &c.*

Obſerv. 1. Optima ratio amorem noſtrum & affectum declarandi, in eo ſita eſt, ut oremus pro illis quos amamus, & bona hæc ſpiritualia & ſalutaria illis à Deo exoptemus. Nam amare, eſt bonum velle alteri, non noſtrâ, ſed ejus cauſâ; & verè amare, eſt vera bona alteri velle; vera autem bona ſunt hæc ſpiritualia, quæ bonos reddunt habentes. Vnde Apoſtolus qui tenerrimè illos omnes amavit, ad quos ſuas Epiſtolas miſit, nuſquam tamen legitur illis honores aut divitias à Deo petiiſſe, ſed fidem, charitatem, ſanctitatem, patientiam, & id genus alia.

Obſerv. 2. Maximè nos ad orationem pro fratribus accendere debet, cùm perſpicimus in illis primitias Spiritus, & renovationis, & quaſi ſemina pietatis; ſic enim Paulus, quia intellexit jacta fuiſſe religionis fundamenta in Coloſſenſibus, διὰ τοῦτο, *propter hoc ipſum*, vehementiùs à Deo petiit incrementa earundem gratiarum. Idem obſervare licet in Epiſtola ad Eph. cap. 1. v. 15. 16. *Auditâ quæ in vobis eſt fide & charitate, non deſino gratias agere pro vobis, &c.* Chryſoſtomus hoc illuſtravit eleganti ſimilitudine. *Quemadmodum* (inquit) *in ſtadio iis potiſſimùm bene optamus, eóſque hortatione & acclamatione noſtrâ excitamus, qui non longè abſunt à victoria: ſic in hoc Chriſtianæ vitæ ſtadio, iis favere maximè debemus, eóſque noſtris precibus juvare, quos cernimus jam currentes alacriter ad metam propoſitam.* Atque hæc de cauſa impulſiva.

Non ceſſamus pro vobis orare & petere] Modum ſuæ orationis jam exprimit Apoſtolus, qui in duobus cernitur. Aſſiduitate ejuſdem, *Non ceſſamus*; vehementi devotione, *Orare & petere.*

Aſſiduitas orationis præcipitur in Scripturis; *Oportet ſemper orare*

orare & non deficere: Luc. 18. 21. Et ad Theſſal. 1. 5. 17. *Sine intermiſſione orate. Multum enim valet deprecatio juſti aſſidua,* Iacobi 5.16.

Quomodo potuit Paulus nunquam ab oratione deſiſtere, cùm humanæ naturæ imbecillitas non ferret continuam orationem? imò inter hæreticos numerantur Euchitæ ſeu Meſſaliani, qui inertiæ & ſocordiæ ſuæ aſſiduam orationem prætexebant, Aug. tom.6. de hæreſ. *Dub.* *Theodor. lib. 4.*

Dicimur non ceſſare ab oratione, vel non deſinere orare pro re aliqua, cùm in corde noſtro fixum habeamus deſiderium illius rei. Sic Auguſtinus in Pſalm. 37. *Deſiderium tuum oratio tua, ſi continuum eſt deſiderium, continua eſt oratio.* *Solutio.*

Secundò, dicimur non deficere ab orando, vel non ceſſare, cùm id ſuo tempore & loco exercemus. Illud enim otioſum eſt, & ab opere ſuo ceſſat, quod non agit cùm poteſt & debet.

Vtroque igitur reſpectu Paulus verè dixit, *Non ceſſamus orare pro vobis.* Nam & animo illius inerat perpetuum deſiderium (ſaltem quoad habitum) de illorum bono promovendo, & illud etiam quantum in ſe erat, ſuis orationibus promovebat, quoties illi oblata erat precandi opportunitas.

Paſtoris officium eſt, non modò docere gregem ſuum, & in publicis precibus eos Deo commendare; ſed etiam in privata ſua oratione nunquam debet eſſe immemor populi ſuæ tutelæ commiſſi. Sic animatus erat Samuel erga populum Dei, *Abſit mihi ut peccem Iehovæ, ut deſinam ſupplicare pro vobis,* 1.Sam.12.23. Sic noſter Paulus, *Teſtis eſt mihi Deus cui ſervio, quòd indeſinenter meminerim veſtri in precibus meis, &c.* Rom.1.9. *Obſerv.*

Neque hîc aliquis objiciat, viros eximiæ ſanctitatis quales erant Samuel & Paulus, ſuis precibus aſſiduis juvare poſſe populum Dei; at alios Miniſtros, qui ſunt hac ſanctitate deſtituti, non poſſe: nam rectè Auguſtinus docuit, *Etiam malos Sacerdotes exaudiri, cùm orant pro gregibus ſuis, quamvis non exaudiantur cùm orant pro ſeipſis:* contra epiſt.Parmen. lib. 2. cap.8. Atque hæc de aſſiduitate Apoſtolicæ orationis: ſequitur de vehementi devotione.

Orare & petere] Hiſce duobus vocabulis innuit Apoſtolus & devotionem atq; etiam vehementiam orationis ſuæ pro Coloſſenſibus. Nonnulli ſub vocabulo προσευχόμενοι, intelligunt deſiderium mentis; per illud alterum αἰτούμενοι, expreſſam petitionem oris. Sed hîc per προσευχὴ, non modò internam mentis elevationem intelligo, ſed illam orationis partem quæ plerunq; viam præſtruit petitionibus noſtris, in qua Deum adoramus, & glorificamus commemoratâ ejus majeſtate, & bonitate, cæteriſq; attributis quæ amorem & devotionem excitant in animis ipſorum precantium. Αἴτησις verò, eſt ipſa petitio rerum deſideratarum, quę ſequitur hanc προσευχὴ ſeu devotam converſionem mentis & orationis ad Deum.

Cùm itaque dicit Apoſtolus ſe προσεύχεσθαι pro Coloſſenſibus, innuere mihi videtur, ſe tum illos Deo commendare, cùm priùs animum ſuum devotione quadam in Deum ſenſerit inflammatum; jam verò devotæ & accenſæ mentis oratio eſt efficaciſſima, ut penetret ipſos cœlos.

Cùm autem dicit ſe αἰτεῖσθαι pro illis, ſignificat vehementiam petitionis ſuæ: nam αἴτησις eſt rerum neceſſariarum poſtulatio. Sic igitur Deum orabat pro Coloſſenſium ſpirituali profectu, ſicuti homines pro rebus quibus maximè indigent, ſolent alios obſecrare.

Obſerv. Devotio & pius in Deum affectus debet ſemper viam aperire ad particulares noſtras petitiones, ſive pro aliis petimus neceſſaria, ſive pro nobis. Qui enim temerè & nulla habitâ ratione majeſtatis divinæ proſilire audet ad quidvis petendum, provocat Deum ad indignationem, non ad beneficentiam.

Obſerv. Non frigidè neque dicis cauſâ, à Deo petere debemus beneficia; ſed affici nos oportet ſenſu, & vehementi deſiderio illarum rerum quas à Deo petimus. Non enim orat Deum, ſed ludit, qui illud voce poſtulat, quod corde negligit. Cauſam & modum Apoſtolicæ precationis expoſuimus; jam reſtat ut ſummam ipſius petitionis exponamus verbis immediatè ſequentibus comprehenſam.

Vt impleamini agnitione voluntatis ejus in omni ſapientia & intelligentiâ ſpirituali.]

Summam ſuæ orationis jam incipit explicare Apoſtolus: ſunt autem hîc duo notanda: Quantitas bonorum quæ petuntur, & Qualitas.

Vt impleamini] Oſtendit anteà Apoſtolus, Coloſſenſes fuiſſe præditos fide, ſpe, charitate, omnibus denique donis ſpiritualibus; ſed jam aliquid majus à Deo petit, ſcilicet ut *impleantur* iiſdem.

Dub. Non poſſumus plenam & perfectam cognitionem, vel dilectionem, vel ſanctitatem obtinere, dum corpus hoc mortale geſtamus. Sic enim Apoſtolus 1. Cor. 13. 9. *Ex parte cognoſcimus, ex parte propheta mus, &c.* cur igitur orat Apoſtolus ut impleantur cognitione, quod obtineri non poſſe ipſe ſcivit?

Reſpon. Eſt duplex Plenitudo cognitionis & cujuſcunque gratiæ: Plenitudo patriæ, & Plenitudo viæ. Plenitudo patriæ eſt illa maxima gratiæ menſura, quam uniuſcujuſque mens capere poteſt: hæc non habetur, priuſquam introducamur ad ſtatum gloriæ. Sed plenitudo viæ, eſt maxima illa gratiæ menſura, quam Deus unicuique electorum in hoc mundo impertire decrevit. Atque hæc habetur ab omnibus Electis antequam migrent ex hac vita. De hac loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 4. 7. Vnicuique noſtrûm data eſt gratia, pro menſura donationis Chriſti. Et Auguſtinus in Pſalm. 38. *Secundum iſtius vitæ modum eſt quædam perfectio, eique perfectioni deputatur, ut ſe quiſque noverit nondum eſſe perfectum.* Hanc

per-

perfectionem & plenitudinem gratiæ illis exoptat in hoc loco.

Nunquam putare debemus nos aſſecutos eſſe ullius gratiæ plenitudinem nobis in hac vita deſtinatam; ſed ſemper eniti & à Deo petere debemus, ut magis & magis impleamur omnibus donis ſpiritualibus. *Doctr. 1.*

Sumus dum hîc vivitur inſtar puerorum qui nondum ad ἀκμὴν pervenerunt; unde ſacra Scriptura omnes excitat ad profectum aſſiduum in omni dono gratiæ divinæ. Ne tædio ſim, enotabo tantùm loca, non recitabo.

Ad fidei incrementum. 2. Cor. 10. 15. Ad ſpei. Rom. 15. 13. Charitatis. Epheſ. 4. 15. Cognitionis. Epheſ. 3. 19. Omnis gratiæ. 2. Pet. 3. 18. Multa ex Patribus in hanc ſententiam afferri poſſent. Nazianzenus, *Chriſtianus aut proficit, aut deficit; in eodem ſtatu permanere non poteſt.* Bernardus, *Minimè bonus eſt, qui melior eſſe non vult: & ubi incipis nolle fieri melior, ibi deſinis eſſe bonus.* Semper itaque petendum & laborandum eſt, ut impleamur magis ac magis donis ſpiritualibus. Hæc de Quantitate.

Agnitione voluntatis ejus] In hiſce verbis & ſequentibus exponit Quæ & Qualia ſint ea bona quæ optat Coloſſenſibus. Bonum eſt ἐπίγνωσις *Agnitio*, id eſt γνῶσις ἐπὶ γνώσιν, cumulata & plena cognitio. Sed qualis? non quælibet, ſed ea quæ hîc deſcribitur ab Objecto, & à Cauſâ; *Agnitio* ſcilicet *voluntatis divinæ* dimanans à *ſapientiâ & intelligentiâ ſpirituali*. *Agnitio voluntatis divinæ* denotat Actum cum Objecto. *Sapientia & Intelligentia* notant Habitus infuſos, unde hæc actualis & efficax agnitio dimanat. Quod attinet ad Objectum hujus agnitionis, ſciendum eſt, voluntatem divinam in ſe, eſſe conſiderationis infinitæ, & inſcrutabilem hominibus; limitanda eſt itaque & reſtringenda ad voluntatem revelatam: nam *Agnitio* præſupponit manifeſtationem rei agnoſcendæ

Jam verò revelata hæc voluntas, cujus plenam agnitionem precatur Coloſſenſibus, ad duo capita revocatur: cognitionem credendorum & faciendorum; ſeu fidei & novæ obedientiæ. Quoad fidem, *Hæc eſt voluntas Dei, ut omnis qui vidit filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Ioan. 6. 40. Quoad ſanctitatem & obedientiam, *Hæc eſt voluntas Dei, nempe ſanctificatio noſtra; ut ſciat unuſquiſque noſtrûm ſuum vas poſſidere cum honore.* 1 Theſ. 4. 3. Agnitio igitur voluntatis divinæ complectitur in ſe cognitionem Legis & Evangelii. Legis, quæ nobis oſtendit abyſſum noſtræ miſeriæ, & etiam proponit renatis regulam novæ vitæ: Evangelii, quæ nobis aperit abyſſum divinæ miſericordiæ, & etiam docet modum ſalutis obtinendæ.

Neque nuda harum rerum apprehenſio dicitur *Agnitio divinæ voluntatis*, ſed apprehenſio efficax, quæ Chriſtum ſibi applicat, & Legis regulam vitâ & factis pro virili exprimit. *In hoc ſcimus, quo-*

niam cognovimus eum ſi mandata ejus obſervemus, 1. Ioan. 2. 3. Mandata ſcilicet tam de fide quàm de obedientia. Videtis Objectum hujus agnitionis: jam ad Cauſam vel Fontem ejus progrediamur.

In omni ſapientiâ & intelligentiâ ſpirituali] Oſtendit unde oriatur efficax illa agnitio divinæ voluntatis, vel in quo fundatur, ſcilicet *in ſapientia & intelligentia ſpirituali*. Quod in Græco habetur ἐν σοφίᾳ; alii vertunt, *per ſapientiam*, alii *cum ſapientia*: ſed eodèm res recidit; nam omnes intelliguntillam agnitionem voluntatis divinæ, non eſſe à nobis, neque ab humana doctrina, ſed ab infuſa ſapientia.

Quæramus itaque duo. Quid ſit *Sapientia & Intelligentia*; & unde ſit? Lombardus & poſt eum omnes Scholaſtici multa de his philoſophantur, ubi de ſeptem donis Spiritus ſancti diſputant: cujus diſputationis fundamentum petitur ex Eſaiæ 11. 2. ubi tamen ſex ſolummodò numerantur. Sed omiſſis cæteris donis, de hiſce duobus inquiramus quid iſti ſentiant.

Sapientia (inquit Lombardus) *eſt habitus infuſus ad ſolius æternæ veritatis contemplationem & delectationem. Intelligentia ad Creatoris & creaturarum inviſibilium ſpeculationem*, loco allegato.

Pariſienſis dicit, *Donum Sapientiæ opponi puerilitati, & proprium hujus munus eſſe producere in animo contemptum rerum vanarum & temporalium; & efficere, ut cœleſtia & capiat cognitione, & amplexetur dilectione. Donum verò intelligentiæ opponi hebetudini; & proprium hujus eſſe occulta rerum & ſignorum penetrare; quæ ſunt velata myſteriis, aut adumbrata quoviſmodò, clarè intueri; non inhærere, aut falli externis rerum apparentiis.* Eſt itaque velut lumen acutum & elimatum ipſius ſapientiæ, atque ſine aliqua hujus doni menſurâ dicit neminem ad ſalutem pervenire.

Antiſſiodorenſis ait, *Sapientiam eſſe cognitionem Dei abſolutè, Intelligentiam eſſe cognitionem Dei collative*; ſcilicet in comparatione ad creaturas. Addit, *Sapientiam eſſe cognitionem Dei per guſtum ſpiritualem; quia per ſapientiam guſtatur Dei ſuavitas.*

Gerſon dicit, *Intelligentiam eſſe quoddam lumen ſpirituale infuſum ad cognitionem Dei in creaturis. Sapientiam eſſe lumen infuſum, ſub quo, vel in quo guſtantur divina per experimentum.*

Sed hæ Scholaſticorum deſcriptiones non videntur mihi ſatis amplæ; reſtringunt enim tam Sapientiam quam Intelligentiam ad vitam contemplativam; cùm utraque ex æquo etiam ſpectet activam.

Eſt igitur Sapientia, infuſa cognitio illorum quæ ad fidem & bonam vitam pertinent, cum affectu pio inclinante ad applicationem & praxin eorundem.

Non enim ex ſola illuminatione intellectus, neque ex ſola renovati-

vatione affectus, ſed ex utriſque conjunctim conſtat ſpiritualis ſapientia; quod ex multis Scripturæ teſtimoniis probari poſſit. *Timor Domini eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia*, Iob. 28.28. *Qui cuſtodit Legem filius ſapiens eſt.* Prov.28.7. Ex quibus locis & conſimilibus patet, hanc ſapientiam, quamvis ſecundum eſſentiam ſuam ſit perfectio quædam intellectualis, tamen quoad materiam & uſum eſſe etiam practicam & moralem. Eſt igitur ſapientia non modò lux, ſed ſanitas quædam & integritas animæ. Solitariæ ſcientiæ lux improbis nonnunquam communicatur; multi enim ſciunt Domini voluntatem, ſed non faciunt, imò planè averſantur: ſed lumen ſapientiæ ſemper pium reddit, quia ſimul inclinat voluntatem ad illud bonum quod ab intellectu apprehenditur. Talem ſapientiam illis precatur Paulus.

Quod ad intelligentiam attinet ſive σύνεσιν, non arbitror eſſe donum realiter diſtinctum à ſupradicta ſapientia; ſed eſſe gradum eminentiorem, & quaſi acumen ſapientiæ. Eſt igitur quædam perſpicacia ſapientiæ, per quam quis idoneus eſt judicare de veris & falſis, bonis & malis, cùm implicantur ſpeciali quadã difficultate ex circumſtantiis particularibus. Hinc Diſcipuli Servatoris dicuntur ἀσύνετοι, Mat.15.16. quia doctrinam Chriſti parabolis involutam non intelligebant. Et Paulus optat Timotheo σύνεσιν ἐν πᾶσι, intelligentiam in omnibus. 2.ad Tim.2.7. Sed hæc appoſitione exemplorum faciemus planiora; & primùm in credendis, deinde in faciendis.

Proponatur quæſtio, Sítne unicus Mediator Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus? Quiſquis ſapientiæ divinæ dono prędítus ſtatim affirmabit. Iam involvatur ſpecialibus difficultatibus; an ità ſit unicus noſter Mediator, ut ne intercedendi munus glorioſæ ſuæ Matri, & aliis Sanctis communicaverit? an ità ſit Mediator, ut ſolus pro peccatis noſtris ſatisfecerit, nullas ſatisfaciendi partes nobis reliquerit? Iam opus erit intelligentiâ, id eſt, acumine ſapientiæ, quæ ſi aberit, facilis eſt lapſus in errorem.

Quæratur etiam, an ſubditis liceat in Regem ſuum arma ferre? Statim reſpondebit etiam Pontificius quivis, non licere. Iam accedant circumſtantiæ particulares; an licitum ſit Regem ſuum hæreſeos condemnatum, & excommunicatum, Papâ jubente, vi & armis oppugnare? Si abſit donum intelligentiæ nutabit & vacillabit quivis Pontificius: imò, in apertam rebellionem prorumpet, ut experientiâ teſtatum vidimus. Videtis quid ſit ſapientia, quid intelligentia, quodnam ſit illorum diſcrimen. Iam ultimo in loco quæritur, unde hæc dona perveniant ad nos? Id Apoſtolus uno verbo indicavit, cùm addit πνευματικῇ.

Spirituali] Sic autem appellatur, quia per Spiritum Chriſti generatur, non ingenio noſtro comparatur. Nam ſapientia Dei increata, eſt author hujus ſapientiæ creatæ. In Ariſtotele, Platone, Socrate reliquiſq; Ethnicis, illa quâ pollebant ſapientia erat habi-

tus

tus acquiſitus; at in fidelibus ſalutaris ſapientia, eſt habitus infuſus. *Si quis indiget ſapientiâ poſtulet à Deo qui dat omnibus affluenter*, Iac. 1. 5. Vnde Clemens; *Sapientia emi non poteſt terreno numiſmate; nec in foro, ſed in cœlo venditur*, Pædag. lib. 2. cap. 3. Ex hiſce deducamus corollaria.

Coroll. 1. Cùm Apoſtolus Coloſſenſibus precetur plenam agnitionem divinæ voluntatis, colligimus cœcam ignorantiam quantumvis devotam non placere Deo. *Bonum enim non eſt, quod non eſt rationabiliter bonum*, ut ſcitè Tertullianus adverſ. Marc. lib. 1.

2 Cùm optat Coloſſenſibus ſapientiam, & intelligentiam, non ſufficere Laicis illam fidem implicitam in fide prælatorum ſuorum, quam paſſim dilaudant Pontificii; qui enim habet ſapientiam, & intelligentiam, is ſuis oculis videt, non alienis.

3 Non ſpiritu Apoſtolico, ſed Antichriſtiano feruntur, qui Laicis negant ordinaria media generandæ ſapientiæ, & intelligentiæ ſpiritualis; ſcilicet lectionem & intellectum verbi divini. *Nam Lex Domini immaculata, convertens animas; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis:* Pſal. 19. Atq; hæc de prima parte orationis Apoſtolicæ, pro bonis illis quæ ſpectant ad perfectam cognitionem veritatis.

VERS. X.

Vt ambuletis dignè Domino, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in agnitione Dei.

PRimam partem Voti Apoſtolici abſolvimus, ubi optat Coloſſenſibus ea bona quæ faciunt ad perfectam cognitionem veritatis. Iam ad ſecundam accedo ubi illis exoptat perfectum exercitium pietatis & ſanctitatis.

Obſerv. Atq; illud inprimis ex ipſo ordine hujus voti obſervetur, Quòd ſapientia & intelligentia ſpiritualis infunditur hominum mentibus à Deo, non ad ſterilem ſcientiam, & ocioſam contemplationem, ſed ad praxin & exercitium ſanctitatis.

Diſtinct. In propoſito verſiculo duo facit Apoſtolus. Proponit in genere ſummam hujus ſui voti, *Vt ambuletis dignè Domino.*] Deinde deducit per partes, & explicat quomodò ambulemus dignè Deo.

Primò, quoad intentionem & ſcopum, ſi omnia referamus εἰς ἀρέσκειαν, ad placendum Deo. Secundò, quoad operationem duplicem, ſi fructificemus in operibus, & creſcamus in cognitione Dei.

Vt ambuletis dignè Domino] *Ambulare* Hebraicâ phraſi ſæpè ponitur in Scripturis pro eo quod eſt, Curſum vitæ inſtituere & tenere. Vt *Ambulare fraudulenter* & *ſimpliciter* paſſim in proverbiis

biis Salomonis. Et *ambulare in viis & juſtificationibus Dei*, crebrum eſt apud Davidem in Pſalmis: Sic in novo Teſtamento, *Ambulare ſecundum Carnem & ſecundum Spiritum*, id eſt, vivere, & converſari. Hac loquendi formulâ admonemur Chriſtianum eſſe in perpetuo itinere verſus patriam cœleſtem; neq; unquam eſſe illi ſubſiſtendum in viâ, ſed perpetuò ambulandum, & progrediendum. Sed quomodò ambulandum?

Ἀξίως τῦ Κυρίυ] Quid ſibi volunt hæc verba facilè intelligemus, ſi conferamus cum ſimilibus loquendi formulis, quæ occurrunt alibi apud hunc noſtrum Apoſtolum. Ad Epheſ. 4.1. *Precor ut ambuletis* ἀξίως τῆς κλήσεως. Ad Philip. 1.27. hortatur eos πολιτεύεσθαι ἀξίως τῦ ἐυαγγελίυ. 1. ad Theſſ. 2. 12. ἀξίως τῦ Θεῦ. Dignè Domino igitur is ambulat, qui ſic vivit ut decet illum qui eſt per Evangelium vocatus in adoptionem filiorum Dei, & in vivam ſpem hæreditatis cœli.

Quomodò poſſibile eſt ambulare prout dignum eſt Domino, vel Deo, vel Evangelio, vel vocatione noſtrâ; cùm horum omnium dignitati non ex æquo reſpondent niſi juſtitia & ſanctitas perfecta & immaculata, qualis non reperitur in hominibus qui geſtant hoc corpus peccati? *Dub.*

Dignitatis vocabulum in Scripturis, non ſemper denotat exactam proportionem æqualitatis rei ad rem, ſed quandam convenientiam & decentiam, quæ tollit repugnantiam, non ponit abſolutam condignitatem. Sic Matth. 3.8. *Fructus facite* ἄξιυς τῆς μετανοίας, id eſt, convenientes & idoneos non repugnantes pœnitentiæ quam profitemini. *Sol.*

Is itaque dignè Deo ambulat, qui à turpitudine & ſtultitiâ hominum carnalium abhorret, qui animum fidelem, Dei & fratrum amantem, cœleſtium appetentem gerit, quamvis ex infirmitate ſæpe labatur & peccet. Dignitas enim hæc noſtra, non pendet ex abſoluta noſtra perfectione; ſed ex dignatione Dei gratuitâ, qui illos ſuo favore dignos reputat, qui ductum ſpiritus ſequuntur; illos indignos qui deſideriis carnis & peccati inſerviunt.

Hinc notanda eſt Dei infinita bonitas & miſericordia, qui nos filios dignos reputat adoptione & hæreditate cœleſti, quamvis longiſſimè abſumus à perfectâ ſanctitate; modò *non ambulemus in conſilio improborum, & viis peccatorum non inſiſtamus, & in cathedra peſtilentiæ non ſedeamus; ſed in lege ejus oblectemur, & de ea continuè meditemur.* Pſal. 1. *Obſerv.*

Apparet etiam illorum ſuperbia, qui ex hac miſericordi dignatione divinâ, meritum Condignitatis ſtabilire conantur, quaſi dignè Deo ambulare, eſſet cœleſtem beatitudinem ſuis operibus mereri; at nil tale ſomniavit Apoſtolus, tantùm voluit eos operam dare ſanctitati, ut indè conſtaret non fruſtrà illos cognitionem & gratiam Dei recepiſſe. Atque hæc ſumma eſt voti in genere. *Obſerv.*

Εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν] *In omne placitum vel obſequium*, ſive, *Vt per omnia placeatis*. Quod poſuit in genere, jam per partes incipit explicare; & primò oſtendit quomodò dignè Deo ambulemus, quoad intentionem & univerſalem ſcopum vitæ noſtræ, nimirum ſi omnia eò referantur ut placeamus Deo.

Vocabulum itaque ἀρέσκειαν, ſumendum arbitror hoc in loco, non tam pro eventu placendi, quàm pro ſtudio & intentione placendi. Sic enim ipſum verbum ſæpe uſurpatur. Rom. 15. 2. *Vnuſquiſque noſtrûm proximo placeat*. Et ad Galat. 1. 10. *Si hominibus placerem, Dei ſervus non eſſem*.

Quòd autem adjungit notam univerſalem, *per omnia placeatis*, ſic illud explicant Græca ſcholia, per diſtributionem λόγοις, ἔργοις, καὶ δόγμασι, verbis, operibus (tam internis quàm externis), & etiam opinionibus.

Ratio cur inprimis requirit Apoſtolus hanc generalem intentionem placendi Deo hæc eſt; quia finis dat ſpeciem in moralibus, ſicut forma in naturalibus. Officia noſtra non initio ſed fine penſanda. Auguſt. in Pſal. 118. Et lib. 4. contra Iulian. cap. 3. *Quicquid boni fit, & non propter hoc fit propter quod fieri debet, etſi officio videtur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* Sic Clem. ſtrom. 6. *Cujuſvis Gentilis peccat actio, quia ſcopum non ſpectat.*. Scopus itaque totius vitæ noſtræ hic eſſe debet, ut Deo placeamus, & eundem glorificemus.

Sed hîc de intentione placendi Deo, dubia nonnulla expedire oportet.

Dub. 1. Quæritur an in omni opere bono neceſſaria ſit actualis intentio placendi Deo per totum tractum operis: verbi causa; Pius filius obedit parentibus intentione placendi Deo: quæro an peccet in præſtando quocunque particulari officio pietatis, ſi non ſemper actu retineat in animo hanc intentionem?

Sol. Reſpondeo: ſufficit quòd præceſſerit illa intentio, & in habitu retineatur, licèt in ſingulis actibus non cogitetur: procedunt enim multæ operationes in virtute alicujus primæ intentionis, cùm actualis intentio deſiit eas comitari. Quemadmodum ſagitta unico jaculantis impulſu per intermedium ſpatium ad ſcopum fertur, quamvis ille nec de ſpatio, nec de ſcopo cogitet: ſic unico impulſu voluntatis procedit bona operatio ad metam ſuam, cùm operans non actu ampliùs cogitat de meta, & primâ ſuâ intentione. Idem illuſtrari poſſit ſimilitudine itinerantis, qui non per ſingulos paſſus actu cogitat illum locum quò intendit, & tamen rectà illuc pergit virtute primæ intentionis.

Sed hîc duo monere oportet. Primum, laborandum eſſe ut actualis intentio placendi Deo, & glorificandi Deum, retineatur, quantùm fieri poteſt, in omni particulari opere. Secundum, cavendum eſſe ne poſt primam intentionem bonam, intentio aliqua mala, &

inor-

inordinata ſuboriatur: non enim hæc à prima accipit rectitudinem, ſed illa ab hac labem, maculam, & corruptelam.

Quæritur an poſſibile ſit homini renato retinere ſemper hanc habitualem intentionem *placendi Deo in omnibus*, licèt in multis interim labatur? *Dub.* 2.

Reſpondeo non modò poſſibile eſſe, ſed neceſſarium ſi velit retinere fidem & bonam conſcientiam: hæc enim non conveniunt, nec in eodem corde morantur cum propoſito peccandi & diſplicendi Deo. Omnis igitur fidelis habet conſtans propoſitum placendi Deo & abſtinendi à peccato, juxta illud Pauli, *Non facio bonum quod volo: ſed malum quod nolo hoc ago. Quòd ſi id facio quod nolo, non amplius ego id perpetro, ſed peccatum quod in me habitat.* Rom.7.19. Qui bonum vult, & malum non vult, is ſtudium retinet placendi Deo, quamvis illectus concupiſcentiâ malâ, nonnunquam ex infirmitate illud committat, quod Deo diſplicet; ſatagit placere per omnia, dum ſtudet vitare peccata ſingula. *Solutio.*

Vltimò, Quæritur an fidelis retinens hoc propoſitum placendi Deo, ſit ſemper illi acceptus & gratus, non obſtantibus illis delictis, & infirmitatibus ſuis? *Dub.* 3.

Reſpondeo primò, Perſonam hominis pii & fidelis ſemper Deo gratam & acceptam eſſe, quia reſpicitur à Deo non in ſe, ſed ut membrum ſub Chriſto capite. *Nulla autem eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ieſu*, Rom.8.1. Secundò, bona opera fidelium, quamvis imperfecta, Deo tamen placent, quia conſiderantur ab illo, ut à Patre amanti, non ut à Iudice rigido; ut tecta & ornata Chriſti perfectiſſimâ obedientiâ, non ut nuda & ſolitaria. Vltimò, ipſa delicta & peccata fidelium odio ſunt, & diſplicent Deo, ſed odio ſimplici non redundante in perſonam. Peccatum itaque in ipſis renatis odit Deus, & proinde per Spiritum gratiæ bellum eidem indicit; at ipſi renati interim illi placent, & proinde illis favet & benedicit. Atq; hæc de intentione illorum qui ambulant dignè Domino. Ad operationem eſt progrediendum. *Sol.*

In omni opere bono fructificantes, & creſcentes &c.] Bonam intentionem ſequi debet bona operatio, ſi velimus ambulare dignè Deo, & eidem placere: duas autem nominat operationis ſpecies; prior eſt operatio practica quæ tendit in opus; altera eſt operatio theoretica quæ ad ipſam cognitionem acquirendam nititur. In priore duo notentur; Quid requirat, *Fructificationem*; Quæ ſit materia circa quam hæc fructificatio verſatur, *Omne opus bonum*.

Fructificantes] Eſt hæc metaphorica locutio ſumpta ab arbore, non quâvis, ſed fructiferâ. Pii enim comparantur *arboribus ad rivos aquarum plantatis, quæ fructum edunt tempore ſuo*. Pſalm. 1. Comparantur palmitibus in vitem fructiferam inſertis. *Ego ſum vitis, vos palmites, is qui manet in me fert fructum multum. Ioa.* 15. Ex hac collatione tria notentur.

Obſerv. 1. Sicut nulla arbor poteſt fructum ferre, niſi habeat in ſe vivificum quoddam ſemen, & nutriatur inſuper quotidiè ſucco bono: ſic nemo fert fructum ſpiritualem, niſi habeat in ſe ſemen ſpiritus, & quotidiè irrigetur fluentis gratiæ divinæ. *Seorſim à me nil poteſtis facere. Niſi quis in me manſerit, ut palmes extra vineam abjectus arefcet:* Ioan. 15.6. Hinc 1. Ioan. 3. ver. 9. Spiritus ſanctus appellatur ſemen, quia ejus virtute, tanquam vivifico quodam ſemine, homines fœcundi reddantur in operibus bonis. Non multùm abludit ab hac ſimilitudine Pariſienſis, cùm dicit *Virtutes appellari fructus, quia mens renati eſt inſtar agri ſeminati vivifico ſemine verbi Dei, quæ concipit & parit omnigenas virtutes, ex gratuito & ſpirituali amplexu æterni ſponſi ſui, videlicet Dei.*

Obſerv. 2. Sicut arbor ea Domino placet, quæ non fruſtra terram occupat, neque ſuccum quem hauſit, in folia tantùm & floſculos diſpergit; ſed fructus bonos producit: ſic ille ſolus Deo placet, qui non fruſtrà in Eccleſia locum tenet, neque ſpeciem tantùm & formam pietatis præ ſe fert, ſed qui vim & virtutem exerit fructificando. Notiſſimi ſunt Scripturarum loci in hanc ſententiam. Luc. 13. de ficu dicit Dominus: *Quæro fructum & non invenio: excinde eam; quorſum terram inutilem reddit?* E contrà, arbor fructifera placet Domino ſuo, & illi curæ & cordi eſſe ſolet: *Pater meus agricola eſt; omnem palmitem qui fert fructum purgat, ut plùs fructus afferat.* Ioan. 15. ver. 2.

Cum Nazianzeno itaque dico, *Nullus Chriſtianus ſit otioſus aut non fructifer; ſed unuſquiſque ex iis quæ habet Deo fructificet. Peccator pœnitentiam, qui bene currit perſeverantiam, juvenis continentiam, ſenex prudentiam, dives eleemoſynam, pauper gratiarum actionem &c.*

Obſerv. 3. Sicut arbor non ſibi vivit & fructificat; ſed Domino, & aliis, quibus illi viſum ſit de fructibus ejus impertire: ſic vir pius, non ſibi ſoli vivere debet, nec curare tantùm ut vita ſua ſit in ſe decora; ſed ut ſit Deo Domino ſuo inprimis honorifica, & fratribus omnibus beneficа. Hoc enim eſt referre arborem fructiferam. Atque hæc de *fructificatione* requiſitâ; ſequitur de materia hujus fructificationis.

In omni opere bono] En materiam in qua verſatur fructificatio pii hominis latam valdè & ſpatioſam. Et ſanè in hoc differt ab arbore; nemo enim ex una & eadem arbore diverſos fructus quærit: at Deus expectat, ut quivis ex fidelibus & renatis producat omne genus bonorum operum. Ratio autem hujus diſſimilitudinis indè oritur, quòd cùm fructus cujuſvis rei reſpondeat ſemini, arbor unicum tantùm fructum producit, quia ſeminis inſiti virtus & potentia ad unum limitatur: at ſemen, quod ſeminatur in cordibus piorum, (Gratia ſcilicet Spiritus Sancti) ad omnem fructum ſpiritualem producendum ex æquo valet: niſi igitur omnem fructum

producant, non reſpondent naturæ, & efficaciæ ſeminis. *Fructus enim ſpiritus* non eſt unicus ſed multiplex. *Charitas ſcilicet, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas &c.* Gal. 5.22. Sunt itaque in hac fructificationis materia duo notanda.

Primum, Quòd Deus non quamvis fructificationem approbat, ſed eam reſtringit ad *bona opera*. *Bona* autem dicuntur quæ ſunt à Deo mandata & præcepta. Qui igitur ſuis inventis, & ſuperſtitioſâ quâdam ἐθελοθρησκείᾳ, conantur Deo placere, non fructificare judicantur, ſed laſcivire. Sic enim loquitur Pſalmiſta, Pſal.106. *Polluerunt ſe operibus ſuis, & fornicati ſunt in adinventionibus ſuis*. Sapienter & piè Cyprianus: *Non noſtro ſed Dei arbitrio eligenda ſunt juſtitiæ exercitamenta*, de ſingul.Cleric. Et apud Eſaiam Deus conqueritur de Iudæis, quòd illum coluerunt *mandatis hominum*, cap.29.13. 1

Secundum, Quòd non ſufficit fructificatio in uno aliquo genere, ſed in omni bono opere eſt fructificandum. Si quis producat bonos fructus eleemoſynæ, & admiſceat impuros fructus impudicitiæ; vel ſi quis fulgeat caſtitate, & ſordeat avaritiâ; non reſpondet voluntati divinæ, vel voto Apoſtolico de fructificatione in omni opere bono: imò malus, & immundus à Deo reputatur. Quis enim mundum aliquem dixerit, qui vel in unicâ cloacâ volutari ſolet? Vnde Apoſtolus jubet, *Ab omni ſpecie mali abſtinere*: & vult *nos ſanctificari* ὁλοτελεῖς, vult *ſpiritum, animam, & corpus inculpatè ſervari*, 1.Theſſ.5.22.23. Atque hæc de practicâ illâ operatione quâ à Deo placemus. 2

Creſcentes in agnitione Dei] Hæc eſt alia operatio illorum, qui dignè Deo ambulant, & illi placere ſtudent. Quemadmodum fructificant in bonis operibus quoad vitam activam; ſic creſcunt & procedunt in cognitione Dei, quoad vitam contemplativam. Alludit ad illud incrementum noſtræ ſtaturæ ſpiritualis, de quâ etiam loquitur ad Epheſ.4.13. ubi oſtendit, *Creſcendum eſſe donec evadamus omnes in unitate fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum ad menſuram ſtaturæ adulti Chriſti*.

Accretio in cognitione non minùs neceſſaria eſt homini Chriſtiano, quàm fructificatio in operibus; quia præcepto divino tenemur ad utramque, & Apoſtolico exemplo docemur utramque à Deo petere. *Obſerv.* 1.

Ex eo quòd hæc duo conjungit Apoſtolus, innuere voluit fructificationem in operibus conſiſtere non poſſe abſque hac progreſſione in ſcientia: nec progreſſionem in ſcientia & verâ agnitione Dei abſq; fructificatione. *Obſerv.* 2.

Ratio prioris hæc eſt; quia ſcientia ſic dirigit virtutis operationem, ut viſus greſſibilem facultatem. Tolle viſum, non poteſt quis rectè ambulare; tolle ſcientiam, non poteſt uti oportuit fructificare. Mala enim actio eſt quæ non dirigitur per ſcientiam,

quamvis ſit ex genere bonorum. Ratio autem poſterioris eſt, quia ſtudium & praxis ſanctitatis, eſt ex divina diſpoſitione quædam præparatio ad obtinendam uberiorem ſcientiam à Deo: & è contrà, neglectus ſanctitatis, & bonorum operum, eſt cauſa cur Deus infligat cœcitatem ſpiritualem, & tradat homines in reprobum ſenſum. *Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi. In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis:* Sap. 1. Et ad Romanos 1. *Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, obtenebratum eſt deſipiens cor eorum; & tradidit eos Deus* εἰς ἀδόκιμον νοῦν, *in mentem omnis judicii expertem.* Vt itaq; ex vera cognitione oritur ſtudium ſanctitatis, & praxis bonorum operum: ſic rurſus ex hac fructificatione, capit novum incrementum ipſa cognitio: ſicut etiam ex ignorantia oritur vita flagitioſa; ac rurſus, ex hac flagitioſa vita, augetur ignorantia & ſtupiditas ſpiritualis. Atq; hæc dixiſſe ſufficiat de ſecunda parte voti Apoſtolici.

VERS. XI.

Omni robore corroborati, ſecundum potentiam gloriæ ipſius ad omnem tolerantiam, & longanimitatem cum gaudio.

HÆc eſt ultima pars voti Apoſtolici pro Coloſſenſibus, & ſpectat præcipue ad tolerantiam crucis; ſunt autem in eo tria notanda. 1. Ipſum bonum quod petitur, *Corroboratio*; *Omni robore corroborati.* 2. Vnde hoc bonum ſperatur & habetur; *Ex glorioſa Dei potentia.* 3. Cui fini inſervit hoc bonum corroborationis; *ad tolerantiam, & longanimitatem cum gaudio.*

Omni robore corroborati] Verba hæc connectenda ſunt cum verſu nono. *Non deſinimus orare pro vobis, ut impleamini omni agnitione &c. Vt incedatis ſicut Domino dignum eſt, corroborati omni robore &c.*

Corroboratio hæc animum firmat tam ad ſuſtinendum quàm ad abſtinendum; nam eam fortitudinem animo imprimit, quæ (ut loquitur Proſper) *non ſolùm diverſis pulſata moleſtiis inconcuſſa permanet, ſed etiam nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbit:* de vita contemp. 3. 20. Popriiſſimum itaque opus hujus Corroborationis eſt illam ſpiritualem vim homini indere, per quam poſſit virtuosè agere, & piè vivere, non obſtantibus illis difficultatibus & periculis quæ retrahunt à pietate.

Scholaſtici Doctores paulò explicatiùs dicunt, hoc robur in quinque rebus vires ſuas exercere. 1. In aggreſſione bonorum operum, quantumvis arduorum. 2. In impugnatione vitiorum. 3. In contemptione terrenorum. 4. In repulſione tentationum. 5. In perpeſſione afflictionum. Atque hîc Apoſtolici voti ordinem ob-

ſervare

ſervare oportet. Optavit illis primò infuſam cognitionem divinæ voluntatis: ſecundò, fructificationem in operibus ſanctitatis: ultimò illis exoptat robur, ex ſpeciali quadam corroboratione, quia *Crux manet eos omnes, qui piè vivere volunt in Chriſto:* 2. Timoth.3.12.

Etiam poſt infuſam cognitionem veritatis, & gratiam ſanctitatis, manent tamen renati infirmi, & invalidi ad aggreſſionem cujuſcunq; boni ſpiritualis, ad impugnationem vitiorum, ad repulſionem tentationum, niſi inſuper corroborentur, & ſuſtententur. Hoc fatetur Paulus. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Rom.7. Hoc in Davide & Petro apparuit, qui, præ hac infirmitate naturæ noſtræ, ſuccubuerunt in die tentationis. *Obſerv.*

Hanc infirmitatem hominis renati & ſanctificati, pulcherrimis ſimilitudinibus illuſtrat Pariſienſis in libro de Tentationibus & reſiſtentiis; quarum nonnullas apponere, haud erit alienum ab inſtituto noſtro, ut intelligatur, quàm ſapienter Apoſtolus poſt ſanctificationem, optavit illis etiam corroborationem.

Comparat *hominem renatum & ſanctificatum equiti pulchrè armato, qui ad bellum procedit, inſidens equo recalcitranti, & refractario; hic enim ſæpe dejicietur equi recalcitratione, niſi quis alius illi opem ferat: ſic renatus ſub ſe habens concupiſcentiam recalcitrantem & repugnantem ſpiritui, in terram ſæpenumerò provolvetur, niſi fuerit aliundè ſuſtentatus & corroboratus.* 1

Comparat *hominem renatum & pium ædificio, cujus pars ſuperior ex materiâ firmâ & ſolidâ conſiſtit, inferior ex aridâ & combuſtioni obnoxiâ: ſic enim renatus quoad partem regeneratam, ſcilicet ſpiritum, conſiſtit quaſi ex donis & gratiis divinis, quæ in ſe habent firmitatem; at quoad partem inferiorem, ſcilicet carnem, conſiſtit ex concupiſcentiis, & inclinationibus malis: ut itaque illud ædificium, ſic homo renatus, ex inferiore parte facilè accenſus, totus conflagrabit, niſi illi caveatur, & ſubveniatur aliundè.* 2

Quemadmodum virgo, quamvis eximiâ caſtitate & pudicitiâ ornata fuerit, tamen ſi in medio corruptorum totam ætatem agat, indigebit auxilio, ne vel blandimentis, vel minis eorum ſuperetur; ſic anima humana gratiâ & ſanctitate ornata, indiget tamen perpetuâ corroboratione, quia vivit inter corruptores homines & dæmones, & etiam inſitas concupiſcentias. 3

Videtis neceſſitatem Corroborationis propter infirmitatem Carnis: ſed cur dicit *Omni robore corroborati?*

Primò, ut innueret nos pugnare non contra unum hoſtem, neq; ex unâ tantùm parte nos telis oppugnari, ſed à multis & undique. Tres primarii hoſtes ſunt Caro, Mundus, Diabolus; quibus ſingulis, tanquam ducibus, ſubſunt gregariorum militum innumeræ cohortes. Secundò, ut ſignificaret parùm nobis prodeſſe, ſi unum aliquem, aut nonnullos ex hiſce hoſtibus vincamus, niſi omnes

fortiter ſub pedibus conteramus. Nam, ut loquitur Cyprianus, ***Si avaritia proſtrata eſt, exurgit libido; ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio, ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia &c.*** Niſi omnes hoſce hoſtes, & ſingulos vincamus, victi ſumus: eſt itaque opus ***Omni robore***, contra Omne genus hoſtium. Hæc de bono quod petitur.

Secundum vim gloriæ ipſius] Κατὰ τὸ κράτος τῆς δόξης αὐτοῦ. Eſt Hebraiſmus; ponitur enim genitivus ſubſtantivi pro adjectivo, *Vim gloriæ*, id eſt, ***vim glorioſam***. In hiſce autem verbis oſtendit unde corroboratio, & robur piorum, nimirùm à glorioſa Dei potentiâ. Tria conſideranda. Quænam ſit hæc vis corroborans: Cur dicatur vis glorioſa: Quomodo ad nos perveniat & derivetur. Quod ad primum. Vis corroborans eſt ipſe Spiritus Sanctus cum donis ſuis, qui infirmis noſtris animis robur admirabile inſpirat. Sic enim loquitur ipſe Chriſtus Lucæ 24. 49. ***Manete*** (inquit ad Apoſtolos) ***in urbe Hieruſalem uſquequò induamini virtute ex alto:*** id eſt, uſquequò Spiritus Sanctus è cœlo in vos illabatur. Sic enim Paulus ad Epheſ. 3. 16. ***Det vobis Deus, ut fortiter corroboremini per Spiritum Suum in interiore homine.***

Doctr. 1. Nemo igitur propriis viribus confidere debet, quaſi ſuâ virtute poſſet tentationibus reſiſtere, aut dolores & afflictiones ſuſtinere pro Chriſto; ſed petere debet corroborationem ab hoc Spiritu. Piè & ſapienter Auguſtinus. ***Multos impedit à firmitate præſumptio firmitatis: nemo erit à Deo firmus, niſi qui à ſeipſo ſe ſentit infirmum.*** De verbis Domini, Serm. 13.

Doctr. 2. Superatis tentationibus, Deo gloriam aſcribere oportet, non nobis aut virtuti noſtræ. ***Non nobis, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*** Pſal. 115. 1. Eſt enim ſuperbiæ ſpecies, cùm quis à ſeipſo videri vult illud habere, quod mutuò accepit ab alio.

Doctr. 3. Vltimò, cùm videmus Hæreticos & impios homines audacter ſubeuntes dolores & cruciatus, ſciendum eſt, quòd non eſt robur, ſed furor; non virtus, ſed ſtupiditas: nam verum robur donum eſt Spiritus Sancti, & ſolis ſanctificatis conceditur. Quæ enim videntur fieri ab Hæreticis & improbis cum fortitudine quadam, non tam illorum vires quàm violentas Dæmonis impulſiones arguunt. ***Nam facta Hæreticorum ſunt quaſi facta Dæmoniacorum***, ut loquitur Pariſienſis de moribus. Conſtat jam, unde ſit hæc vis Corroborans. Quærendum, cur dicatur Glorioſa?

Glorioſam] Potuit dicere Apoſtolus nos corroborari per Deum, vel per ejus virtutem; ſed addidit hoc epitheton, ***glorioſam virtutem***, vel ***glorioſam vim.***

1 Vt majorem confidentiam ponamus in hac virtute divinâ: nam hoc ipſum vocabulum continet in ſe omen, vel potiùs promiſſionem victoriæ & triumphi. Non enim eſſet hæc vis glorioſa, ſi à Dæmone & peccato ſuperaretur. In his omnibus ὑπερνικῶμεν διὰ τῆς

ἀγα-

ἐγαπήσαντ᾽ ἡμᾶς, Rom. 8.

Appellatur glorioſa potentia, propter admirabilem modum vincendi Dæmonem, Mundum, & Carnem. Non enim Spiritus Dei immediatè per abſolutam ſuam potentiam, contundit hoſce hoſtes ſalutis noſtræ; ſed, per inſpiratam nobis vim, facit noſmetipſos illos conculcare. Iam verò valdè admirabilis & glorioſa ſit iſta potentia neceſſe eſt, quæ facit hominem infirmum, carne peccatrice indutum, vincere Dæmonum inſultus & aſtutias, carnis blandimenta & illecebras, totius mundi odia, inſidias, & injurias. De hac glorioſa potentia dicit ipſe Deus; ***Potentia mea in infirmitate perficitur.*** 2. Cor. 12. 9. Vide 1. Cor. 1. ver. 27. Vnum jam reſtat expediendum, Quomodò ad nos perveniat glorioſa hæc vis Spiritus ſancti. Ad nos derivatur, mediante donatione, & interceſſione Chriſti ad dextram patris ſedentis. De donatione ſive miſſione ſpiritus ſui in corda fidelium habemus promiſſionem Chriſti. Ioan. 16. 7. ***Expedit vobis ut ego abeam: ſi enim abiero mittam conſolatorem ad vos.*** Chriſtus igitur, quà Deus, unà cum Patre & Spiritu ſancto, dat ſuis hanc glorioſam virtutem Spiritus ſancti; Deum dat ſolus Deus. 2

Chriſtus, quà homo, intercedit apud patrem, & interceſſione ſuâ impetrat hunc Spiritum fortitudinis omnibus electis. Ioan. 14. 16. ***Ego rogabo patrem, & alium Conſolatorem dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.***

Hinc colligimus Chriſtum, licèt ſedentem in cœlis, eſſe tamen vivum caput, & realiter unitum Eccleſiæ quæ eſt in terris. Nam ut caput naturale transfundit ſenſum & motum corpori ſuo: ſic Chriſtus, caput Eccleſiæ ſpirituale, communicat vim vitalem ſui Spiritus omnibus ſuis membris. *Obſerv.*

Hic videmus ipſam praxin illius Articuli, ***Sedet ad dextram Patris:*** Non enim, ut oportet, credimus Chriſti ſeſſionem ad dextram Patris, niſi credamus illum ſic regnare in cœlis, ut multò efficaciùs ſuos protegat & corroboret, glorioſâ hâc ſuâ potentiâ, quàm ſi in terris adhuc corpore adeſſet, & nobis ſingulis adſtaret. Explicavimus Quid & Quale bonum ſit illa ***Corroboratio***, quam Coloſſenſibus precatur Apoſtolus. Expoſuimus etiam unde habeatur, & quo mediante nobis conferatur: reſtat ut cui fini inſerviat jam exponamus. *Obſerv.*

Ad omnem tolerantiam & longanimitatem cum gaudio]

Vſum & finem oſtendit corroborationis divinæ & fortitudinis noſtræ ſpiritualis, ſcilicet ut procreet in nobis ***patientiam***, vel ***tolerantiam, & longanimitatem:*** deindeadjungit characterem Chriſtianæ patientiæ, ***gaudium*** ſcilicet. Primò inquiramus quæ ſit harum virtutum natura.

Non ſatis convenit inter Interpretes quid ſit ὑπομονὴ, quid μακροθυμία. Aliqui referunt ὑπομονὴν, id eſt, ***patientiam*** vel ***tolerantiam***,

ad

ad illa mala quæ à Deo infliguntur; μακροθυμίαν ad illa quæ ab hominibus inferuntur. Chryſoſtomus ità diſtinguit, ut dicat *Tolerantiam* exerceri erga illos quos non poſſumus ulciſci; *Longanimitatem* erga illos quos poſſumus. Tolerat igitur qui æquo animo fert illud malum quod non poteſt repellere. Longanimis eſt qui à pari vel inferiore læſus, non ſumit vindictam cùm poſſit.

Sed hæ expoſitiones nimis coarctare mihi videntur utramque; probabilius igitur eſt, ut dicamus ὑπομονὴν vel *tolerantiam* reſpicere ipſum pondus & gravitatem afflictionis, ſive à Deo, ſive ab hominibus immiſſæ; deductum enim eſt hoc vocabulum ἀπὸ τῦ ὑπομένειν, quod eſt manere ſub pondere afflictionum, & non obrui mole earum: μακροθυμίαν autem reſpicere ipſam moram, & diuturnitatem mali incumbentis. Qui igitur non frangitur vel per longam dilationem liberationis in malis, nec per longam dilationem exhibitionis in rebus bonis, is habet hanc μακροθυμίαν; quia animus ejus poteſt in illud quod in longinquum diſtat tendere prout oportet.

Hæ duæ virtutes ſunt illius roboris & fortitudinis quam Spiritus nobis largitur individui comites; adjunguntur enim fortitudini illi, ſicut ſecundariæ virtutes principali. Differunt autem in hoc potiſſimùm, quòd *Fortitudo* armat nos contra metum & timorem mali invadentis & oppugnantis, neque ſinit fugere & pugnam detrectare: *Tolerantia* & *Longanimitas* firmant ipſam mentem contra ſenſum mali quod jam invaſit nos & apprehendit, nec ſinit dolorem & triſtitiam nos obruere; ſed docet illud ferre abſque immoderata aliqua & indecenti paſſione. Videmus jam quæ ſit natura *tolerantiæ* & *longanimitatis*.

Secundò conſideremus neceſſitatem harum virtutum, & primò Patientiæ. Eſt autem hæc virtus valdè omnibus piis neceſſaria, quia ubique occurrit occaſio illam exercendi.

1 Si ipſum Deum ſpectamus, patientiam ſuorum exercet illos caſtigando. *Quem diligit Dominus caſtigat: & flagellat omnem filium quem recipit.* Heb. 12. Caſtigatio hæc, ſi adſit patientia, cooperatur in ſalutem; ſi abſit, murmurationem producit, deſperationem, & denique damnationem.

2 Si mundum ſpectemus, eſt valdè neceſſaria piis patientia; nam *in mundo, & à mundo preſſuram habebunt; & quotquot volunt piè vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Qui itaque deſtituitur patientiâ, in ferreo omnium telorum imbre nudus verſatur.

3 Denique, ſi cæteras virtutes ſpectemus, neceſſaria eſt patientia; nàm fidei, juſtitiæ, caſtitati, & cuivis virtuti pœna cum infamia ſæpe proponitur. Hìc explicat ſuas vires Patientia, & ſe quaſi clypeum exhibet reliquarum virtutum.

Prud. Pſyc. *Virtus nàm vidua eſt quam non patientia firmat.*

Patientia ità Dei rebus propoſita eſt (inquit Tertullianus) *ut nullum præceptum obire quis poſſit à patientia extraneus.* Vnde il-

lud

lud Pauli ad Rom. 2.7. *Deus unicuique reddet ſecundum opera ipſius*, τοῖς μὲν καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν, &c. *Illis qui tolerant, boni operis gloriam.*

Iam quod attinet ad *Longanimitatem*, non minor eſt hujus neceſſitas.

Primò, ratione bonorum promiſſorum; nam *ſpes quæ differtur affligit animam.* Prov. 13. Opus eſt itaque Longanimitate illis, quibus beatitudo cœleſtis promittitur, ne langueſcant, & deſperatione præmii ſtudium abjiciant pietatis. Fremit enim & tumultuatur Caro, & Deum incuſat moræ & tardationis, quòd non ſtatim præſtat quod promiſit: at ſpiritualis hæc longanimitas dicit, *Adhuc tantillum, tantillum inquam, & qui venturus eſt veniet, neque tardabit.* Heb. 10.37.

Secundò, opus eſt Longanimitate, ratione malorum incumbentium. Non enim pios ſolatur, quod Epicurus dicere ſolebat, *Dolor omnis ſi longus levis, ſi gravis brevis*; ſunt enim illorum afflictiones, & graves, & diuturnæ. *Tota* illorum *vita militia eſt*, tota hæc vita eſt illis *vallis lachrymarum. Vos plorabitis & flebitis*, inquit Chriſtus) *mundus autem gaudebit*, Ioan. 16. 20. Vbi igitur ſolatium piorum? *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra*; Vt pulchrè Eſaias 30. cap. 15. ver. Et Ierem. Lament. 3. 25. *Bonus eſt Iehova expectantibus ipſum. Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.*

Naturam & neceſſitatem Patientiæ & Longanimitatis vidimus: jam fructum perpendamus, & admirabiles effectus. Atque illud primò ponendum eſt, quotquot ex afflictionibus oriuntur commoda, oriri non niſi mediante hâc patientiâ; patientiæ igitur potiùs aſcribenda ſunt, quàm ipſi afflictioni, quæ impatientibus nocet plurimùm. 1

Patientia ſine ictu & repercuſſione omnes ſuos hoſtes dejicit & proſternit, non dignatur telum in illos vibrare, vincit tamen vel quieſcendo; victi ſunt Gentiles & idololatria eorum, *non à repugnantibus, ſed à morientibus Chriſtianis*, inquit Auguſt. Epiſt. 42. 1

Patientia facit omnes ſuos hoſtes ſibi inſervire, & innumeras utilitates afferre; ut taceam reliquas, facit perſecutores ſuos coronas æterni regni ſibi fabricare. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*; Mat. 5.10. Vnde illud dictum Vincentii Martyris ad Dacianum tortorem ſuum, *Nunquam aliquis adeò bene ſervivit mihi, ut tu.* 2

Patientia noſtra Diabolum confundit, Angelos lætificat, ipſum Deum glorificat, infenſiſſimos denique hoſtes quandoq; emollit, & convertit. Hujus tanti boni utilitate captus Tertullianus, exclamavit, *Totum ſeculum pereat dum patientiam lucrifaciam:* de patient. 3

Cum gaudio] Vltima hæc verba ponunt characterem veræ &

Chri-

Chriſtianæ patientiæ; nam per hoc diſtinguitur à philoſophicâ & hypocriticâ. Philoſophica (qualis celebratur in Socrate) non habebat conjunctum hoc ſpirituale *gaudium*; hypocritica habet internam murmurationem. Sola Chriſtiana habet lætitiam & alacritatem ſpiritualem in mediis calamitatibus. *Ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quia digni habiti ſunt, &c.* Actor. 5. 41.

Dub. Sed objicitur quod ſupra allatum fuit, *Vos plorabitis, mundus gaudebit:* ergò afflictiones piorum non gaudium pariunt, ſed dolorem & lachrymas. Notum eſt etiam illud Philoſophi in Ethicis, *Ethic. 3.* Fortitudinem verſari circa objectum moleſtum & ingratum, & proinde ſufficere ſi non triſtetur vir fortis, quamvis non delectetur.

Sol. Reſpondeo, Gaudium hoc non eſſe de objecto patientiæ, nam illud dolorem incutit; ſed de actu, fructu, & fine: horum enim conſideratio gaudium parit. Gaudere de objecto non convenit omni virtuti; nam eſt aliqua virtus ad quam pertinet dolere de ſuo objecto, ſcilicet pœnitentia: ſed gaudere de actu ſuo pertinet ad omnem virtutem; quia unicuique virtute prædito delectabile eſt operari ſecundum habitum illius virtutis: unde etiam ipſe pœnitens gaudet tamen de ſuo dolore. Sic fortis & patiens gaudent ipſa operatione fortitudinis & patientiæ, quamvis ex objectis illarum dolorem & cruciatum ſentiant.

Sed hoc gaudium quod naſcitur ex conſideratione ſuæ virtuoſæ & laudabilis operationis, non eſt illud quod præcipuè ſpectavit Apoſtolus: ſed hoc potiùs quod oritur ex fiducia amoris divini; ex certa cognitione quòd omnes noſtræ afflictiones cooperantur in bonum animarum noſtrarum; ex certitudine liberationis, & ſpe glorificationis. Sic enim Apoſtolus, *Omnia cooperantur in bonum diligentibus Deum*, Rom. 8. 28. Et ad Phil. 1. 28. *In nullo terreamini ab adverſariis, quod illis eſt cauſa perditionis, vobis ſalutis.* Et Servator, *Cùm vos perſecuti fuerint, gaudete, quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis*, Mat. 5. 12. *Quò malis præſentibus duriùs deprimor, eò de futuris gaudiis certiùs præſumo.* Gregor.

Atque hæc de tertia parte voti Apoſtolici, quâ concluditur Exordium; quod eſt hujus capitis, & totius Epiſtolæ prima pars. Ad ſecundum eſt progrediendum.

VERS. XII.

Gratias agentes Patri qui idoneos nos fecit ad partem ſortis ſanctorum in luce.

TItulo Epiſtolæ, & procemio explicato, ad tertium hujus capitis membrum accedamus, quod extenditur ad verſum 23^m^. In eo autem continetur ſumma doctrinæ Evangelicæ, de redemptione humani generis.

In

In hac Capitis igitur parte tria facit Apoſtolus.

1. Exponit ipſum beneficium redemptionis, à verſu 12° ad 15ᵐ.

2. Depingit perſonam Redemptoris, ab illo verſu ad 20ᵐ.

3. Explicat modum redemptionis, ſive ſalutis noſtræ procurandæ, ad 23ᵐ.

Beneficium redemptionis multa in ſe continet beneficia, quæ ſuo ordine ſigillatim diſcutiemus. Poſſumus autem Apoſtolicæ diſputationis ſummam ad hanc propoſitionem revocare. Salvamur per meritum & paſſionem ſolius Chriſti, qui ſufficit ad procurationem ſalutis humanæ, ſine Iudaicis cæremoniis, reliquiſque mediis quæ obtrudebantur à Pſeudoapoſtolis.

Illud in genere obſervandum, & præmittendum eſt, Optimum eſſe remedium adverſus errores, probè tenere beneficium Redemptionis, & virtutem ac efficaciam Redemptoris. Cur enim Apoſtolus hanc doctrinam ſuſcipit explicandam? nimirum ut ex ejus cognitione omnes argutiæ ſeductorum in fumos evaneſcant. *Obſerv.*

Eodem fundamento poſito, de ſufficientia Chriſti Redemptoris & Mediatoris, nos Papiſtarum errores detegere & elidere poterimus, de invocatione Sanctorum, de neceſſitate ſatisfactionum humanarum, de nundinatione Indulgentiarum, alióſq; plurimos quibus contaminârunt religionem Chriſtianam. Veriſſimè Calvinus, *Non ſtat Papiſmus, niſi cum Chriſti ignoratione.* Iam filum contextus perſequamur, & ordiamur ab hoc verſu duodecimo: in quo tria obſervanda. Primaria cauſa ſalutis, ſeu redemptionis noſtræ, Miſericordia Dei. Primarium hujus miſericordiæ effectum, 1
Habitum, ſive nova quædam in nobis & ſupernaturalis facultas & idoneitas. Finis hujus novæ faculeatis ſeu aptitudinis, Vt participemus hæreditatem cœleſtem. 2 3

Gratias agentes Patri] Verba hæc cohærent cum verſu nono, ubi dixit Apoſtolus, *Non deſinimus pro vobis orare & petere, ut impleamini omni agnitione &c.* jam ſubjungit, *Gratias agentes Patri qui idoneos nos fecit.* Tertiam hanc Capitis partem, quæ eſt de beneficio Redemptionis, pulchrè, & prudenter exorditur Apoſtolus à gratiarum actione: quo ſuo facto nobis ſignificare voluit hæc duo.

Tantum eſſe hoc redemptionis humanæ beneficium, ut nefas ſit non modò tractare, ſed vel de illo cogitare abſque ſumma animi gratitudine. Nunquam ferè in hujus mentionem incidit Apoſtolus, quin prorumpat illicò in laudationem & benedictionem Dei. Epheſ. 1. 3. *Benedictus Deus, &c.* Sic Zacharias Luc. 1. 68. *Benedictus Dominus Iſrael, qui fecit redemptionem, &c.* *Obſerv.* 1.

Debemus in id eniti, ut certum nobis fiat per Spiritum fidei, nos eſſe in eorum numero quos Deus fecit idoneos ad participationem vitæ æternæ. Ineptum enim eſt & præpoſterum, gratias agere pro beneficio accepto, cùm nondum tibi conſtet, utrùm illud acceperis *Obſerv.* 2.

necne. Qui igitur ſuo exemplo vult Coloſſenſes, alióſq; Chriſtianos gratias agere pro impetrato beneficio ſalutis, vult omnes laborare ut per veram & vivam fidem perveniant ad hanc cognitionem, ſolatii pleniſſimam, & Chriſtiano in hac valle lachrymarum valde neceſſariam. Sed cui gratiæ aguntur? Deo *Patri*.

Patri] *Deo & Patri* in quibuſdam exemplaribus. Denotat primariam cauſam ſalutis humanæ, nimirum gratuitam Dei Patris bonitatem, & miſericordiam. Patrem nominat, quia ut ille fons Deitatis, ſic etiam ſpiritualium omnium beneficiorum fons intelligitur. Iacob. 1. 17. Sed non excludere oportet vel Filium, vel Spiritum. Conjuncta enim eſt eorum voluntas, & operatio in ſalvandis Electis: ut tamen in proceſſione eſt ordo divinarum perſonarum, ità ut Filius à Patre, Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedat: ità & in operationibus intelligitur quidam ordo; Pater habet operationem à ſe, Filius a Patre, Spiritus ab utroque. Deum Patrem vel totam Trinitatem dicimus ſalutis noſtræ primariam cauſam duplici reſpectu.

Primò, quia *ex mero voluntatis divinæ ſuo beneplacito, ante jacta mundi fundamenta, nos ad vitam æternam prædeſtinavit*; ut eſt 1. ad Epheſ. 4. & 5. Ob hoc itaque æternæ gratiæ Deo agendæ; nam abſq; hoc eſſet, eſſemus nos è cœlis excluſiſſimi. Rectè Proſper, *Non alii venient in conſortium hæreditatis Chriſti, quàm qui ante conſtitutionem mundi electi ſunt:* de lib. Arbit. Sic ipſe Servator, Matth. 25. 34. & Luc. 12. 32. εὐδόκησεν, &c.

Secundò, quia in temppre, efficaci vocatione electos ad ſe trahit, qui ſi relinquerentur indoli ſuæ nunquam ſalutem oblatam amplecterentur. *Nemo ad me venit, niſi Pater illum traxerit*, inquit Chriſtus, Ioan. 6. 44. Trahit autem ſpeciali, occultâ, & efficaci gratiâ, quæ illis ſolis communicatur, cæteris omnibus denegatur. Vnde illud Auguſtini, *Multi audiunt, ſed illis ſolis perſuadetur, quibus intus loquitur Deus:* in epiſt. Ioan. tract. 4. Atque hæc de primaria cauſa ſalutis noſtræ, Miſericordia ſcilicet Dei nos prædeſtinantis, & efficaciter vocantis; quibus nominibus ſunt illi agendæ gratiæ.

Qui idoneos nos fecit] Iam primarium effectum hujus bonitatis & miſericordiæ divinæ perpendamus. Illud autem eſt *dignitas* ſive *idoneitas* quædam ſpiritualis, quâ ſumus & cenſemur apti, ad participationem beneficiorum ſpiritualium, quæ in Chriſto hominibus communicantur. Hæc autem aptitudo, vel novę dignitatis conditio, ut in nobis inveniatur, duo preſupponit ex parte Dei; Potentem operationem, Miſericordem acceptationem. Operatione enim & acceptatione divinâ *idonei* conſtituimur ad participandam ſortem ſanctorum.

Operatio divina neceſſaria eſt; quia mutari nos oportet, & novas creaturas effici priuſquam participes eſſe poſſumus cœleſtium

beneficio-

beneficiorum. Nam in nobis nihil est aliud quàm summa ineptitudo ad bonum spirituale, sive intelligendum, sive faciendum, sive denique capiendum: οὐχ ἱκανοί ἐσμεν, 2. Cor. 3. 5. *Caro & sanguis, &c*, 1. Cor. 15. 50. *Nisi quis fuerit renatus*, Ioan. 3. 3. Vt itaque hęc obstacula removeantur, & idonei reddamur, Deus nos renovat per spiritum; novam vitam gratię nobis inspirat; infundit denique mentibus nostris fidem, spem, charitatem, reliquásque virtutes quæ requiruntur ad participationem cœlestium promissionum.

Nam *Gratia hæc divina* (ut bene Aquinas) *eò infunditur Electis, ut peragant actiones ordinatas in finem vitæ æternæ.* Dat enim animæ novum quoddam esse spirituale & divinum, unde idonea redditur ad participationem rerum spiritualium, & divinarum. *Natura etenim mentis humanæ quantumcunque perfecta naturalibus donis, absque gratiâ non est susceptibilis gloriæ:* Paris. lib. de Virt. cap. 11. Dei igitur solius gratia nos idoneos facit ad participationem rerum divinarum, nos efficaciter vocando, justificando, sanctificando, internâ quâdam operatione Spiritus sui. *Quæst. disp. de virtut. art. 10.*

Sed præter hanc operationem Dei quæ nos idoneos reddit mutando ac regenerando, requiritur etiam misericors Dei acceptatio, quæ tegat infirmitates nostras, & conatus imbecilles reputet pro perfecta obedientia. Nam ut nihil in nobis boni esset, nisi renovati fuissemus operatione divinâ, ità nihili essent etiam renovatorum bona ad participationem hæreditatis cœlestis, nisi à Patre indulgentissimo propter Christum supra condignum æstimarentur. Vt sit itaq; in nobis boni scintilla minima, requiritur Dei potentia in operando: ut illud bonum qualecunque *idoneos* nos faciat ut reputemur inter filios & hæredes Regni, requiritur paterna clementia in acceptando.

Neque longè petenda ratio est, cur necessariam putemus hanc acceptationem, cùm constet, in ipsis regeneratis post operationem Spiritus regenerantis non esse perfectam novitatem: sed ut in vino diluto, tam aqua quàm vinum in singulis partibus admiscetur; sic in toto homine renato, conditiones regenerationis, & reliquiæ corruptionis, complicatæ reperiuntur.

Nemo in hac vita perfectè perfectus; non enim adhuc sanata est, sed quotidie sanatur piorum infirmitas; Prosp. de Vit. Cont. 1. 9. Sive igitur qualitates internas, sive actiones externas piorum respiciamus, non sunt *idonei ad participandam sortem Sanctorum in luce*, absque acceptatione hâc misericordi. *Væ laudabili vitæ hominum, si absque misericordia discutias eam*, inquit Augustinus, Conf. lib. 9. cap. 13. Et Psalmista, Psal. 143. 2. *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo ulla caro.* Pulchrè Apostolus ad Ephes. 1. 5. 6 *Adoptavit nos Deus,*

κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. *Gratificavit nos per gratiam ſuam,* ἐν τῷ ἠγαπημένῳ.

Hiſce poſitis, de operatione & acceptatione divinâ Corollaria deducamus.

1 Non eſt in poteſtate hominis lapſi & corrupti, idoneum ſe facere ad participationem donorum ſpiritualium, utpote Gratiæ, Fidei, Beatitudinis: ſolus Deus, qui ipſa dona impertit, dat etiam diſpoſitionem ad recipiendum.

Cautè itaque legenda ſunt quæ à nonnullis Scholaſticis diſputantur de præparationibus & diſpoſitionibus, quæ fiunt virtute liberi arbitrii, in ſtatu corruptæ naturæ. Quale eſt illud Durandi: *Licèt non ſit in poteſtate hominis cauſare in ſe charitatem, vel gratiam, eſt tamen in poteſtate ſua ſe diſponere in tantum, quòd Deus dabit illi gratiam:* in ſent. lib. 1. quæſt. 6. Et illud Alberti, *Gratia non datur niſi illis, qui habilitant ad gratiam:* Compend. 5. 2.

Sed hiſce opponimus claras Scripturas, quæ paſſim docent ipſum Deum nos ἱκανοῦσαι, id eſt, ſufficientes reddere & idoneos, ad ſpiritualia & cœleſtia, cùm ex nobis ſimus maximè inepti, ad ea vel capienda vel præſtanda. Opponimus etiam ſaniores Scholaſticos. *Liberum arbitrium non eſt cauſa gratiæ per modum diſpoſitionis ſufficientis.* Aquinas, *Deus prædonat conatus & præparationes, ut poſteà præſtet ampliora.* Pariſienſis, *Quod moveor exiliter & infirmiter ad te Domine, non moveor utique niſi à te, tractus ad te.* Idem.

2 Non ſufficit ad ſalutem procurandam generalis oblatio gratiæ, quæ omnibus expoſita eſt in Evangelii miniſterio; ſed ut fiat efficax, accedat oportet interna Dei operatio, quæ idoneos nos reddat ad gratiam & ſalutem accipiendam. Oblatio gratiæ & ſalutis omnibus communis eſt in prædicatione Evangelii; ſed illa interna efficax operatio, quæ habiles facit, & idoneos ad apprehendendum ſalutem, peculiaris eſt Electis. *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet.* Ioan. 6. 37. *Spiritum veritatis mundus non poteſt accipere.* Ioan. 14. 17. Vnde & illud Actorum 13. 48. *Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Peculiarem hanc Dei operationem in electis agnoſcit Auguſtinus de prædeſt. ſanc. lib. 1. cap. 16. *Qui pertinent ad vocationem ſecundum propoſitum, ſunt omnes docibiles Dei, nec poteſt quiſquam eorum dicere, Credidi ut ſic vocarer; Dei enim miſericordiâ ſic vocatus eſt, ut crederet. Deus non operatur in nobis velle & perficere bonum, quia præceptis forinſecùs inſonet ſenſibus noſtris, ſed quia intrinſecus diffundit charitatem in cordibus noſtris.* Auguſtin. de ſpir. & lit. cap. 25.

3 Nemo poteſt ex merito inhærentis juſtitiæ, aut operum ſuorum, ſortem ſanctorum ſibi vendicare: nam quomodo poſſumus Deo obtrudere juſtitiam noſtram, aut opera noſtra quaſi cœli me-

ritoria,

ritoria, cùm nihil boni in nobis ſit à nobis: ſed, ut ſcitè Auguſtinus, *Quiſquis tibi enumerat merita ſua, quid tibi enumerat niſi munera tua?* Confeſſ. lib. 9. cap. 13.

Simus itaque contenti ex gratia & acceptatione divinâ, vocari ad participationem hæreditatis cœleſtis, & humiliter fateamur, quòd ex nobis ſumus indigniſſimi tanto favore. Deus nos fecit idoneos, regenerando per Spiritum, acceptando propter Chriſtum. Atque hæc de primario hoc effectu & beneficio divinæ miſericordiæ, ſcilicet, *Quòd nos idoneos facit ad vitam æternam.*

Ad participandam ſortem Sanctorum in luce] Finem ſeu fructum oſtendit divinæ operationis in Regeneratione & Sanctificatione Electorum. Quæri enim poteſt, quid utilitatis nobis ex eo oritur, quòd renovamur & illuminamur? quòd fide & charitate imbuimur? quòd in Dei gratiam recipimur? Reſpondetur, operâ hac divinâ *idoneos nos effici ad participandam ſortem Sanctorum in luce*, εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου.

Ineſt nonnihil ambiguitatis & obſcuritatis in hiſce omnibus vocabulis. Vocabulum *Sortis* duobus modis accipitur, vel pro ſtatu ſive conditione, vel pro portione & hæreditate. Pro ſtatu accipitur & conditione, ut apud Poetam, *Sors tua mortalis.* Sic apud Horatium, *Nemo* dicitur *vivere contentus ſuâ ſorte*, id eſt, ſtatu & conditione. Hunc ſenſum ſi ſequamur, dicit Apoſtolus ſe Deo gratias agere, quòd ſe, ac Coloſſenſes ex ſtatu filiorum iræ tranſtulerit in ſtatum novum, & conditionem filiorum Dei. Deus enim regenerando Electos, & fidem ac ſanctitatem illis infundendo, *dat illis hanc dignitatem, ut filii Dei fiant*; Ioan. 1. 12. 13. *Vt ex alienis & extraneis, fiant concives Sanctorum, & domeſtici Dei*, ad Epheſ. 2. 19. Sic Act. 26. 18. Ovid.

Sed hæc expoſitio, etſi vera ſit, plena tamen non eſt; adjungo itaque illam alteram de portione, & hæreditate piis omnibus participandâ. Quia enim Iſraelitæ ſortiendo terram Canaan diviſerunt; indè factum eſt ut illa hæreditas quæ unicuique Tribui aſſignata fuerit, *Sors* illius diceretur. Hinc *Sors Ephraim, Sors Iudæ &c.* Ioſ. 15. 1. Hùc alludens Apoſtolus hæreditatem cœleſtem appellat etiam *Sortem Sanctorum.* Vult igitur Apoſtolus Coloſſenſes idoneos factos non modò ad participandum ſtatum filiorum nunc, ſed etiam hæreditatem in futuro.

In luce] Quòd autem addit *in luce*, alii exponunt de lumine fidei, alii de lumine gloriæ; ſed Apoſtolus mihi videtur utrumque voluiſſe comprehendere pro diverſa temporum ratione.

Deus enim reddit ſuos omnes idoneos ad participandam vitam æternam in hoc ſeculo inchoatâ participatione in lumine ſpei & fidei, juxta illud Ioan. 6. *Qui credit in me habet vitam æternam.* Non dicit *habebit*, ſed *habet. Vir fidelis*, inquit Clemens, *lætatur propter ea quæ ſunt promiſſa, tanquam jam præſentia; & de*

iis certò persuasus, futura jam possidet. Strom. 7.

2 Sed & illud addendum est, fieri etiam idoneos ad participandam sortem Sanctorum in Lumine gloriæ, quoad seculum futurum. Gratia enim datur fidelibus, ut ad gloriam perducantur. Iuxta illud Apostoli Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit vocavit, quos vocavit justificavit, quos justificavit glorificavit.* Deus igitur vocando efficaciter, & justificando Electos, illos idoneos facit ad gloriam obtinendam, id est, *ad participandam sortem Sanctorum in luce.* Sententiam Apostolicam tenemus; jam hinc quasdam observationes deducamus.

Observ. 1. Ex eo quòd Apostolus dicit nos idoneos reddi εἰς μερίδα, non εἰς μερίδας, *ad partem sortis beatorum*, non *ad partes*, vult ut intelligamus hanc cœlestem terrenæ hæreditatis dissimillimam esse. Terrena enim hæreditas, quò inter plures distribuitur, eò minùs à singulis possidetur: Sed Regnum cœleste in solidum possidetur ab innumeris Sanctis; ità ut numerus participantium nihil obstet perfectissimæ & plenissimæ participationi singulorum.

Observ. 2. Quòd verò appellat vitam æternam *sortem*, innuit sub nomine *sortis* acquiri hoc Regnum non propriis viribus, aut virtutibus, sed divinâ providentiâ nobis donari. Iuxta illud Prov. 16. *In gremium conjicitur sors, Iehova autem est ratio ejus*, ut vertit Tremelius.

Observ. 3. *Sanctorum* sors dicitur, non omnium generatim, ut increduli & impuri intelligant hanc sortem ad eos non spectare. Sic enim Apostolus 1. Cor. 6. 9. *An ignoratis injustos non esse Dei hæreditatem possessuros? Nec scortatores &c.* Sortem suam habent impii; sed hæc sita est in commodis & voluptatibus terrenis, ut ipsi fatentur Sap. 2. *Vino & unguentis nos impleamus, coronemus nos rosis, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* Multò præstantior est hæc sors piorum: *Ipse enim Deus est pars eorum.* Lam. 3. 24. Qui adepti sunt hanc sortem, Sancti vocantur in cœlo: qui adepturi sunt, Sanctè eos vivere oportet in terra.

Observ. 4. Vltimò, *In Luce* constituta dicitur hæc hæreditas beatorum, ut intelligamus esse quiddam pulcherrimum, jucundissimum, solatii plenissimum; nihil enim luce aut pulchrius, aut jucundius. *Non solis luce splendet illa Sanctorum regio, sed gloria Dei illustrat eam, & lucerna ejus est agnus.* Rev. 21. 23. Hac itaque metaphorâ Regnum cœli opponitur illi tormentorum loco, qui tenebris densis obsitus perhibetur; ut maximè horribilem, fœdum, ac deformem locum mente concipiamus. Voluit itaque inflammare nos amore hujus sortis Sanctorum quæ luce jucundâ collustratur, & facere ut horreamus sortem oppositam improborum, quæ tenebris & caligine obsidetur.

Vers. XIII. XIIII.

Qui eripuit nos à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ.

In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius (id est) remissionem peccatorum.

VErsatur adhuc in recensendis, & amplificandis illis beneficiis salutaribus, quæ à Deo Patre in nos collata sunt: sunt enim inter se connexa redemptionis nostræ beneficia, ità ut qui unius particeps sit, sit omnium particeps.

Idoneos nos fecit ad participandam sortem Sanctorum versu superiore; jam versu 13. duo alia beneficia connectit Apostolus, sine quibus illud superius constare non potest; ea autem sunt Liberatio ex potestate tenebrarum, Translatio in regnum &c.

Qui eripuit nos à potestate tenebrarum] In hoc beneficio explicando, tria sunt nobis demonstranda. Quis eripuit: Quos, vel Quales: Vnde.

Quis? *Deus Pater*; verba enim hæc cohærent cum superioribus, *Gratias agentes Deo Patri, qui idoneos nos fecit, Qui etiam liberavit, vel eripuit.* Patre autem nominato totam Trinitatem intelligere debemus in hisce operibus externis, ut anteà observavimus.

Primarius itaque author liberationis humanæ est Deus Trinus & unus, qui hoc ab æterno constituit, & in plenitudine temporis Filium misit ad hoc opus, quod decreverat peragendum. *Sic Deus dilexit mundum &c.* Ioan. 3. Rectè igitur dicitur à Scholasticis, *Tota Trinitas redemit hominem potestatis actu, Filius incarnatus redemit humilitatis effectu.*

Neque debuit aut potuit alius hominem liberare nisi solus Deus, qui potuit, & voluit ex nihilo illum creare. Non debuit; quia (ut scitè Tertullianus) *hoc facto Creatori suum servum eriperet.* Tantum enim est hoc beneficium liberationis, ut magis nos obliget quàm ipsum beneficium creationis. Si igitur alius fecisset, alius liberâsset, illi alteri liberatori arctiùs obstricti fuissemus quàm Deo Creatori. Vnde illud ejusdem Tertulliani, *Quis ovem perditam requirere debuit, nonne qui perdidit? quis perdidit, nonne qui habuit? quis habuit, nonne qui fecit?* Sed neque potuit alius eripere. Diabolo enim fortior sit necesse est, qui prædam illi suam extorqueat: Nam *nemo potest potentis alicujus domum ingredi, & vasa ejus diripere, nisi primò vinxerit potentem illum, & tunc domum illius diripiet.* Matth. 12. 29. Sed quis vincere, & vincire potuit hunc Principem tenebrarum, qui nos captivos tenebat, præter solum Deum fortem? Is igitur eripuit.

Nos] Secundo in loco conſiderare oportet, Quos vel Quales Deus eripuit. Conſideratio autem hæc duplex eſſe poteſt, Eripiendorum, vel Ereptorum.

Eripiendi, hoc eſt, ante liberationem noſtram, eramus non modò morbidi, & infirmi; ſed liberationis noſtri hoſtes & inimici.

Infirmitatem hominis lapſi deſcribens Oecumenius; *Erat*, inquit, ἀδυνὰς ϗ πολλῆς βοηθείας διόμενον. Rebellionem etiam oſtendens & animum hoſtilem, *Erat*, inquit, *etiam* ἀποτὸν τὸν βίαιον ἀπωσάμενον. Ipſe Apoſtolus hiſce iiſdem coloribus depingit hominem in ſtatu naturæ corruptæ, ad Rom. 5.

Obſerv. Obſervate Dei immenſum amorem, qui voluit tales liberare; nemo enim curat rem nihili redimere.

Obſerv. Obſervate Dei infinitam potentiam, qui hominem eripuit invito Diabolo, & ipſo homine, ut Lotum Angelus ex Sodomis.

Alia autem jam Ereptorum ratio eſt; poſt liberationem enim ſunt fideles, & ſancti, qui erant anteà rebelles & immundi. Si itaque quæratur, Quales illi ſunt, quos Dei clementia eripuit? Reſpondendum eſt, Eos jam eſſe novos homines, fide & pietate refulgentes. *Nos*, inquit Apoſtolus, *eripuit*, id eſt, nos qui credimus, nos qui fratres diligimus, nos qui ſicut Domino dignum eſt incedimus, omnis operis boni fructum proferentes: tales eripuit.

Obſerv. Hinc patet, quicquid ſomniant homines carnales de liberatione ac ſalute ſuâ, eſſe vaniſſimum. Nam ut Iſraelitæ, dum Pharaoni inſerviebant, & ollis Ægyptiacis inhiabant, non erant libertate donati: ſic Chriſtiani, dum Diabolo parent, dum peccati deliciis diffluunt, non ſunt erepti ex ſervitute, & damnationis ſtatu.

Obſerv. Illud etiam ad ſolatium piorum hinc colligitur, Solos fideles, & pios eſſe liberos, eſſe honoratos, eſſe quantivis pretii apud Deum; cùm è contrà, impii pro viliſſimis & abjectiſſimis mancipiis habeantur, licèt ſplendeant in oculis hominum. Verè Clemens, Strom. 7. Κρεῖττον ἐν γῇ ἄνθρωπος ὁ θεοσεβίζων.

A poteſtate tenebrarum] Quis ſit liberator; Quales fuerint & ſint liberati dictum eſt. Iam reſtat ut Vnde fuerint liberati explicetur. *A poteſtate tenebrarum:* id eſt, ex poteſtate Diaboli, Peccati, & Inferni; vel uno verbo, à ſtatu naturæ corruptæ, ſub quo illa omnia comprehenduntur: vel, ut alii loqui ſolent, à tenebris ignorantiæ, injuſtitiæ, miſeriæ: hæc omnia eodem redeunt, non eſt itaque de verbis laborandum.

1 Dicimur liberari à *poteſtate tenebrarum*, quia liberamur à poteſtate Diaboli, qui eſt *Princeps tenebrarum*, & ſibi ſubditos obtenebrare, & occœcare molitur. Naſcimur omnes ſub regno, & poteſtate ejus, ità ut ante liberationem operetur in nobis pro libito ſuo. Ad Epheſ. 2. 2. *Aliquando ambulâſtis ſecundum principem, &c.* Vnde Pater quidam dixit: *Diabolo quaſi thronum locatum eſſe in corde cuiuſcunque hominis impii; & nondum liberatos Diaboli*

equos

equos appellat, quia huc illuc eos impellet pro libidine. Hic autem *Princeps tenebrarum* conteritur sub pedibus fidelium: ad Rom.16. 20. Quibus à Spiritu Dei subministrantur novæ vires, ad spiritum hunc immundum proculcandum.

Deus nos eripuit à potestate peccati, quòd obtenebravit intellectum, corrupit voluntatem, & nos in statu tenebrarum constituit, tum quoad Cognitionem, tum quoad Praxin spiritualem & salutiferam. *Eratis quondam tenebræ*, Ephes.5.8. Sic Ioan. 1. *Lux in tenebris lucet, sed dilexerunt homines tenebras.* Tenebras nimirum, tum insciticæ tum nequitiæ. Iam ab hisce tenebris nos eripuit Deus, dum lumen fidei infundit, dum Spiritum sanctitatis impertit; quibus datis, potestas hæc & dominium peccati dissolvitur. Ἁμαρτία ὑμῶν ὐ κυριεύσει, ad Rom.6.14. *Enervetur corpus peccati ne posthac illi serviamus*, vers.6. 2

Vltimò, liberavit suos à potestate inferni, id est, à miseriis & calamitatibus quæ dependent ex peccati dominantis reatu. Infernus enim describitur locus tenebricosus: Matth.25. *Ejicite in tenebras exteriores.* Ab harum infernalium tenebrarum potestate liberantur per divinam misericordiam. *Nam nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo*, ad Rom.8. Omni igitur modo Deus suos eripuit ex potestate tenebrarum. Parcè hæc jam attingimus, quia tractanda sunt iterum hæc omnia. 3

Observate ad instructionem, Totum mundum versari in tenebris sub Diabolo, neque lucis salutaris scintillam in nobis reperiri ante liberationem; nam sumus *in potestate tenebrarum*, dominantur scilicet in nos tenebræ spirituales. *Observ.*

Observate ad cautionem, Pios liberatos nihil commercii habere debere cum operibus tenebrarum; sunt enim erepti è potestate Diaboli & peccati, ac proinde hisce serviendo, perfugas se ostendunt. *Abjiciamus igitur opera tenebrarum*, Rom.13.12. *Observ.*

Observate ad solatium; Licèt calamitatibus temporalibus sæpè premantur pii, liberantur tamen ingenti illâ miseriâ, quæ sita est in horrore & reatu mortis æternæ; præ quâ miseriâ ludus jocúsq; sunt omnia externa mala. *Observ.*

Ac transtulit in regnum filii dilectionis suæ] Novum beneficium adjungit Apostolus, quod multum facit ad exaggerationem beneficentiæ divinæ. Parum enim illi videbatur eripere nos ex potestate tenebrarum, id est, ex statu summæ miseriæ, nisi illicò transferret ad regnum, id est, in statum summæ felicitatis & lætitiæ.

Ex qua copulatione horum beneficiorum illud colligere licet, Non esse medium aliquem statum, sed omnes homines aut mancipia esse miserrima sub regno Sathanæ; aut translatos in regnum Christi. Non est tertium aliquod regnum, neque potest idem utri que subesse. Sed ad verba accedamus. *Observ.*

Tria

Tria ſunt in hiſce verbis perpendenda. Qualis ſit hæc tranſlatio: Quid intelligatur per Regnum in quod ſumus tranſlati: Cur dicatur Regnum Filii dilectionis ſuæ, non Dei, aut Cœli, aut Lucis, quod ratio oppoſitionis videtur poſtulâſſe.

Ac tranſtulit] μετέστησεν] Videtur hoc verbum ab illis deſumptum, qui colonias deducunt, & populum migrare cogunt ex natali ſolo, ut novam aliquam regionem incolant: nam ſic Deus ex Regno tenebrarum, quod eſt nobis omnibus natale ſolum, in Regnum piorum, & beatorum nos tranſtulit.

Sed quomodò tranſtulit? id datur intelligi ex contrario; manemus in Regno tenebrarum, mediante cæcitate noſtrâ, infide-
Act. 26. 18. litate, impuritate; igitur migramus ex hoc Regno in illud alterum, mediante efficaci cognitione, fide, & ſanctitate. Injuſtitia & nequitia conſtituunt ſervos Diaboli; fides & pietas efficiunt domeſticos Dei.

Transfert igitur nos Deus ex illo regno luctuoſo & tenebricoſo, dum corda ſuorum illuminat infundendo fidem, dum voluntates mutat & ſanat impertiendo gratiam: illuminatus enim & ſanctificatus ipſo facto transfertur ex poteſtate tenebrarum, in Regnum filii; quia non poteſt ſimul Civis eſſe duarum Civitatum, quæ con-
Obſer. trariis legibus & inſtitutis utuntur. Non ſufficit ut eripiamur è tenebris, vocari nos ad hoc Regnum, moneri ut illud alterum deſeramus; ſed per efficaciam ſancti Spiritus neceſſe eſt transferri nos, & tranſmutari ex ſtatu priore in hunc novum.

Reſut. Hinc Pelagianorum error detegitur, qui Gratiam nihil aliud volunt eſſe quàm liberi arbitrii monitricem. Sed ex hoc loco & infinitis aliis patet, opus eſſe non modò Gratiâ Monente, ſed Mutante, Sanante, Liberante, Tranſferente; abſque tali enim Gratiâ nemo egreditur ex Regno Sathanæ.

Obſerv. Honore ſummo afficiendus & perpetuo, qui nos tranſtulit in hoc Regnum; ſic enim coloniæ ſuum authorem honorare ſolebant.

In Regnum] Quæramus jam, quid ſub *Regni* hujus vocabulo deſignatur. Regnum Cœli vel Regnum Chriſti, in ſacris Scripturis multa denotat.

1 Ponitur pro ſtatu gloriæ & beatitudinis, ut cùm jubemur *quærere Regnum Cœlorum*; Mat. 6. 33. *Cùm impii excluduntur à poſſeſſione Regni Cœlorum*; 1. Cor. 6. Si hoc modo intelligamus Regnum filii, tum dicendus eſt Deus tranſtuliſſe ſuos in Regnum hoc, quatenus habent Ius ad illud, & Spe poſſident, quamvis non Re. Sed hoc mihi non videtur quadrare inſtituto Apoſtoli hoc in loco.

2 Ponitur Regnum Chriſti pro promulgatione & cognitione Evangelii, ut *vobis datum eſt nôſſe myſteria Regni Dei. Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur &c. Hi ſoli adjutores in Regno Dei ſunt mihi.* Hoc ſenſu dicitur Deus tranſferre in Regnum filii illos, quos eruit ex tenebris ignorantiæ & idololatriæ, &

illu-

illuminat cognitione Evangelii. Sic Coloſſenſes, ſic omnes Chriſtiani tranſlati ſunt ex *poteſtate tenebrarum in Regnum Chriſti*, quod eſt *Regnum Lucis*; ſed hæc tranſlatio externum & apparentem tantùm ſtatum Chriſtianorum denotat; loquitur autem Apoſtolus de interno.

Vltimò, Regnum Chriſti accipitur pro ſtatu gratiæ, id eſt, pro acquiſitione remiſſionis peccatorum, renovationis, & favoris divini propter Chriſtum Meſſiam & Mediatorem, & pro multitudine eorum qui ſunt in hoc ſtatu. *Regnum Dei intra vos eſt.* Luc.17. *Regnum Dei non eſt cibus, aut potus, ſed juſtitia & pax &c.* Ro. 14. 17. Hunc ſenſum hujus loci maximè proprium eſſe arbitror: dicitur enim Deus tranſtuliſſe nos in Regnum filii, quia communicavit nobis illa ſpiritualia bona, & ſpiritualem illam conditionem, quæ facit nos ſubditos & membra Chriſti. Sub Regno igitur Chriſti, intelligere oportet, omnia Gratiæ beneficia quæ obtinentur per unionem & ſubjectionem ad Chriſtum Regem noſtrum ſpiritualem. Quid ſit regnum Chriſti intelligitis. Ex his quæ dicta ſunt, obſervate antithelin horum regnorum, ut alterum odiſſe poſſitis, alterum ſuſpirare. 3

Regnum Satanæ eſt regnum tenebrarum, id eſt, ignorantiæ, nequitiæ, miſeriæ; Regnum Chriſti eſt regnum ſcientiæ ſalutiferæ, juſtitiæ, fœlicitatis. Quis non ex iſto luctuoſo regno ſe fugâ eriperet, & in hoc beatum migraret? at longè aliter evenire videmus: nam in regno Diaboli permanere cupiunt omnes, uſque ferè ad extremum ſpiritum, tum verò ad regnum Chriſti tranſferri. *Obſerv.*

Filii] *ſibi dilecti*; vel *filii dilectionis ſuæ*. Reſtat ut ultimo in loco perpendamus cur dicat Apoſtolus *Regnum filii*, non Dei, aut cœli, aut lucis, ut aliis in locis.

Accommodatè dicitur regnum *filii*, quia ad hoc regnum, ſive gratiæ, ſive gloriæ, neminem admittat Deus, niſi per filium Mediatorem. Is eſt Canalis gratiæ, illo mediante rivuli ad nos derivantur, & in hoc ſpirituali regno collocamur, ut patet 1. ad Eph. ver. 3. ad 8m. 1

Dicitur regnum hoc, *filii* regnum, quia Chriſtus Mediator illud à patre accepit gubernandum & adminiſtrandum uſque in finem ſeculi. Ille caput eſt, & ſervator Eccleſiæ ſuæ. Ille de gratia & gloria diſponit pro ſuo beneplacito. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater regnum.* Luc. 22.29. 2

Dixit fortaſſe Apoſtolus regnum *filii*, potiùs quàm Dei vel lucis, quia voluit aptam ſibi viam ſternere, & facilem tranſitionem parare, ad diſſerendum de Perſona filii. Nam ſtatim ingreditur illam doctrinam, quod tam aptè facere non potuiſſet, niſi filium expreſſè nominâſſet. 3

Cùm hoc regnum gratiæ & gloriæ, Chriſti regnum vocetur, laborandum nobis eſt, ut Chriſto uniamur, ut in illum inſeramur; *Uſus.*

nam

nam à Christo divulsi sunt aridi palmites, & ab hoc Regno exules, quamvis videntur in eodem habitare, & ejusdem privilegiis gaudere.

Dilectionis suæ, vel dilecti] τῆς ἀγάπης αὐτοῦ] Hebraismus est; *filius dilectionis*, id est, *filius dilectissimus*; ut perditionis, perditissimus.

Rectè vocatur Christus filius dilectionis paternæ, quia totam & integram paternam dilectionem sibi communicatam habet, quemadmodùm & essentiam. Hoc Deus ipse manifestavit voce è cœlis missa, Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς ἐν ᾧ εὐδόκησα, Matth. 17. 5. Facit autem hujus rei mentionem in hoc loco, ut indè intelligamus, in Christo dilectissimo nos diligi à Deo.

Solat. Magnum hoc solatium est pio, cùm meminerit se esse non modò subditum, sed membrum Christi tam Deo dilecti. Hinc enim concipit spem quidvis ad salutem necessarium à Deo impetrandi. Quî enim negare potest, subditis, amicis, fratribus filii sui quem unicè diligit?

Hinc, si quis in Christum insitus, per infirmitatem suam aut tentationes Satanæ seductus, deliquerit; fiduciam veniæ sumit: non potest enim Deus odisse illos qui sunt in Christo, & qui illo Intercessore fruuntur, qui Christum ipsum tam intimè amat. Ut verbo concludam, Dei amor in Christum, causa est & arrha certissima benevolentiæ erga illos omnes qui sunt translati in Regnum Christi.

VERS. 14. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.*

A Deo Patre ad Christum Θεάνθρωπον, Mediatorem, salutis nostræ causam instrumentalem descendit Apostolus: nam Deus eripuit nos à potestate tenebrarum, Deus transtulit nos in regnum gratiæ; sed mediante Filio suo.

In hoc itaque versiculo tria facit: ostendit, 1. Quis sit noster Redemptor; Filius Dei incarnatus, *In quo habemus redemptionem.* 2. Quæ, & qualis sit hæc redemptio de qua loquitur; ea scilicet quæ sita est *in remissione peccatorum.* 3. Quo pretio acquisita & obtenta sit hæc redemptio; *per sanguinem ipsius.*

In quo habemus redemptionem] Cohærent hæc verba cum ultimis verbis versiculi superioris. *In quo*, Filio suo dilecto scilicet. Hîc itaque personam Redemptoris considerare oportet.

Filius Dei Christus, Θεάνθρωπος, est Redemptor noster. Deum requirebat hoc opus, ut possit mortem vincere: Hominem, ut possit mortem pro nobis oppetere. Vt Deus, jure proprietatis suscepit hoc opus redimendi suas creaturas; ut Homo, jure propinquitatis suscepit opus redimendi suos fratres.

Non sola divinitas, non sola humanitas, non natura Angelica debuit hoc negotium Redemptionis peragere: sed solus Dei filius;

Qui,

Qui, ut loquitur Apoſtolus ad Philip. 2, *Cùm eſſet in forma Dei exinanivit ſeipſum, & formâ ſervi acceptâ, ſimilis hominibus eſt factus.* Vnde & illud, *Eccleſiam fuiſſe acquiſitam ſanguine Dei*, Actor. 20. 28.

Rectè Auguſtinus, *Inter divinitatem ſolam & humanitatem ſolam mediatrix eſt humana divinitas, & divina humanitas.* Nec male Aquinas, *Humanitas Chriſti eſt inſtrumentum, Divinitas eſt agens principale in opere ſalutis noſtræ adimplendo:* Quæſt. diſp. de verbo artic. 5.

Ex hac conſideratione perſonæ redimentis nos, peccati infinitus reatus elucéſcit; juxta illud Bernardi, *Agnoſce ô homo quàm gravia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe eſt Dei filium vulnerari.* Hoc horrorem & deteſtationem peccati debet incutere. *Obſerv.*

Dei etiam infinitum amorem demonſtrat in genus humanum, qui Filium ſuum mittere voluit ad miſeros mortales redimendos. Hoc nos accendat mutuo amore, hoc excitet ad omne genus obſequii. *Obſerv.*

Sed & illud obſervandum, quòd non dicit, *per* Filium Dei, nos habere redemptionem, ſed *in* illo. Nam *per* Chriſtum totus mundus dicitur redemptus, quatenus obtulit, & dedit ſufficiens λύτρον, pro omnibus. Sed *in illo* habent efficacem redemptionem ſoli electi & fideles, quia hi ſoli ſunt *in illo*. *In quo.*

Hinc diſcimus neminem habere, aut habere poſſe fructum aliquem redemptionis per Chriſtum partæ, niſi ſit in Chriſto. Inſerimur autem in Chriſtum mediante fide, per Spiritum ſanctum. Salus igitur ad nos derivatur non niſi à Chriſto Capite noſtro; cùm enim ſit Caput noſtrum, & nos membra illius; tum ſumus in illo, tum ſalvifica illius virtus ad nos pertingit, non antea. Eſt enim Servator Corporis ſui, Epheſ. 5. 23. *Doctr.*

Dubium hîc etiam breviter expediendum eſt: Nam cùm dicit Apoſtolus, *in quo habemus redemptionem*; nos ſcilicet Chriſtiani per unicam oblationem Filii Dei redemptoris noſtri: quæri (inquam) poteſt, An Patres ſub veteri Teſtamento, non habuerunt hanc redemptionem Chriſto nondum nato nedum oblato pro expiandis hominum peccatis? *Object.*

Reſpondemus, Fideles ſub veteri Teſtamento habuiſſe redemptionem in Chriſto, per ſanguinem illius effundendum; quemadmodum & nos per ſanguinem effuſum. Quia hoc ſacrificium Chriſti vim habuit ſalvificam, non tantummodo ab exhibitione, ſed ab æterno Dei decreto, & efficaciâ æternâ ejuſdem ſacrificii, tam ante, quàm poſt exhibitionem. *Ieſus Chriſtus, heri, & hodie idem eſt, & in ſecula*, Hebr. 13. 8. *Agnus occiſus ab origine mundi*, Apoc. 13. Omnes itaque fideles ſub Lege, per fidem in filio Dei, habebant redemptionem ſicut & nos ſub Evangelio. *Abrahamus diem Chriſti vidit, & gaviſus eſt:* Ioan. 8. 56. Vidit fidei *Sol.*

oculis, non carnis. Huic veriſſimæ ſententiæ Auguſtinus, & reliqui Patres aſtipulantur. *Omnes juſti ante Chriſtum eâdem fide vixerunt quâ nos:* Auguſt. contr. epiſt. Pelag. lib. 3. cap. 4. *Antiquis temporibus fuerunt juſti ſpirituales; fides venturi Chriſti habitabat in iis:* contr. Adverſar. Leg. & Proph. lib. 1. cap. 17. *Eadem fides, & noſtra & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum:* ad Optat. Epiſt. 157. Hæc de Redemptore, Chriſto ſcilicet Dei Filio incarnato & mortuo quoad nos; incarnando & morituro quoad veteres Patres.

Remiſſionem peccatorum] Summatim complectitur, & exponit quid intelligat per Redemptionem: nam hæc verba per appoſitionem ſunt connectenda cum illis, *In quo habemus redemptionem*, id eſt, *remiſſionem peccatorum.*

Optimo conſilio hanc explicationem adjunxit Apoſtolus: non enim adhuc habemus omnimodam & plenariam redemptionem, ſed expectamus illam in die reſurrectionis.

Habemus illam redemptionem, quæ ſita eſt in remiſſione peccatorum, quâ obtentâ, liberamur à ſervitute Diaboli, peccati, & inferni. Non poteſt Diabolus nos ultrà tanquam captivos detinere, tanquam mancipia ſua regere, & pro imperio huc illuc impellere: non poteſt ipſum peccatum, quod inhæret nobis, regnare in nobis: non poteſt denique ipſe infernus nos perpetuo metu cruciare, aut dominium aliquod in nos vendicare. Nam, remiſſo peccato, Diaboli poteſtas diſſolvitur, Dei ira removetur, mortis æternæ reatus aufertur: ab his igitur omnibus habemus redemptionem, dum habemus remiſſionem peccatorum. Sed eſt alia adhuc ſervitus, nimirum corruptionis corporum noſtrorum, & externarum miſeriarum, à quibus nondum redimuntur Electi, ſed in adventu Chriſti redimentur. Luc. 19. 28. *Attollite capita veſtra, quoniam tunc appropinquat redemptio veſtra.* Hanc appellat Apoſtolus ἀπολύτρωσιν περιποιήσεως, acquiſitam & completam redemptionem, Eph. 1. 14. Hanc etiam Chriſtus nobis meruit; ſed noluit ſtatim dari fidelibus hanc corporum incorruptionem, & liberationem à miſeriis hiſce externis, & à reliquiis peccati.

Primò, Ne capitis & membrorum conditio planè contraria eſſet; Ipſe enim Chriſtus erat *vir dolorum*, omne genus miſeriarum perpeſſus: non ille ſtatim conſedit ad dextram Patris in gloria; ſed famem, ſitim, cruciatum, mortem priùs ſubivit. Æquum igitur eſt, & membra Chriſti per paſſiones & ipſam mortem ad beatitudinem pervenire.

Secundò, Non plenè redimuntur ab hiſce corporalibus afflictionibus, neque à peccati reliquiis, ut habeant materiam glorificandi Deum, dum ſummâ conſtantiâ & patientiâ eaſdem perferunt, dum omnibus viribus peccati concupiſcentiis reſiſtunt; ut Deus etiam juſtus judex, poſt bene depugnatam hanc pugnam, immarceſcibi-

ceſcibilem coronam tanquam militibus ſtrenuis largiatur.

Vltimò, Noluit protinus fidelibus dare liberationem ab hac corporali miſeria, ne Chriſtiani viderentur Chriſtum amplecti propter hanc temporalem liberationem, potiùs quàm propter ſpiritualem.

Vt concludamus igitur, cùm Apoſtolus redemptionem explicat per *remiſſionem peccatorum*, voluit oſtendere quid fidelibus detur de redemptionis beneficio, quid in aliud ſeculum reſervetur.

Per ſanguinem ipſius] De perſona Redemptoris, de ipſo etiam beneficio redemptionis jam diſſeruimus. Reliquum eſt ultimum hujus verſiculi membrum; de pretio vel modo redemptionis *per ſanguinem ipſius*, id eſt, per mortem ſanguinolentam parta eſt hæc redemptio. Pretium expreſſè ponit, quia aliis multis modis redimuntur vel liberantur captivi è ſervitute.

Gratuitâ manumiſſione; utpote cùm Dominus ultrò dimittit, & liberum abire jubet ſervum ſuum. ſed hic modus non conveniebat; quia Deus aliter decreverat, quia Diabolus, qui nos captivos tenebat, nunquam ſuâ ſponte dimiſiſſet. 1

Permutatione; ſic legimus in bellis ſæpe factitatum, utpote cùm Carthaginienſes decem ex Romanis in bello captos Romam mittunt, eâ lege, ut Romani totidem ex Carthaginienſibus liberos dimitterent: ſed nec ſic peragi potuit redemptio humana; nullâ enim permutatione cujuſcunque creaturæ, compenſari potuit Deo illata ab homine contumelia. 2

Violentâ ablatione; ut cùm David vi & armis ſuos liberat & recuperat ex manibus Amalecitarum; 1. Sam. 30. Sed nec ſic debuit liberari humanum genus. Quamvis enim jure bono Chriſtus potuit Diabolo ſolidâ vi extorquere prædam, quam iſte latro malâ fraude acquiſiverat; non tamen potuit eo modo homo læſæ Majeſtatis reus Deo reconciliari. 3

Reſtabat igitur ratio ultima & unica nos redimendi, nempe ea quæ fit per modum juſtitiæ, ſolutis omnibus noſtris debitis per fidejuſſorem noſtrum Chriſtum Ieſum. Sed quo dato pretio tam ingens debitum diſſolvit? *Non auro & argento; ſed pretioſo ſuo ſanguine*; 1. Pet. 1. 18. 4

Per ſanguinem] Mortem ſanguinolentam deſignat, non quòd præviæ actiones, & paſſiones Chriſti nihil conducebant ad ſalutem humanam promerendam; ſed quòd in effuſione ſanguinis, id eſt, in morte, fuit complementum ſatisfactionis: *Quamvis quilibet Chriſti actus eſſet nobis meritorius, tamen ad ſatisfaciendum pro reatu humanæ naturæ quæ erat morti obligata, oportuit quòd Chriſtus mortem ſuſtineret*; ut verè Aquin. Quæſt. diſp. de gratia Chriſti, artic. 7. Redempti autem ſumus hoc *ſanguine*, vel hac morte Chriſti; quatenus expiavit iram Dei, quatenus diſſipavit poteſtatem Diaboli.

Dei iram avertit à nobis Chriſtus ſubeundo pœnas ſibi indebi-

tas, ut nos à debitis liberaret. *Suſcepit* (inquit Auguſtinus) *ſine malis meritis pœnam, ut nos ſine bonis conſequeremur gratiam.* Et Apoſtolus ad Galatas 3. 13. *Factus eſt Chriſtus pro nobis execratio, ut nos redimeret ab execratione.*

Obſerv. Eſt itaque hîc obſervandum, quòd quamvis Diabolus nos detinebat captivos, tamen pretium noſtræ liberationis, ſcilicet ſanguis Chriſti oblatus eſt in ſatiſfactionem Dei, non Diaboli. Ratio autem ejus rei hæc eſt; quia in Deum, non in Diabolum peccaverat homo; ad Deum igitur ſpectabat illum vel condemnare vel abſolvere: Deo reconciliato, atque peccato remiſſo, Diaboli poteſtas ſtatim evanuit. Abundè autem Deo ſatiſfactum eſt morte Chriſti pro peccatis totius mundi: quia mors Chriſti erat mors Dei; ſanguis Chriſti, ſanguis Dei. Ex infinita igitur perſonæ dignitate, infinitum erat pretium ſanguinis [illegible] carnis quam pro nobis obtulit. Sic Cyrillus de Recta fide ad Reginas, lib. 2. *Si intelligatur Deus incarnatus & paſſus propriâ carne, parva eſt orga ipſum omnis creatura, & ſufficit ad redemptionem mundi unius carnis mors.*

Sic igitur fuit Deo ſatisfactum & expiata ſunt peccata noſtra. Iam oſtendendum eſt, quomodò Chriſti ſanguis effuſus non modò Deum nobis reconciliavit, ſed Diaboli poteſtatem diſſipavit: nam nos ab illo liberavit hæc mors Chriſti ſanguinolenta.

Vt autem hoc intelligatur, illud inprimis ſtatuendum eſt, Diaboli poteſtatem in hominem nixam fuiſſe peccato hominis; ſi itaq; ponamus hominem peccati expertem nihil in hunc poteſtatis exercere ullâ juris ſpecie poterit Diabolus. Cùm itaque Chriſtum Servatorem peccati expertem aggreſſus fuerit Diabolus, illúmque per ſuos ſatellites, Iudæos, acerbiſſimâ & indigniſſimâ morte affecerit, Deo ipſo judicante, amiſit poteſtatem quam habuit in nos nocentes, quia exercuit quam non habuit in Chriſtum innocentem.

Nam ob hanc injuriam Chriſto illatam, & ab eo patienter toleratam, Deus adjudicavit illi poteſtatem in Diabolum, & in omnia quæ ille poſſederat, ità ut pro ſuo arbitrio poſſit illum ſpoliare, & illi eripere quoſcunque viſum fuerit.

Poſtquam igitur Diabolus Chriſti morte per viam juſtitiæ victus fuit, & exutus ſuis poſſeſſionibus decreto divino, tum vi & ingratiis illi eripit ſuos Electos Chriſtus triumphator, & illum conculcat, non modò ſub pedibus ſuis, ſed ſub pedibus ſuorum omnium. Sic Chriſti morte & ſanguine ſuperatus Diabolus, & nos ex illius faucibus erepti ſumus.

Hanc doctrinæ & Scripturæ & Patres perhibent teſtimonium. Hanc Chriſti victricem mortem prædixit Deus, Gen. 3. 15. *Inimicitiam ponam inter ſemen tuum, & inter ſemen mulieris. Ipſum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.* Et Eſaiæ 53. *Dividet ſpolia fortium, quia tradidit in mortem animam ſuam.*

Paſſus

Paſſus eſt animam innocentem ſibi eripi, ut noſtras animas nocentes eriperet ex poteſtate Diaboli.

Auguſtinus lib.13. de Trin.cap.14. *Quæ eſt juſtitia quâ victus eſt Diabolus? Quæ niſi juſtitia Jeſu Chriſti? Et quo modo victus eſt? Quia cùm in eo nihil morte dignum inveniret, occidit enim tamen. Et utique juſtum eſt, ut debitores quos tenebat dimitteret in eum credentes, quem ſine ullo debito occidit.* Et cap.15. *In redemptione tanquam pretium pro nobis datus eſt ſanguis Chriſti: quo accepto, Diabolus non ditatus eſt, ſed ligatus, ut nos ab ejus nexibus ſolveremur.* Similia leguntur apud Theodoretum, de Providen. Ser. 10. & apud Leon. Serm.5. de Paſſione Dom.

Ex his quæ dicta ſunt de modo redemptionis noſtræ, conciliantur loci in ſpeciem pugnantes. Quorum aliqui dicunt nos gratis juſtificatos & ſalvatos, ut 3° ad Roman.24. Alii dicunt nos pretio redemptos: 1. Cor.6.20. Alii oſtendunt nos vi & potentiâ Chriſti ereptos fuiſſe ex poteſtate Diaboli, illúmque fuiſſe ſpoliatum, triumphatum, & deſtructum: Col.2.15. Heb.2.14.

Sed hæc omnia veriſſimè dicuntur. Sumus enim gratis redempti & ſalvati quoad noſmetipſos: nam nos nihil contulimus ad redemptionem noſtram. Sumus pretio redempti quoad Deum: Illi enim pro noſtra liberatione ſanguinem ſuum Chriſtus obtulit. Sumus potentiâ & viribus liberati, quoad Diabolum; quem Chriſtus priùs victum & jure ſibi adjudicatum, vi & armis ſpoliavit.

Ex hac Redemptione acquiſitâ per mortem & ſanguinem ſolius Chriſti, hæc Corollaria deducimus.

Nos non eſſe noſtri juris, ſed Redemptoris ſervos: non igitur noſtris concupiſcentiis ſervire debemus, ſed illius mandatis obedire. 1

Non ſatisfactionibus noſtris, non meritis, aut paſſionibus Martyrum redimi pœnas noſtris peccatis debitas; ſed ſolius Chriſti innocentis ſanguine. Scitè Tertul. *Si nihil ipſe deliqui ſti planè patere pro me: ſi verò peccator es, quomodò oleum faculæ tuæ ſufficere tibi & mihi poterit?* 2 de Pudicit.

VERS. XV.

Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ.

TRibus ſuperioribus verſiculis dictum eſt de ipſo beneficio Redemptionis. In hiſce quatuor quæ ſequuntur habemus accuratam deſcriptionem ipſius Redemptoris. Inſerit autem Apoſtolus egregiam hanc Chriſti προσωπογραφίαν, quo conſtet clariùs tutò poſſe in tali Redemptore omnem ſpem ſalutis noſtræ reponi, & reliqua omnia ſalutis media à ſeductoribus invecta, tanquam manifeſtiſſima commenta rejici oportere.

Deſcribitur autem Redemptor à triplici relatione.

1. A relatione intrinſecâ ad Deum, *Eſt ejus Imago.*

2. A relatione extrinſecâ ad creaturam conditam, *Eſt Primogenitus creaturæ*, eſt ejus Creator & Conſervator.

3. A relatione ad creaturam reparatam, ſcilicet ad Eccleſiam: Eſt enim *Caput, Principium*, &c.

Qui eſt imago Dei inviſibilis] Orditur deſcriptionem Redemptoris ab intrinſeca relatione ad Deum. Hîc autem conſiderare oportet hæc tria.

1. Quot ſint de ratione imaginis, id eſt, quid requiratur ad conſtituendam imaginem.

2. Qualis Dei imago Chriſtus ſit, vel quo ſenſu dicatur *imago Dei*.

3. Cur Deus, cujus Chriſtus eſt imago, dicitur *inviſibilis*.

Quod ad primum; De ratione *Imaginis* ſunt tria hęc. Primò, Vt illud quod dicitur imago, habeat ſimilitudinem alterius: ſi enim nulla ſimilitudo intercedat, abſonum eſt, & ab omni ratione alienum, ut vocetur imago; non enim poteſt repræſentare alterum, quod eſt imaginis proprium.

Secundò, requiritur in imagine, ut illud quod hoc nomine propriè cenſeatur, ſit aliquo modo deductum & derivatum ab eo cujus imago dicitur. Similitudo enim nuda, ubi nulla eſt deductio vel derivatio alterius ab altero, non conſtituit propriam rationem imaginis: ut, exempli cauſâ, non dicimus lac lactis, vel ovum ovi, alterius imaginem; quia hoc ab illo non eſt deductum.

Vltimò, requiritur ut ſimilitudo quæ intercedit inter imaginem, & illud cujus eſt imago, pertineat ad Prototypi ſpecificam naturam, quoad participationem, vel ſaltem quoad deſignationem ſpeciei. Cùm pertinet ad ipſam ſpeciei naturam, dicitur imago eſſentialis & naturalis, vel imago æqualitatis: Cùm ad externam tantùm ſpeciei deſignationem pertingit, dicitur imago accidentalis, artificialis, ſive imago imitationis. Primo modo, imago Regis dicitur eſſe in Principe filio ſuo. Secundo, dicitur imago Regis impreſſa in numiſmate ſuo, vel depicta in tabella. Hiſce poſitis, jam inquiramus qualis Dei imago ſit Chriſtus noſter Redemptor, vel quo ſenſu dicatur *Imago Dei*.

Duplex autem hîc occurrit conſideratio. Nam Chriſtus conſiderandus eſt, vel ut fuit æterna & inviſibilis Patris imago ante mundum conditum: vel ut fuit viſibilis & conſpicua imago Patris inconſpicui, poſt carnem ſcilicet aſſumptam.

Fuit igitur ab omni æternitate & ſemper erit Chriſtus verbum increatum, imago perfecta, eſſentialis, & inviſibilis, Patris ſui inviſibilis: Cùm nec Angeli nec homines erant, qui hanc imaginem mentis oculis contemplarentur, erat tamen nihilominùs imago Patris ſui.

1 Quia habebat expreſſam ejus ſimilitudinem; nam erat χαρακτὴρ

τῆς

τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ: Heb.1.3. *Character Perſonæ illius.*

Habebat inſuper hanc ſimilitudinem deductam & derivatam à Deo Patre per paternam illam, & ineffabilem generationem. Pater enim æternus ſeſe ab æterno intelligens, gignit verbum, ſui imaginem conſubſtantialem. De modo ſi quis expectet à me aliquid, illud Ambroſii habebit; *Credere tibi juſſum eſt, non diſcutere permiſſum eſt:* de fide lib.1.cap.5. 2

Poſtremò, non umbratilem Patris imaginem gerit in natura diſſimili, ſed in eadem eſſentia & natura divina. 3

Quomodò dicitur Chriſtus imago Dei, cùm ipſe etiam Deus ſit; fieri autem non poſſit, ut idem dicatur ejuſdem imago? *Dub.*

Vocabulum *Deus*, hoc in loco perſonaliter capitur non eſſentialiter; Patrem enim ſolùm deſignat, non naturam divinam in genere. Eſt igitur Chriſtus imago Patris, non Deitatis: Perſona Filii imaginem gerit perſonæ Patris; ſed eſſentia ſive natura divina in Filio eadem prorſus eſt, quæ in Patre: *Ego & Pater unum ſumus.* Chriſtus igitur non poteſt eſſe idem Perſonâ cum illo cujus eſt imago; ſed nihil impedit, quin poſſit eſſe idem Eſſentiâ. *Sol.*

Cur nomen *Imaginis* appropriatur Chriſto, cùm etiam Spiritus ſanctus ſit ejuſdem eſſentiæ cum Deo Patre? *Dub.*

Non quòd careat veritate naturæ divinæ; eſt enim & Spiritus ejuſdem eſſentiæ cum Patre & Filio: ſed quia Spiritus procedit per modum voluntatis, Filius per modum naturæ: quia etiam procedit non à ſolo Patre, ſed à Filio etiam. Imago autem debet eſſe unius certæ perſonæ imago. Hiſce explicatis, deducamus jam aliquot obſervationes ex hoc dicto Apoſtolico, *Chriſtus eſt Dei Imago.* *Sol.*

Arrii error refellitur, qui negabat Chriſtum eſſe ejuſdem eſſentiæ cum Patre: nam ſi eſt imago perſonæ paternæ, eſt Patri coëſſentialis; quia creatura non poteſt eſſe æterna *imago* Creatoris, ſed tantùm ad *imaginem* per donorum gratuitorum communicationem. *Obſerv.* 1.

Contrarius etiam error Sabellii revincitur, qui affirmabat Filium eſſe eundem cum Patre, nec diſtingui ab illo perſonaliter; ſed nihil poteſt eſſe manifeſtius, quàm imaginem eſſe quiddam diſtinctum ab eo cujus eſt imago. Eſt Pater, eſt etiam & Filius, quia imago Patris eſt Filius. *Obſerv.* 2.

Erudimur per quem nos ſumus ad Dei imaginem, quam amiſimus, reformandi; nempe per hanc perfectam & eſſentialem Dei imaginem, quem idcircò Deus in mundum miſit, ut hominem lapſum & turpiter deformatum renovaret. *Niſi per hanc imaginem Dei, ad imaginem Dei eſſe non potes.* Ambroſ. de fid. 1.4. *Obſerv.* 3.

Atque hæc dixiſſe ſufficiat de Filio quatenus in ſe eſt inviſibilis, æterna, & naturalis imago Dei Patris ante mundum conditum. Sed Chriſtus etiam conſiderandus eſt, quatenus eſt viſibilis & conſpi-

cua imago Dei invisibilis post carnem assumptam, idque respectu nostrî, quia nobis repræsentat Deum.

Huc etiam mihi videtur spectâsse Apostolus, ex eo quòd non dicit simpliciter Christum esse *imaginem Dei*, sed τοῦ Θεοῦ ἀοράτου; ubi tacita Antithesis subintelligenda; quasi dixisset, Christum jam esse factum visibilem imaginem Dei invisibilis. Nam illa substantialis Dei imago fulgebat in Christo incarnato, & quasi in speculo repræsentabat nobis Deum Patrem, quando in carne seipsum nobis exhibuit Deum potentem & præsentem; & in hac carne conspiciendam nobis præbuit justitiam, misericordiam, veritatem, potentiam Dei. Nam in Christo homine eluxit divinæ virtutis imago clarissima: ὁ Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, *Deus conspicuus factus est in carne*; 1. Tim. 3. 16. Et ipse Christus, Ioan. 14. *Si nosseris me, Patrem etiam meum nosseris; qui vidit me, vidit Patrem.* Hîc perspicimus sapientiam, & bonitatem divinam; nam à Deo invisibili proponitur humano generi Filius visibilis, & Deus in carne manifestatus, ut per illum qui est lux, via, & veritas, ad illum qui est invisibilis & incomprehensibilis accedamus faciliùs.

Ex hac sapientissima dispositione divinâ colligimus, non expedire nobis Deum cognoscere extra Christum; vel ad Deum rectà tendere Christo prætermisso. Hujusmodi enim cognitio, vel accessio ad Deum, nobis miseris mortalibus peccato inquinatis, horrorem incuteret, non solatium afferret. *Dei visio metum hominibus incutit, quia Deus appropinquans, animæ morbum redarguit*; inquit Nazianzenus orat. 4.

Quemadmodum igitur, qui nequeunt in ipsam Solis lucem dirigere oculorum aciem sine dolore, possunt tamen reflexam ejus *imaginem*, etiam cum voluptate intueri: sic nos, qui divinam majestatem in se conspicere non possumus, vivam ejus *imaginem* in Christo summa cum lætitia contemplamur. Atq; hæc de Christo *Dei Imagine* dicta sunto.

Restat ut ad illud ultimum accedamus; cur scilicet *Deus* dicitur *invisibilis*: idque considerandum est vel respectu divinæ naturæ in Se, vel in Persona Patris.

1 *Invisibilis*] Primò, respectu divinæ naturæ per se consideratæ; quia nec carnis, nec etiam mentis oculis conspici potest, dum sumus viatores. *Non poteris videre faciem meam:* Exod. 33. 20. *Deum nemo vidit unquam:* Ioan. 1. 18. *Lucem habitat inaccessibilem:* 1. Tim. 6. 16. Corporeis oculis impossibile est ut Deum videamus, quia actus videndi præsupponit objectum visibile; at in Deo nec lux corporalis, nec color, nec figura, nihil denique quod habet objecti visibilis rationem.

Vnde patet Anthropomorphitarum stultitia, qui Deo humanam speciem, & corporis lineamenta nostris haud dissimilia affingebant; Talis si Deus esset, invisibilis non esset.

Sed

Sed nec mentis oculis Dei eſſentiam videre poſſumus in hac vitâ. *Eam quæ in Deo habitat plenitudinem divinitatis nemo conſpexit, nemo mente comprehendit*, inquit Ambroſius, in Luc. lib. 1. cap. 1. Quod facilè patebit ſi conſideremus modos cognitionis noſtræ dum ſumus viatores.

Cognoſcimus enim Deum vel per Cauſalitatem, vel per Remotionem, vel per Eminentiam. Per Cauſalitatem, dum per creaturas quarum Deus cauſa eſt contemplamur Creatorem: ſed non obſtante hac cognitione manet Dei eſſentia inviſibilis; quia effectum non oſtendit eſſentiam cauſæ ſuæ, niſi cùm eſt ejuſdem ſpeciei cum cauſa, aut totam cauſæ virtutem demonſtrat.

Per Remotionem Deum cognoſcimus, cùm conſideramus creaturarum imperfectiones, & illas à Deo remotas intelligimus; utpote cùm Deum immortalem, impaſſibilem, impeccabilem mente concipimus: ſed hæc cognitio non pertingit ad eſſentiam divinam. Remotiones enim indicant negando, quid Deus non ſit; aſſerendo non indicant quid ſit. Nulla enim privatio eſt de eſſentia poſitivi.

Per Eminentiam Deum cognoſcimus, cùm conſideratis creaturarum perfectionibus, illas Deo aſcribimus ſummo eminentiæ gradu: ut quia ſapientia, fortitudo, ſanctitas, ſunt perfectiones in creaturis, igitur judicamus Deum fortiſſimum eſſe, ſapientiſſimum, ſanctiſſimum: ſed nec hac via aſſurgimus ad videndum Dei eſſentiam, quia nihil horum de Deo & creatura prædicatur univocè. Aquin. quæſt. diſp. de Simp. div. eſſen. artic. 4.

Triplici huic viæ Deum cognoſcendi, adde etiam & illam cognitionem quam habemus per fidem, & tamen adhuc divina eſſentia remanet inviſibilis. Sic enim ipſe Paulus fatetur, 1. ad Cor. 13. 12. *Cernimus nunc per ſpeculum & per ænigma.* Nam fides oſtendit potiùs qualis Deus ſit erga nos, quàm qualis ſit in ſua eſſentia. Eſt igitur Deus in ſe, nobis *inviſibilis.*

Sed & illud adjungere oportet, Deum in perſona Patris ſpeciali quadam ratione dici *inviſibilem*: nam hoc in loco nomen Dei (ut antè monuimus) perſonaliter potiùs capitur quàm eſſentialiter. 2

Deus igitur Pater dicitur *inviſibilis*, quia nunquam (ut probabiliter Patres tenent) apparebat Patriarchis; ſed Filius, qui etiam fuit inviſibilis per divinam naturam, apparere illis voluit per aſſumptam aliquam creaturam. Sic Tertull. in lib. de Trin. & alibi. *Qui ad Moſen loquebatur erat Dei filius, qui & ſemper videbatur Patriarchis.* Sic Prudent. in Apotheoſi, *Quiſque hominum vidiſſe Deum memoratur, ab ipſo infuſum vitæ gnatum.* Voluit hoc pacto Filius ſuæ incarnationi quaſi præludere; Spiritus etiam ſanctus legitur apparuiſſe in viſibili ſpecie columbæ, & linguarum igneārum; at Pater ſpeciem aliquam viſibilem nunquam ſumpſit, ſed fuit ſemper omnimodò inviſibilis.

Cùm

Uſus. 1. Cùm Deus patefecit ſe eſſe inviſibilem, hinc Ethnicorum & Papiſtarum idololatria convincitur, qui illum colunt ſub imagine humana. Nam ipſe Deus, ex eo quòd ſe viſibilem non præbuerit, concludit ſe colendum non eſſe ſub imagine viſibili. Deut. 4. 15. Turpem hanc Eccleſiæ Romanæ idololatriam, & Patres omnes, & nonnulli etiam inter ipſos Pontificios condemnârunt. *Eſſentiam divinam colere in materia, eſt eam per ſenſum dedecorare:* Clem. Strom. 6. *Nulla imago ejus coli debet niſi illa quæ hoc eſt quod ipſe:* Auguſt. Epiſt. 119. *Fatuum eſt imagines facere ad repræſentandum Deum, vel eas venerari:* Durand. At illi faciunt ad cultum: Cajet. in 3. quæſt. 25. art. 3.

2 Cùm Deus ſit inviſibilis nobis in hac vita, & tamen felicitas noſtra ſita ſit in ejus viſione; vitam illam alteram ſuſpirare debemus, debemus etiam ſic vitam noſtram componere, ut poſſimus tandem ad beatificam Dei inviſibilis viſionem pervenire. Oportet igitur cor noſtrum ab omni immunditie cuſtodire. *Beati qui ſunt mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt;* Mat. 5. 8. Oportet pacem ſectari & ſanctimoniam, *ſine qua nemo videbit Dominum;* Heb. 12. Vt verbo concludam; ſi qua ſpes, aut cupiditas nobis inſit videndi aliquando illum inviſibilem, ſemper ſit nobis in animo illud Ioan. 1 epiſt. 3. 3. *Cùm Deus patefactus fuerit, videbimus eum ſicuti eſt: Quiſquis habet hanc ſpem, purificat ſe, ſicuti & ille purus eſt.* Atque hactenus de comparatione Chriſti ad Deum.

Primogenitus omnis creaturæ] Hîc deſcribit Redemptorem à collatione ad creaturas, atque aſſerit illum eſſe à Deo genitum antequam ulla creatura exiſteret. Sed hîc diſſimulandum non eſt, variis modis exponi hæc verba ab Interpretibus.

Nonnulli accommodant ad naturam Chriſti humanam, atque exponunt, *Primogenitum omnis creaturæ*, Dominum omnis creaturæ. Atque putant Apoſtolum alludere ad prærogativam *primogeniti* ſub veteri Teſtamento. Qui enim erat *primogenitus inter multos fratres*, is pro Domino à reliquis colebatur, is Regis & Sacerdotis officio fungebatur in ſua familia: ab illo itaque dependebant reliqui fratres, ab illo benedictio & ſanctificatio in omnes derivabatur. Cùm igitur Chriſtus homo ſit Dominus conſtitutus totius mundi; Pſal. 8. & 1. ad Hebræos. Cùm ab illo fratres ſui ſanctificantur; ad Hebræos 2. 11. aptiſſimè dicitur primogenitus omnis creaturæ, quia habet jus, & prærogativam primogeniti ſupra omnem creaturam.

Auguſtinus multis in locis vocabulum *Primogeniti* accommodat ad Chriſti naturam humanam. In lib. de fide & ſymb. Tom. 3. Et contra Secundinum Manich. Tom. 6. *Vnigenitus*, inquit, *dicitur, quia ſine fratribus: Primogenitus, quia cum fratribus. Non invenies quomodò utrumque de illo ſecundum eandem naturam divinitatis intelligas.* Hic ſenſus nihil habet incommodi, & illum

nonnulli

nonnulli amplectuntur, ut facilius occurrant Arrianorum cavillo.

Sed omnes ferè Græci Patres, & plurimi ex Latinis interpretantur vocabulum *Primogeniti* de Chriſto ſecundum naturam divinam. Hanc igitur volunt eſſe vim horum verborum, *Primogenitus omnis creaturæ*; id eſt, genitus antequam res ulla crearetur, πρὸ πάσης κτίσεως, utpote genitus ab æterno. Pauca illorum teſtimonia proferamus. Tertullianus in libro de Trin. *Quomodo primogenitus eſſe potuit, niſi quoniam ſecundum divinitatem ante omnem creaturam ex Deo Patre Sermo proceſſit?* Ambroſ. de fide lib.1.cap.4. *Primogenitus dicitur, non primo-creatus, ut & Genitus pro natura, & Primus pro æternitate credatur.* Chryſoſt. in hunc locum; ὁ γεννηθεὶς, ἀλλὰ γεννηθείς.

Sed cur non dicitur *Primogenitus* Dei, ſed *Primogenitus omnis creaturæ?* *Quæſt.*

Eſt paulò durior conſtructio, cùm exponimus, *Primogenitum creaturæ omnis*, id eſt, genitum à Deo ante omnem creaturam; ſed voluit Apoſtolus cum æterna Chriſti generatione creaturæ mentionem copulare, ut indè intelligatur, ità fuiſſe à Deo Patre ab æterno genitum, ut in tempore eſſet principium effectivum, & etiam baſis & fundamentum totius creaturæ, quo niſi niteretur in nihilum dilaberetur. Sic Baſilius: Dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*, ὅτι αἴτιος τῆς ἐξ οὐκ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραγωγῆς τὸν κτίσιν. *Sol.*

Sed hîc duo cavenda ſunt. Primùm, ne ex eo quòd Chriſtus dicitur reſpectu divinæ naturæ *Primogenitus*, putemus hanc ineffabilem generationem ab aliquo temporis principio initium ſuum cepiſſe: Chriſtus habet principium originis, nempe Patrem ſuum unde genitus eſt; ſed principium temporis non habuit; genitus eſt enim à Patre ab æterno. Rectè Thomas: *Filius non ſic accepit à Patre quaſi priùs non habens, & poſtea accipiens, ſed quia hoc ipſum quod eſt habet à Patre, ab omni ſcilicet æternitate*: juxta illud, *Dominus poſſidebat me in initio viarum ſuarum:* Prov.8.22. *Egreſſus ejus à diebus æternitatis:* Mich.5.2. *In principio:* Ioan.1.1.

Vocabulum igitur hoc, Primus, vel Primum, cùm de Deo dicitur, non ponit temporale initium in Deo, de quo affirmatur; ſed tantummodo excludit prioritatem rerum aliarum: *Ego ſum primus & noviſſimus:* Revel.22.13.

Non hinc inferre oportet Deum aut initium habuiſſe, aut finem habiturum; ſed hinc negare oportet quicquam aut ante illum extitiſſe, aut poſt illum duraturum. Sic eùm Chriſtus dicitur Primogenitus, non inferre oportet, ergò habuit principium temporale ſuæ exiſtentiæ; ſed negare oportet, ergò nihil fuit illi coævum, aut illo antiquius.

Secundò, cavere oportet, ne ex eo quòd Chriſtus dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*, inferamus cum Arrianis, ergò Chriſtus eſt creatura. Sic enim illi arguunt: Quemadmodum Primogeni-

tus

tus fratrum est ex numero fratrum, & Primogenita gregis sunt de grege: sic Primogenitus omnis creaturæ, est ex numero creaturarum.

Sed hîc non connumeratio cum creaturis est intelligenda, sed antecessio solùm. In Primogenitis qui habent Secundogenitos eadem est natura primi & secundi; quia originem capiunt ab eodem: sed Christus ità dicitur Primogenitus, ut sit etiam Vnigenitus. Ille enim solus de Deo Patre genitus; creaturæ non genitæ sed creatæ à Deo. *Primogenitus igitur omnis creaturæ*, nihil aliud significat, quàm genitum ante ullam rem creatam.

Doctr. Christus est verus Deus, quia genitus non factus; quia ante omnem creaturam genitus. Quicquid enim est, aut Creator est aut Creatura.

Vers. XVI. XVII.

Quoniam in ipso condita sunt, omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia, & invisibilia; sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, & ejus respectu condita sunt.

Estque ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt.

PErgit in describendo Filio Dei per collationem ad creaturas; & illud probat & illustrat quod superiore versu posuit; scilicet *Christum esse Dei imaginem & primogenitum omnis creaturæ*; id est, esse Filium Dei naturalem, ab eo genitum ante omnem creaturam conditam; id est ab æterno.

Hoc probat ratione sumptâ à natura causæ & effectorum: ostendit autem Christum esse causam efficientem, conservantem, atque etiam causam finalem totius creaturæ; & proinde priorem omni creaturâ & dignitate & tempore. Illustratur autem hoc argumentum à variis creaturæ divisionibus. Sed hæc singula occurrent commodiùs discutienda, si ordinem contextus prosequamur.

Quoniam in ipso condita sunt omnia] Reddit rationem cur vocaverit illum *Primogenitum omnis creaturæ*. Ratio autem ut Scholastici volunt, petitur à causa exemplari; illud autem colligunt quia dicitur ἐν αὐτῷ, non διʼ αὐτοῦ. Multa itaque hîc philosophantur de æterna omnium rerum Ideâ in Verbo. Neque nos negamus Opificem mundi, ab omni æternitate in seipso habuisse rationes descriptas rerum omnium, ita ut Verbo omnia essent præsentia, cùm in se non essent. Nam ut dicit Philosophus, 7. Metaphys. de rebus artificialibus, *Formam illarum esse priùs in mente artificis, quàm in opere externo, ità ut omnis domus materialis fiat semper ad exemplar domus immaterialis quæ delineata fuit in mente artificis*; sic nos verè dicere possumus de rebus naturalibus, illa-

rum

rum exemplar fuiſſe in mente & ratione divinâ, priuſquàm in actum producebantur.

Si hoc modo exponamus verba Apoſtoli, ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, firmiſſima inde petitur probatio, quòd Chriſtus ſit omnibus creaturis prior & excellentior: quia cauſa exemplaris eſt ſemper prior eo quod fit ad exemplar. Hanc proponere volui Scholaſticorum interpretationem, quia nihil habet in ſe falſi; ſed amplector potiùs Chryſoſtomi, & noſtrorum hominum ſententiam, qui dicunt hîc Hebraiſmum eſſe, & ἐν αὐτῷ, idem valere quòd δι' αὐτοῦ, ità ut ratio petatur à cauſa efficienti. Sæpe enim hæc Præpoſitio *in*, pro *per* capitur in Scripturis. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi in jejunio.* Sic, *In Spiritu loqui*, & *in Spiritu dona dari* dicuntur, pro *per Spiritum*: 1.Cor.12. Lubentiùs in hanc deſcendo ſententiam, quia ipſe Apoſtolus dicit *condita*, non *cognita*; tum quia cùm in fine verſus per Epanalepſin reſumit quod dixerat, dicit *per ipſum* demonſtrans hæc eſſe ſibi ἰσοδυναμοῦντα.

Eſt itaque firmiſſima ratio; Chriſtus non eſt creatura, ſed illis omnibus prior, quia per ipſum conditæ ſunt. Illud enim quod efficit, priùs eſt effecto, ὑμένιον πρὸς λόγῳ, ἀλλὰ λόγῳ πρὸς χρόνῳ, ut rectè Philoſophus de part.animal.1.1.

Sed hic dicet aliquis probari obſcurum per obſcurius: nam & illud in quæſtionem vocari poteſt, An Chriſtus fuerit omnium conditor, necne? *Object.*

Scribit Apoſtolus Coloſſenſibus, non Paganis ſed Chriſtianis; ſupponit igitur illos admittere Chriſtum non eſſe nudum hominem ſed Verbum incarnatum. Hoc poſito ſequitur illum eſſe omnium creaturarum opificem. Ioan.1. *Verbum erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & abſque eo factum eſt nihil.* *Sol.*

Quæ in cœlis, & quæ in terrâ, viſibilia & inviſibilia] Quod dixerat *omnia per Chriſtum condita*, jam illuſtrat à duplici diſtributione creaturarum; prior petitur à diverſis locis creaturarum, poſterior à diverſis qualitatibus.

In cœlis & in terra] Hac diſtributione vniverſam creaturam complectitur: nam ſub *cœli* nomine pro more Scripturarum intelligit ſummum cœlum in quo ſedes Angelorum & beatorum; cœlum ſtellatum, in quo corpora cœleſtia; cœlum etiam aërium, in quo meteora & volatilia. Cùm *in terra* dicit; non modò ea deſignat quæ ſunt in ſuperficie terræ, ſed ea quæ ſubtus latent in ſinu, & viſceribus terræ; & ea quæ ſunt in mari, quod terram cingit, & ſphæram unam cum terra efficit. Sic loquitur ipſe Moſes, Gen. 1. *In principio Deus fecit cœlum & terram:* ubi ſub hiſce duobus nominibus tota naturæ fabrica comprehenditur.

Viſibilia & inviſibilia] Hæc eſt altera diviſio à qualitatibus ſumpta, quæ etiam includit omnes res creatas. In cœlo viſibilia ſunt ſol, luna, ſtellæ; inviſibilia, angeli: In terra viſibilia, Plan-

tæ, animalia, elementa; invisibilia, animæ humanæ. Hæc reliquáque omnia sunt per Christum creata.

Ex eo quòd Christus *Creator* statuitur *eorum quæ in cælo, & quæ in terra, visibilium & invisibilium*, multorum Philosophorum & Hæreticorum deliramenta refelluntur.

1 Peripateticorum, qui mundum æternum fuisse somniabant: non illi admittunt Creationem, sed ponunt motum æternum in cœlis, & æternam successionem generationis & corruptionis in sublunaribus. Sed non modò authoritate Apostolicâ, sed etiam ratione revincuntur. Si enim Motus fuerit æternus, & Tempus etiam fuerit infinitum; sed quomodò totum transiit & defluxit, si fuerit infinitum? infinitum enim est intransibile. Si cœlum fuerit ab æterno, tum infinitę peractę sunt Solis revolutiones, & animi infiniti: at hoc impossibile est, cùm dies peracti sint notâ proportione plures quàm anni; at numero infinito non datur alius major certâ & notâ proportione; nam hoc arguit utrunque esse finitum. Quod attinet ad generationem & corruptionem; non potest vel cogitari æterna, nisi detur in causis vel progressus in infinitum, vel circulatio. Huc adde, quòd possibilitas essendi, vel non essendi, repugnat æternitati; at in omnibus creaturis inest hæc possibilitas deficiendi. Sed hęc spinosiora sunt, neque pertinet ad forum Theologicum de hisce curiosiùs disceptare. Consulantur Iustinus Martyr in quæstionibus. Gulielmus Parisiensis in lib. de universo, par. 2. cap. 11.

2 Aliorum philosophorum, qui putant Angelos à Deo, ab Angelis hunc mundum corporalem fuisse factum; quem errorem Apellitæ amplexi sunt: Tertull. de carne Christi. Sed creare opus est Christi, non Angelorum. Nam rectè statuunt Theologi, actum Creationis, creaturæ concedi non posse, neut instrumentali quidem causæ, nedum ut principali; quia in creatione fit deductio à non Ente ad Ens; at inter nihil & ens distantia est planè infinita, nec ullis creaturæ viribus transeunda. Quia omnis creaturæ actio est accidens; accidens autem non recipitur nisi in subjecto existente; ergò creatura non agit ad Creationem: ageret enim cùm nihil esset quod in se vim actionis reciperet. Denique, quia in Creatione datur tota rei essentia; at tota non datur nisi ab eo qui est totus actus. Nam ex nihilo, causa finita & naturalis nihil potest facere. Sed nobis sufficit authoritas Scripturæ, quæ docet totius mundi fabricam non Angelorum ministerio, sed Verbi imperio conditam fuisse.

3 Marcionitarum & Manichæorum, qui sugillant opera Creationis, præsertim corporalia & visibilia quasi Deo authore indigna. Tertul. adverſ. Marcion. lib. 1. Sed de hisce testatur Apostolus quòd fuerint à Christo condita, & ipse Deus, quòd fuerint in suo genere *valde bona*; Genes. 1. Neque enim malum est aut imperfectum quod est altero inferius, modò habeat ea omnia quæ requiruntur ad speciem suam. Quamvis igitur terrena & corporalia

sunt

ſunt inferiora cœleſtibus & ſpiritualibus, tamen ſunt in ſuo genere bona, & Chriſto Creatore digna. Ipſe etiam mundus perfectior eſt, conſtans ex utriſque, quam ſi ex ſolis inviſibilibus conſtaret.

Sadducæorum & Atheorum, qui negant ſubſtantias inviſibiles. Neque enim Angelos, neque animas immortales agnoſcunt; ſed hi ſpoliant Chriſtum præcipuâ gloriâ Creationis. Nam inviſibiles iſtæ ſubſtantiæ, ſunt multò digniores corporalibus. Detruncant nobiliſſimam univerſi partem. Repugnant manifeſtiſſimæ experientiæ, quæ bonos & malos eſſe ſpiritus concluſit ex multis effectis quæ produci non poſſunt niſi à ſubſtantiis ſpiritualibus. Hiſce omnibus igitur rejectis erroribus, fateamur à *Chriſto condita omnia &c.* 4

Sive throni, ſive dominationes, ſive principatus ſive poteſtates] Dixerat Chriſtum conditorem fuiſſe omnium tam viſibilium quam inviſibilium; novâ jam ſubdiviſione creaturarum inviſibilium illud illuſtrat & amplificat: obſervandum autem eſt, Abſtracta hîc poni pro Concretis; per *dominationes* etenim *principatus & poteſtates*, intelligere oportet Angelos conſtitutos in dominatione, principatu & poteſtate; hoc eſt, Dominatores & Principes.

Melanchthon ſub hiſce nominibus non modò inviſibilium Angelorum ordines, ſed omnia imperia, & totum ordinem creaturarum, politiarum, œconomiarum comprehendi putat. Illo igitur interprete, dicit Apoſtolus, omnes creaturas non modò conditas, ſed ordinatas à Chriſto, ità ut quæ præſint reliquis tam in cœlo quàm in terra, illi tamen ſubjiciantur; quia omnes prælaturæ & imperii gradus ſunt ab illo ordinati & conſtituti

Sed & communior & verior (meâ ſententiâ) illorum expoſitio, qui hoc in loco, haſce appellationes ad cœleſtia tantùm, & inviſibilia accommodant. Sic enim ipſe Apoſtolus in Epiſt. ad Eph. cap. 1. 20. 21. *Collocavit Chriſtum ad dextram ſuam in cœlis ſupra omnem principatum, poteſtatem & dominationem*; ubi proculdubio intelligit cœleſtem. In tertio capite id apertè ponit: τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις: ver. 10. Sumatur itaque nobis quod loquitur de inviſibilibus ſubſtantiis. 5

Illud proximo in loco inquirendum, qualem ſub hiſce vocabulis Angelorum diſtinctionem poſuit Apoſtolus. Dionyſius, & qui illum ſequuntur Scholaſtici, ex hoc loco & aliis, vbi diverſis vocabulis deſignantur Angeli, illorum diverſos ordines, officia, proprietates ità depingunt, quaſi multos annos in cœlis verſati, totam illorum politiam exactè didiciſſent. Non quòd valdè delecter ſubtilibus illorum commentis, ſed quòd Theologum decet Theologorum, qui alicujus nominis ſint, etiam errores cognitos habere, redigam in compendium quæ ab illis fuſiùs diſputantur. Hugo de Sancto Victore in ſum. ſentent. tract. 2. cap. 5. Cœleſtes

Angelos diſtribuit in tres claſſes ſive Hierarchias, quas appellat ſupremam, mediam, ultimam. Harum unaquæque tres ordines continet. In ſuprema, ſunt Cherubini, Seraphini, Throni. In media, ſunt Dominationes, Principatus, Poteſtates. In infima, ſunt Virtutes, Archangeli, Angeli.

Appellationes autem has, illis imponi volunt ſecundum proprietates in quibus eminent: vel ſecundum officia quæ illis delegantur à Deo. Cherubinos dictos volunt, qui lumine ſcientiæ excellunt: Seraphinos, qui amore divino maximè flagrant: Thronos, qui gloriam & æquitatem Dei judiciariam contemplantur. Cherubinos dicunt illuminare alios ſapientiâ: Seraphinos incendere amore: Thronos regere judicio. Qui autem ſunt in hac prima claſſe ordines nunquam mitti putant foras ad explendum aliquod miniſterium, ſed Deo aſſiſtere jugiter. In claſſe media (uti dictum eſt) locant Dominationes, Principatus, Poteſtates. Dominationes regunt officia Angelorum; Principatus præſunt populis & provinciis; Poteſtates coercent potentiam Diabolorum. In ultima claſſe ponunt, Virtutes, Archangelos, Angelos. Virtutes habent ſibi delegatam operationem miraculorum; Archangeli, nunciationem in majoribus negotiis; Angeli in minoribus. Hæc ex Dionyſio, Gregorio Magno (Hom. in Evang. 34.) & Scholaſticis decerpta ſunt: in quibus colligendis receptiores opiniones ſumus ſecuti; nam inter eos non convenit de hiſce omnibus. Quidam enim Virtutes referunt ad ſecundam claſſem, Principatus ad ultimam; alii è contrà.

Noſtri Theologi multò modeſtiùs hanc rem tractant; fatentur enim diſtinctis hiſce vocabulis, quæ in hoc loco & alibi repetiuntur, notari diſtinctionem ordinis & dignitatis inter ipſos Angelos; ſed qualis ea ſit, & in quibus ſita, Scripturis tacentibus, non audent diſcutere & diſcernere. Sic ante noſtros Auguſtinus, *Quid inter ſe diſtent hæc vocabula dicant qui poſſunt, ſi tamen poſſunt probare quod dicunt; ego me iſta ignorare confiteor.* Et alibi, *Differre inter ſe aliquid credo, ſed quid inter ſe differant neſcio.* Enchirid. cap. 58. & ad Oroſ. contra Priſcill. cap. 11. Tom. 6. Omiſſis itaq; hiſce ſpeculationibus, inferemus hæc Corollaria.

Coroll. 1. Omnibus Angelis etiam perfectiſſimis in quocunque gradu dignitatis conſtitutis, Chriſtum eſſe ſuperiorem; utpote illorum Conditorem, atque Ordinatorem; unde illud ad Hebræos 1, *Adorent illum omnes Angeli.*

2 Non eſſe Angelis tribuenda officia ipſius Chriſti, neque honorem cultûs divini, cùm ſint ſervi & creaturæ Redemptoris noſtri.

3 Diverſa illa vocabula quibus inſigniuntur, non tam imparitatem in naturali dignitate, quàm diverſitatem officiorum, quæ erga nos exercent videntur denotare. Ex hac enim officiorum diverſitate, quorum alia aliis ſunt nobiliora, recipiunt illas appella-

tiones

tiones Angelorum, Archangelorum, Poteſtatum, Principatuum &c. Neque poſſumus certò definire, an iidem ſemper fungantur iiſdem officiis, necne, & retineant eaſdem appellationes: imò veriſimilius eſt prout varia illis committuntur officia, ità varia ſortiri nomina.

Sed reſtat quæſtio expedienda. Quando ſcilicet creati fuerint hi Angeli? Dicit Apoſtolus à Chriſto fuiſſe creatos: ſed Moſes inter opera creationis Angelos non recenſet. *Quæſt.*

Vt mittamus eos Philoſophos qui ponunt haſce ſpirituales ſubſtantias æternas, duplex eſt ſententia Theologorum: alii ante mundum hunc viſibilem conditos exiſtimant; in qua ſententia ſunt omnes ferè Græci Patres. Baſilius dicit, ante hunc mundum fuiſſe alium νοητὸν καὶ ἀπερίγραπτον, *Intelligibilem, & à Moſe non deſcriptum; propter populi Iudaici hebetudinem: in hoc autem mundo antiquiore fuiſſe dicit, hoſce thronos, dominationes & poteſtates, de quibus loquitur Apoſtolus.* Chryſoſtomus & Nazianzenus ſunt in eadem ſententia; quibus annumerare poſſumus ex Latinis Hieronymum & Hilarium. *Reſpon.*

Ad confirmandam hanc ſententiam illud Iobi inprimis affertur; *Vbi eras cùm fundarem terram, & me laudarent aſtra matutina? & jubilarent omnes filii Dei?* Per *filios Dei* intelligunt Angelos, atque hinc inferunt eos extitiſſe ante mundum conditum. *Obiect.*

Sed reſpondetur, non concludi hinc Angelos fuiſſe ante mundum viſibilem creatos, ſed ante fundatam terram, id eſt, ante terram aridam factam. Deinde & illud dici poteſt, Angelos eodem tempore creatos cum mundo, potuiſſe tamen laudare mundi Creatorem ſtatim ab ortu ſuo. *Solutio.*

Eſt itaque probabilior ſententia illorum qui Angelos unà cum cœlo beatorum creatos putant: & Synecdochen eſſe dicunt in illis verbis Moſis, *Creavit Deus cœlum*, hoc eſt, & ipſum cœlum, & beatas illas ſubſtantias in eodem cœlo.

Quia Angeli ſunt Partes univerſi; at ſi ſeorſim fuiſſent creati ante hunc mundum ſenſibilem, omninò alieni eſſent ab ordine creaturæ corporalis & aliud univerſum intelligibile per ſe conſtituerent. 1

Quia Moſes diſertè dicit, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, (hoc eſt, & illa corpora, & omnia quæ in cœlo & terra continentur) *In principio*, ſcilicet Temporis vel Creationis, ut rectè exponit Liranus. Ergò Angeli ante illud principium creati non fuerunt. Hoc evidentiùs aſſeritur Exod. 20. *Sex diebus perfecit Deus cœlum & terram, & quicquid eſt in iis*; ergò & Angelos. Vnde Scholaſtici ponunt quatuor primo-creata, & coæquæva, Naturam Angelicam, cœlum empyreum, materiam informem, & tempus: Aquin. de creat. ar. 18. 2

Quia dicitur Iudæ verſu 6. *Angelos qui non ſervatâ ſuâ origi-* 3

ne, reliquerunt domicilium ſuum judicio reſervari. Hîc cœlum dicitur domicilium Angelorum; at non eſt veriſimile Angelos per multa ſecula vixiſſe proprii domicilii expertes. Concludimus itaq; Moſen dicendo, *In principio feciſſe Deum cœlum & terram*; & Apoſtolum dicendo, *Per Chriſtum condita fuiſſe omnia quæ ſunt in cœlo & in terra, viſibilia & inviſibilia*, idem prorſus voluiſſe.

Omnia per ipſum & ejus reſpectu condita ſunt] καὶ εἰς αὐτὸν] Per Epanalepſin reſumit quod initio affirmaverat, *Omnia fuiſſe per Chriſtum condita.* De quibus verbis non eſt opus ut aliquid ultrà adjiciamus: illud tantummodò obſervandum proponimus, ἐν αὐτῷ, & διὰ αὐτοῦ æquivalere; & proinde alterum ſubſtitui alterius loco in hac Epanalepſi.

Sed Apoſtolus non fuit contentus nudâ & ſimplici repetitione verborum prius poſitorum; ſed ad amplificandam Chriſti dignitatem illud adjicit, omnia non modò per ipſum condita eſſe, ſed etiam *propter ipſum*, vel *ejus reſpectu.*

Propter ipſum] Oſtendit igitur Chriſtum non modò eſſe cauſam efficientem omnium creaturarum, ſed cauſam finalem, cujus gratiâ ſunt conſtitutæ.

Sed quomodò *propter Chriſtum* condita ſunt hæc omnia? Vt ſcilicet inſervirent gloriæ ejus, quatenus manifeſtant divinam ejus potentiam & bonitatem infinitam; & quatenus illi inſerviunt univerſa. Deus enim non agit ex deſiderio finis non habiti, quemadmodum homines ſolent; ſed ex amore finis habiti, quem vult communicare creaturis quantum eſt poſſibile. Habet Chriſtus & plenè poſſidet gloriam infinitam ab æterno: ſed creando mundum manifeſtavit hanc ſuam gloriam nobis, & obligavit omnes creaturas ad hoc officium ſui glorificandi. Hinc Pſalmiſta ab Angelis exortus percurrit omnes creaturas, & illas excitat ad Deum glorificandum, quia ipſo dicente illicò creata ſunt: Pſal. 148. Chriſtus igitur in creatione rerum intendebat hanc ſuam gloriam, non ut operæpretium, non ut emolumentum; ſed ut quiddam decens, decorum, & per ſe debitum, atque ipſi creaturæ ſalutiferum. Omnis enim creatura, ut egreſſa à Deo, ſic regreditur ad eum quâ poteſt. *Hic eſt cunctis communis amor--Repetúntque boni fine teneri--Quia non aliter durare queant--niſi converſo rurſus amore--refluant cauſæ quæ dedit eſſe:* Boeth. de conſol. lib. 4. metr. 6.

Obſerv. Cùm omnia à Chriſto facta, ſunt etiam ad Chriſtum glorificandum condita; nobis incumbit ea cura, ne dedecori ſimus Creatori noſtro, ad cujus gloriam manifeſtandam conditi ſumus. Si enim vanum & inutile cenſeatur quod finem ſuum non conſequitur, tum illud malum & execrandum eſt, quod finem ſuum oppugnat, & quantum in ſe eſt avertit.

Obſerv. Cùm ipſi Angeli facti ſunt ad glorificandum Chriſtum, non ità

conjun-

conjungendi ſunt cum illo in ſalutis negotio procurando, ut obſtent gloriæ Creatoris ſui.

Vers. 17. *Eſtque ipſe ante omnia, & omnia per eum conſiſtunt*]

Exornat Chriſtum duabus adhuc prerogativis. Eſt prior omni creaturâ. Eſt quaſi baſis & ſuſtentaculum omnium creaturarum.

Illud de prioritate ſuprà fuit explicatum, & probatum; oſtendimus enim Chriſtum fuiſſe genitum à Deo, & mundum fuiſſe conditum à Chriſto: utrumque probat illum & dignitate & tempore præcedere omnes creaturas.

Nam is quem Deus genuit ſit Deo coæternus, & coeſſentialis eſt neceſſe. *Reliqua omnia talia ſunt qualia Deus eſſe voluit, at Filius talis eſt, qualis eſt Deus*, ut rectè Thom. Is autem qui mundum fecit, prior ſit mundo eſt neceſſe. Fecit enim, impartiendo eſſentiam illi, quod non erat antequam fiebat. Vtràque igitur ratione, & quòd ille à Deo genitus ſit, & quia ab illo mundus conditus ſit, probatur, quòd *ipſe eſt ante omnia*.

Hoc dictum Apoſtolicum, clarè illos refellit, qui negant Chriſtum ante ſuam incarnationem fuiſſe ὑφιστάμενον. Quomodò fuit *ante omnia*, ſi ante ſuam incarnationem non fuit? Quomodò condidit omnia, qui ipſe non extitit? Tertullianus in Prax. *Non potuit carere ſubſtantiâ, quod de tantâ ſubſtantiâ proceſſit, & tantas ſubſtantias fecit.*

Omnia per eum conſiſtunt] Eſt hoc novum, & excellens Chriſti privilegium, quòd non modò omnia condiderit, ſed quòd omnia divinâ ſuâ virtute ita ſuſtineat & fulciat, ut ſi illam ſubtraxerit, in nihilum relaberentur.

Eſt itaque hujus loci hæc doctrina: Omnis creatura ſive terrena ſive cœleſtis, ſive viſibilis ſive inviſibilis, in nihilum recideret remotâ conſervatione hac divinâ. Hoc pronuntiatum Apoſtolicum eſt difficile intellectu; conabimur itaque illud, & rationibus munire, & authoritatibus; diluemus etiam quæ contra afferri ſolent.

Nulla impreſſio agentis remanet in effectu, ceſſante actione ejuſdem, niſi quodammodò vertatur in naturam effectus, ita ut illi inhæreat tanquam ſua proprietas: ſi verò ſit quiddam ſupra ejus naturam, & ſoli agenti proprium, tum ceſſat ejus ceſſante actione. Cùm igitur eſſe per ſe ſit ſolius Dei proprium, in nullo creato manere poteſt, vel ad minimum temporis momentum, ceſſante actione hac divinæ conſervationis. Hanc rationem illuſtrant Theologi à collatione Dei ad Solem, creaturæ ad aërem: Nam omnis creaturæ eſſentia ſe habet ad Deum, ſicut aëris illuminatio ad Solem: Sol eſt lucens per ſuam naturam, aër per participatam Solis influentiam; ſic Deus eſt Ens per ſuam naturam, reliqua omnia per participationem eſſentiæ ab ipſo. Vt igitur lumen aëris ſtatim ceſſat, ceſſante illumi-

Ratio 1.

Thom. cont. Gen. 3. *c.* 64

illuminatione Solis; ſic eſſentia creaturæ cujuſcunq; ſtatim evaneſcit ceſſante conſervatione Dei.

Ratio 2. Eadem eſt actio ſi Deum ſpectemus, in Creatione & in Conſervatione creaturarum; in hoc tantùm differunt, quòd Creatio deſignat actionem Dei, quatenus de novo producit creaturam: Conſervatio deſignat eandem actionem, quatenus productam creaturam non derelinquit. Creatura, ut fiat ens, habet id à Deo influente; ut maneat ens, à Deo eandem influentiam non abrumpente. Durandus itaque non dubitavit affirmare de qualibet creatura, *Quod quamdiu eſt, tam diu creatur à Deo, quia quoad Deum eſt eadem actio Creationis & Conſervationis creaturarum.* Hinc ſequitur, quòd à quo omnia ſunt condita, ab eodem etiam ſunt conſervanda: nam conſervatio non eſt per aliquam novam actionem, ſed per continuationem actionis quæ dat eſſe: Durand. lib. 2. diſt. 1. quæſt. 2.

Ratio 3. Sicut opus artis ad ſuam ſubſiſtentiam præſupponit opus naturæ; ſic omne opus naturæ præſupponit opus Dei: nam ut artifex omnis mutuatur ſuam materiam à natura; ſic ipſa natura à Deo. Quemadmodum igitur artificialium eſſentia conſervatur virtute naturalium ex quibus conflata ſunt; ſic naturalium eſſentia permanet virtute Dei conſervantis, à quo creata ſunt.

Ratio 4. Omnis effectus dependet à ſua cauſa ſecundum quod eſt cauſa ejus; ut domus dependet ab architecto, quoad ſuam extructionem; licèt dependeat à ſoliditate lignorum & lapidum, quoad durationem. Architectus eſt cauſa cur fiat; ergò ab illo dependet quoad fieri, id eſt, quoad ipſam ſtructuram; ſed natura materiæ cauſa eſt cur ſit; ergò ab illo dependet quoad durationem. Iam ut hæc accomodemus noſtro inſtituto; Deus eſt cauſa rerum, non modò ſecundum Fieri, ſed ſecundum Eſſe. *In illo vivimus, movemur, & ſumus.* Actor. 17. 28. Ergò omnia dependent ab illo, non modò quoad primam productionem, ſed quoad Eſſentiæ continuationem; quia cauſa eſt omnium, tum quoad Eſſe, tum quoad Fieri.

Ad hæc confirmanda duo tantùm loca afferemus. Primus, Ioan. 5. 17. *Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor.* Quem locum interpretes accommodant ad hanc perennem Dei & Chriſti operationem in conſervatione & gubernatione creaturarum. *Quievit enim Deus die ſeptimo*, à creandis novis creaturis; ſed nunquam ceſſat à conſervatione & adminiſtratione rerum conditarum. Alter habetur 1. ad Hebræos verſu 3. ubi Chriſtus dicitur φέρειν τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Quibus verbis innuitur, Chriſti divinam virtutem eſſe fulcrum & quaſi baſin omnium creaturarum quæ mox in nihilum corruerent, niſi ab illo ſuſtentarentur.

Iam quædam Patrum teſtimonia producamus.

Iuſtinus Martyr de decret. Ariſtotelis reprehenſ. *Vt id quod ortum eſt nunquam extitiſſet, niſi ille juſſiſſet, Fiat: ſic neque permanerent niſi idem præcepiſſet iis quidem quæ non intereunt ut ſemper*

ſtarent

ſtarent, ita quæ oriuntur & intereunt, ut ſemper creſcerent & multiplicarent: ubi obiter & illud annotare licet, quod prætermiſſum eſt à nobis; Chriſtum non modò individua omnia ſuſtentare & conſervare illo ſuo influxu, quem diximus eſſe inſtar continuatæ cujuſdam Creationis: ſed etiam virtute primariæ illius benedictionis, ipſas rerum ſpecies per ſucceſſivas generationes propagare.

Auguſtinus ſup. Geneſ. ad Liter. lib. 4. cap. 12. *Creatoris potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus, cauſa eſt ſubſiſtendi omni creaturæ; quæ virtus ſi ab eis quæ creata ſunt regendis aliquando ceſſaret, ſimul ceſſaret eorum ſpecies, omniſque natura concideret.* Si itaque Auguſtino credimus, ſine hac manutentione divina (utor enim ſcholæ verbo) nulla creatura poteſt conſiſtere.

Gregorius Moral. 16. cap. 18. in illa Iobi verba cap. 23. *Ipſe ſolus eſt. Cur dicit ipſe ſolus eſt? Sunt* (inquit) *hæc omnia, ſed principaliter non ſunt, quia in ſemetipſis minimè ſubſiſtunt, & niſi gubernantis manu teneantur, eſſe nequaquam poſſunt. Cuncta namque in illo ſubſiſtunt à quo creata ſunt. Cuncta quippe ex nihilo facta ſunt, eorumque eſſentia rurſus ad nihilum tenderet, niſi eam author omnium manu retineret.*

Gerſon de vit. ſpirit. lect. 1. *Sicut vas aquam continet, & figurat, ità ut vas potiùs beneficio, quàm ſuâ naturâ accidat, ne pereat diffluendo: ſic Deus in ſe creaturæ labilitatem continet, ità ut ejus actione conſervetur, ne pereat in nihilum recidendo.* Iam contrarias objectiones repellamus.

Agens creatum communicat effectui, ut poſſit conſiſtere ceſſante ſuâ actione, quemadmodum videmus in architecto & ædificio; ergò Deus, cujus opera multo perfectiora ſunt quàm artificum, debet ſuis operibus hanc vim tribuere. *Object. 1.*

Non eſt par ratio, nam agens creatum eſt cauſa rebus Fiendi tantùm, non Eſſendi. Dependet igitur domus ab architecto tantummodò dum eſt in fieri; ſed cùm eſt in facto eſſe, dependet à natura materiæ, ut antè oſtenſum eſt. At in Deo aliter ſe habet; quia (ut probavimus) eſt cauſa rebus tam Eſſendi quàm Fiendi. Implicat igitur contradictionem, ut Deus communicet alicui creaturæ, ne à ſe dependeat, hoc enim facto communicaret ut non eſſet creatura. *Sol.*

Sunt quædam creaturæ quæ non poſſunt non permanere, utpote quæ nec in ſe habeant potentiam ad novam formam, neque habeant aliquod contrarium, cujuſmodi ſunt omnia corpora cœleſtia; ergò hæc ſaltem poſſunt in ſuo ſtatu permanere, remotâ hac conſervatione divinâ. *Object. 2.*

Non valet conſequentia, quia etſi ad novam formam non habent ullam potentiam naturalem, neque ſit aliquod extrinſecum quod corrumpat, tamen ipſa forma earum & materia ceſſaret, & *Sol.*

eva-

evanesceret cessante conservatione divinâ. Hæc enim potentia rerum creatarum ad non esse, neq; ex natura materiæ, nec formæ dependet; sed ex Deo subtrahente influxum. Possumus etiam respondere distinguendo, de modo conservationis. Est indirecta conservatio per remotionem corrumpentis; hac non indigent corpora cœlestia, sed tantummodò elementaria, & corruptibilia; de hac itaque conceditur ratio. Sed est & alia directa conservatio de quâ nos loquimur, per manutentionem creantis, atque hac conservatione & cœli indigent, & omne aliud ens, dependens à primo ente.

Objec. 3. Omnis creatura habet insitum appetitum suæ conservationis: at nullus appetitus naturalis, aut vanus est aut impossibilis: potest ergo creatura seipsum conservare.

Sol. Appetit sui conservationem creatura, sed non ut per se & suis viribus conservetur in esse, sed per causam suam quæ dedit ipsum esse. Non est igitur vanus appetitus; consequitur enim finem suum, eo modo quo debet.

Objec. 4. Beatorum Angelorum & hominum status talis est, ut non ultrà indigeant conservante; nam *Beatitudo* (ut definit Boethius 3. de consolat.) *est status omnium bonorum congregatione perfectus:* at potestas conservandi seipsum, est unum ex maximè bonis, sine quo reliqua omnia fragilia sunt & incerta: ergo beati Spiritus habent hanc potestatem, & proinde non egent conservante.

Sol. Concedimus beatitudinem esse statum perfectum, & inter illa bona ex quorum congregatione consistit, inveniri oportere hanc potestatem conservandi seipsum in hoc eodem statu beatitudinis. Habent igitur hanc potestatem quatenus habent potentiam adhærendi Deo inseperabiliter, non quatenus sejuncti à Deo possunt vel beatitudinem vel essentiam suam conservare. Plura si quis velit de hac quæstione, consulat Thomam, 1. quæst. 104. art. 1. & quæst. disput. de conserv. rerum art. 1. atque etiam contra Gentiles lib. 3. cap. 64.

Ex his quæ dicta sunt, colligere licet hæc in usum nostrum.

1. Ad alendam fiduciam; intrepidè enim possumus niti hoc redemptore, & pretio sanguinis ejus, qui est persona tam infinitæ potentiæ & dignitatis ut omnia condiderit, omniáque sustentet, alioquin in nihilum recasura.

2 Ad humilitatem nobis ingerendam: Nam si essentiam naturalem, ne minimo quidem temporis articulo retinere possumus absq; ejus potentia conservante; quanto minus essentiam supernaturalem & gratuitam. Dicam audaciter cum Gersone; *Quanto in naturalibus aut gratuitis aliquis fuerit ornatior, tanto est ad casum & defectum labilior, seclusâ hac Christi manutenentiâ speciali. Hujus rei conjecturam facere possumus ex casu Luciferi, Adami, aliorum, quorum perfectiones sibi relictæ quid fuerunt nisi pondera plura ad ruinam?* par. 2.

Ad

Ad obedientiam ſuadendam: Æquum enim eſt, ut illi tota vita noſtra inſerviat, à quo & in hanc vitam producti ſumus, & in eâdem conſervamur. Sic ratiocinatur Pſalmiſta, Pſal.100. *Celite Iehovam cum lætitiâ, venite in conſpectum ejus cum cantu; ſcitote Iehovam eſſe Deum, ipſe enim fecit nos, & non ipſi nos.* 3

Illud ultimo in loco adjungamus; non ita Chriſto eſſe hæc approprianda, ut ab hac conſervatione creaturæ vel Deum Patrem, vel Spiritum excludamus: nam ut in Creatione hominis dixerunt, *Faciamus hominem*; ſic dicere potuerunt tres Perſonæ *conſervemus hominem.* Et quod de homine, id etiam de reliquis omnibus creaturis dici debet, omnes ſcilicet & olim creatas fuiſſe, & adhuc conſervari, conjunctâ operâ totius Trinitatis. Veriſſimum enim eſt illud Auguſtini; *Inſeparabiles ſunt perſonæ, & inſeparabiliter operantur*: de Trin.lib.1.cap.4. 4

Atq; hactenus de Redemptoris deſcriptione à comparatione ad creaturam conditam: veniendum eſt ad ultimam partem deſcriptionis à collatione ad creaturam reparatam, id eſt, ad Eccleſiam.

Vers. XVIII. XIX.

Eſtque caput corporis Eccleſiæ, principium, & primogenitus ex mortuis, ut in omnibus primas teneat.

Quoniam in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare.

EXpoſuimus illam deſcriptionem Chriſti, quæ petebatur à relatione ejus ad creaturam in genere: jam ea reſtat explicanda, quæ ſumitur à collatione ejus ad creaturam redemptam, ſcilicet ad Eccleſiam. In hiſce duobus verſibus duo facit. Primò, Chriſtum depingit à titulis illi peculiaribus, *Caput*, *Principium*, *Primogenitus*. Secundò, rationibus quibuſdam demonſtrat hoſce titulos illi bono jure convenire. Prima ſumitur à cauſa finali, *ut in omnibus primus teneat.* Secunda à cauſa efficiente, vel ordinante, *Quoniam ità complacuit*, ſcilicet Patri. Vltima à cauſa formali, quia in ipſo eſt omnis illa *plenitudo*, quæ poſſit illum conſtituere *Caput Eccleſiæ*, &c. Ordiamur ab explicatione titulorum; & primò exponamus hunc titulum *capitis Eccleſiæ.*

(Caput corporis Eccleſiæ) id eſt corporis ſui, quod corpus eſt Eccleſia; ſic enim per appoſitionem cohæret vocabulum Eccleſiæ, cum vocabulo corporis. Sunt autem hîc tria à nobis diſcutienda, de Capite hoc & Corpore.

Primò inquiremus, Secundum quam naturam Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ.

Secundò, Quibus reſpectibus nomen hoc Capitis illi tribuitur.

Tertiò, Quinam illi ſunt, ex quibus hoc Chriſti corpus conſtituitur.

Quod

1 Quod ad primum; dicimus Christum esse Caput Ecclesiæ secundum utramque naturam. Nam ille hîc appellatur *Caput Ecclesiæ*, quem antea dixit *Imaginem Dei invisibilis*. Imago autem illa erat æternus Dei Filius, Verbum incarnatum; ergo Christus Θεάνθρωπος, est Caput Ecclesiæ. Debuit enim Ecclesia tale Caput habere, quod naturæ conformitatem haberet cum reliquis membris incorporandis. At hæc conformitas Christo competit secundum humanam naturam: unde Christus & Ecclesia dicuntur *una caro*, Ephes. 5. 31. Sed etiam oportuit Ecclesiam tale Caput habere, quod posset illi spiritualem vitam influere. At hæc potestas est solius Dei: unde Sponsus & Caput Ecclesiæ Deus apertè vocatur. Psal. 45. Vbi sub Salomonis nuptiis cum filia Pharaonis, Christi & Ecclesiæ nuptiæ adumbrantur. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam obliviscere domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus.*

Object. Sed objicitur, Christum non fuisse Caput Ecclesiæ veteris secundum utramque naturam, quia nondum sibi assumpserat naturam humanam. Est autem Capitis influere & communicare sua bona Corpori: Christi vero humanitas non potuit Ecclesiæ prodesse ante incarnationem; quia quod non est, non operatur. Non erat itaq; caput Ecclesiæ Iudaicæ secundum humanitatem.

Sol. Etsi Christus quoad actum, humanam naturam nondum sibi conjunxerat, tamen quoad decretum divinum de incarnatione & passione futurâ; quoad æternam illius efficaciam; quoad vivam Patriarcharum fidem, Christi etiam humana natura, & illa quæ facturus & passurus erat in humana natura, primævam Ecclesiam multis beneficiis afficiebāt, cùm actu non erāt. In Christo electi, per Christum in filios Dei sunt adoptati omnes fideles *ab origine mundi*, Eph. 1. 4. Deus igitur ratione sui propositi æterni de Christo incarnando, jam tum illi incorporatos ducebat, quotquot in illum credebant. Fuit ille *agnus occisus ab origine mundi*, quidni igitur, & vivum caput Ecclesiæ ab origine mundi? Deo, & fidei præsentia sunt, quæ naturæ præsentia non sunt. Aquinas quæst. disp. de gratia Christi artic. 4° ad 9^m^ dicit *Christum fuisse secundum humanitatem Caput Ecclesiæ ante incarnationem, per operationem fidei, quæ illum incarnandum apprehendebat, & sic beneficium justificationis consequebatur.* Sed Altissiodorensis multò clariùs lib. 3. tract. 1. quæst. 3. de dignitate Christi Capitis &c. Quærit *an Christus secundum humanitatem fuerit Caput Abelis, & reliquorum fidelium, & an illi fuerint membra corporis Christi?* Respondet, *Eandem tunc fuisse fidem de incarnatione futura, quæ nunc est de incarnatione præterita, & eandem virtutem fidei illorum & nostræ. Vt igitur fides in Christum qui jam venit, facit hominem membrum Christi incarnati, sic fides eorum in Christum venturum fecit illos membra Christi incarnandi; fuit igitur & Christus secundum*

cundum humanitatem Caput Abelis, & aliorum fidelium, non ſecundum humanitatem, ut actu exiſtentem, ſed ſecundum humanitatem, ut erat in fide illorum. Fides enim ſupra tempus eſt. Per hanc fidem in illos fluxerunt chariſmata de plenitudine Chriſti, ſicut jam & in nos. Hæc Altiſſiodorenſis.

Sed & illud etiam objicitur, Chriſtum non eſſe Caput Eccleſiæ ſecundum divinam naturam; quia quoad illam non habet naturæ conformitatem cum reliquis membris: neque ſecundum humanam naturam; quia quoad illam non poteſt influere vitam ſpiritualem in membra ſua: ergò nullo modo. *Object.*

Reſpondemus primò in genere; Si in Perſona Chriſti perfecta ratio Capitis inveniatur, hoc ſufficit ut Caput verè dicatur, quamvis neque in hac, neque in illa natura ſeorſim ſumptâ, omnes Capitis conditiones concurrant. Ad illud quod objiciebatur de humanitate non influente vitam & motum ſpiritualem, reſpondemus diſtinguendo. Vita gratiæ infunditur vel ut à primario agente, qui creat gratiam in anima per modum authoritatis; hoc ſenſu, gratiæ influxus eſt à ſola Deitate: vel ut ab organo conjuncto huic primario agenti; & ſic Chriſti humanitas dicitur gratiam & vitam ſpiritualem influere inſtrumentaliter. Quemadmodum igitur corporei capitis naturæ nihil derogatur, ex eo quòd influit vitam ac motum cæteris membris, non immediatè à ſe, ſed ratione latentis virtutis: ſic nec myſtici capitis dignitati aliquid detrahitur, ex eo quòd influit vitam & gratiam, non principaliter à ſe, ſed ratione inhabitantis divinitatis. Eſt itaque Chriſtus, hiſce non obſtantibus, *Caput Eccleſiæ* ſecundum utramque naturam. *Sol.*

Videtis quale Caput Eccleſia nacta ſit, non ſolum Deum, non nudum hominem; ſed Ieſum Chriſtum, Deum & hominem. Hinc multæ obſervationes.

Ex eo quòd Caput Eccleſiæ Deus eſt, colligimus Eccleſiam fore perpetuam, neque vel *ipſas portas inferni contra illam prævalituras. Nam ſi Deus nobiſcum, quis contra nos?* Deo minor impar etiam fuiſſet Eccleſiæ tutandæ: Huic enim Diabolus & totus pene mundus bellum inferunt perpetuum. In hoc itaque ſitum Eccleſiæ ſolatium, quòd *major eſt Chriſtus, Caput Eccleſiæ, ad protegendum, quàm Diabolus, Hoſtis Eccleſiæ, ad impugnandum.* Cyprianus de Exhor. Martyr. cap. 10. *Obſerv.* 1.

Si Caput Eccleſiæ Deus ſit, oportet membra Eccleſiæ omni cum timore & reverentia Capiti ſuo parere in omnibus. Eſt enim infinita obligatio, quâ tenetur quævis creatura Deo ſuo obedire; ſed infinitam (ſi fieri poteſt) ſuperat, quâ tenetur Eccleſia redempta & ſanctificata, ſuo Deo & myſtico ac vivifico Capiti ſubjacere. *Obſerv.* 2.

Si Caput Eccleſiæ ſit Deus, tum Chriſti aſcenſus in cœlum non privavit Eccleſiam Capite ſuo: imò adeſt, & perpetuò aderit Eccle- *Obſerv.* 3.

ſiæ ſuæ Catholicæ, per præſentiam & potentiam divinitatis, licèt oculis non adſit per præſentiam carnis. Hoc ipſe pollicitus eſt Mat. 28. ult. ***Vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.*** Explodendus itaque error Pontificiorum de terreno capite; qui, ut olim Iſraelitæ ad Aaronem, ***Fac nobis Deos qui nos præcedant, nam quid huic Moſi acciderit ignoramus***; ſic illi, faciamus nobis aſpectabile aliquod caput Eccleſiæ, nam quid Chriſto factum ſit ignoramus. Iam verò & ex eo quòd Caput noſtrum Homo ſit, duo inferemus.

1. *Obſer.* Propter cognationem hanc naturæ, neceſſe eſt ut nos intimè amet, ut noſtrarum miſeriarum ſenſum habeat acerrimum, ut ſit ad nos ſublevandos paratiſſimus. Hoc ipſe Apoſtolus infert, ad Hebræos 2. 17. ***Debuit per omnia fratribus ſimilis fieri, ut miſericors eſſet, & fidelis pontifex in iis quæ apud Deum agenda forent, ad expiandum peccata populi. Nam ex eo quòd perpeſſus fuerit, poteſt & iis qui tentantur ſuccurrere.***

2. *Obſerv.* Ex eo quòd Caput noſtrum Homo fuit, habemus hoc ſolatium, quòd Diabolo adempta ſit omnis materia triumphandi de nobis. Ille vicit primum Adamum, Caput & initium humani generis; at ſecundus Adamus Caput Eccleſiæ, illum vicit: imò in Chriſto nos vicimus, qui ſumus ejus membra, æquè ac in Adamo victi fuimus. Victoria Capitis noſtri nos facit victores. Atque hæc de primo quæſito, ſcilicet ſecundum quam naturam Chriſtus ſit ***Caput Eccleſiæ.***

Iam ſecundo in loco conſiderare oportet, quibus reſpectibus Chriſtus dicatur ***Caput.*** Sed cùm Caput hoc myſticum ità appelletur, per Metaphoram à capite naturali tranſumptam, obſcura erit hæc appellatio, niſi intelligamus quibus in rebus ſita ſit hæc ſimilitudo inter Chriſtum & Caput naturale, inter Eccleſiam & Corpus.

Prudenter Philoſophus Topic. 6. cap. 2. Ἡ μεταφορὰ ποιεῖ γνώριμον τὸ σημαινόμενον διὰ τὴν ὁμοιότητα, πάντες δὲ οἱ μεταφέροντες καλά τινα ὁμοιότητα μεταφέρουσι. Perpendamus itaque hanc ſimilitudinem.

Caput naturale conſideratur in duplici habitudine ad ſua membra, Diſcrepantiæ nimirum & Convenientiæ. Sic etiam Caput hoc myſticum. Aquinas quæſt. diſp. de gratia Chriſti, artic. 4.

Caput diſtat & diſtinguitur à ſuis membris tripliciter.

1 Ratione Eminentiæ vel Dignitatis. Caput enim pleniùs & perfectiùs poſſidet omnes ſenſus, quàm membra capiti ſuppoſita: ſic Chriſtus Caput myſticum, omnem gratiam ſpiritualem multò abundantiùs poſſidet, quàm omnes alii homines & Angeli in unum conglobati. ***Spiritus illi datus eſt non ad menſuram.*** Ioan. 3.

2 Ratione Gubernationis vel Imperii. Caput enim dirigit & gubernat; membra diriguntur & gubernantur à capite in ſuis operationibus. Sic Chriſtus dominatur & imperat Eccleſiæ; hæc nutui

ejus

ejus paret, & illi ſe morigeram præbet. Sic docet Apoſtolus 5.ad Epheſ. 22. *Vxores propriis viris ſubjectæ eſtote, ut Domino; quoniam vir eſt Caput uxoris, ut & Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ, ſicut Eccleſia ſubjecta eſt &c.*

Ratione Cauſalitatis vel influentię. Caput enim motum & ſenſum omnibus membris impertit & communicat: membra omni motu & ſenſu deſtituuntur, ſi à capite ſejungantur. Sic Chriſtus vitam ſpiritualem & motum gratiæ infundit membris ſuis, alioqui ſtupidis, mortuis, & ab omni motu ſpirituali deſtitutis. *Sine me nihil poteſtis facere:* at contrà, πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με χριστῷ. Phil.4. 3

Capitis igitur appellatio aptiſſimè convenit Chriſto, quoad illa omnia in quibus oportet caput à membris ſuis diſtare & diſtingui: jam & illa conſideremus in quibus cernitur Capitis & membrorum convenientia; Ea autem ſunt tria.

Caput naturale habet conformitatem naturæ cum reliquis membris: nam, ut rectè Poeta, monſtroſum eſſet & ridiculum, 1

Humano capiti cervicem pictor equinam Iungere ſi velit--

Sic monſtroſum eſſet, ſi Caput Eccleſiæ non haberet naturæ convenientiam cum Eccleſia. Sed habet hanc conformitatem Chriſtus, ut oſtenditur 2.ad Hebræos. *Non aſſumpſit Angelos, ſed ſemen Abrahæ: Quoniam pueri participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſe quoque particeps factus eſt eorundem.*

Caput & membra habent convenientiam, in ordinatione ad eundem finem, ſcilicet ad conſervationem & ſalutem totius perſonæ. Sic Chriſtus & membra Chriſti quæ ſunt una perſona, ordinantur ad unum finem conſequendum, ſcilicet ad æternam gloriam & beatitudinem: atque ad hujus finis conſecutionem, & Caput & membra aſſiduè collaborant. Hæc eſt Capitis cura, ut ſua membra perducat ad finem beatitudinis. Sic Chriſtus Ioan.17.12. *Quos dediſti mihi ego cuſtodivi, & nemo ex iis periit*: unde vocatur *Servator corporis ſui*, Epheſ.5. Hic eſt etiam ſcopus omnibus Chriſti membris propoſitus, ut aſſequantur hujus beatitudinis participationem unà cum Capite ſuo. Nam quæ fuit Pauli, ea omnium fidelium mens & ſententia, *Vnum ago, ea quæ à tergo ſunt, &c.* ad Philip.3.14. 2

Caput & membra corporis naturalis in eo conveniunt, Quòd habeant inter ſe continuitatem, & quòd omnia actum ſuum, & informationem habeant ab eadem anima. Sic Caput hoc myſticum, & omnia ejuſdem membra, habent continuitatem quandam inter ſe, & habent informationem ſuam ſpiritualem, & vivificationem ab eodem principio. Eſt enim inter Chriſtum & omnia Chriſti membra continuitas quædam ratione Spiritus ſancti, qui pleniſſimè reſidens in Chriſto Capite, unus, & idem numero ad omnia etiam ejus membra diffunditur, vivificans ea ſingula, & uniens 3

univerſa. Sic clariſſimè Apoſtolus ad Epheſ. 4. 16. *Totum corpus congruenter coagmentatum & compactum, per omnes ſuppeditatus commiſſuras, ex vi intus agente pro menſura uniuſcujuſque membri incrementum capit corpori conveniens, ad extructionem ſuiipſius per charitatem.*

Hæc ea ſunt in quibus convenit capiti cum membris; ex quibus liquet Chriſtum eſſe Caput verum & vivum totius Eccleſiæ, tum quoad illos reſpectus, in quibus Caput debet differre, tum quoad ipſos in quibus debet convenire cum ſuis membris.

Corporis Eccleſiæ] Reſtat ut ultimo in loco inquiramus, Qui, & quales illi ſunt ex quibus hoc Chriſti corpus efficitur; quod hoc in loco *Eccleſia* appellatur.

Eccleſię nomen ab evocando deductum eſt, eſt itaque Evocatorum cœtus vel multitudo: hæc autem evocatio fit per miniſterium Evangelii, aliáque media quæ Deus deſtinavit ad eruendos homines ex ſtatu ignorantiæ & miſeriæ, ac perducendos ad ſtatum gloriæ. Hoc ſenſu Eccleſiam dicimus, quemlibet hominum cœtum Chriſti doctrinam ac religionem ſub legitimis Paſtoribus profitentium. Tales fuere ſeptem illæ Eccleſiæ ad quas mittit ſuam Apocalypſin Ioannes. Talis Romana, Corinthiaca, Coloſſenſis, & omnes aliæ viſibiles, & certis locis circumſcriptæ Eccleſiæ.

Hi cœtus vocantur Eccleſiæ, & qui in illis vivunt, ſunt membra illarum Eccleſiarum, & reputanda ſunt ſecundum judicium charitatis, pro membris Sanctę Catholicæ Eccleſię, tum quòd ex parte Dei offeruntur illis ea media per quæ homines evocantur ad participationem vitæ æternæ: tum quòd ex parte illorum quoad externam actionem & profeſſionem recipiuntur & adhibentur hæc media ad ſalutem.

Hæc externa vocatio per gratiam Evangelii oblatam, & externa ſuſceptio & profeſſio Chriſtianiſmi ſub legitimis Paſtoribus conſtituit Eccleſiam externam & viſibilem: & Profeſſores ejuſdem, membra Eccleſiæ viſibilia.

Sed eſt & alia efficacior vocatio in aliquibus conjuncta huic externæ, nempe per gratiam inditam & impreſſam virtute Spiritus ſancti in cordibus vocatorum, quâ mediante non modò ſuſcipiunt externam profeſſionem Chriſtianiſmi, ſed internis fidei & Spiritus vinculis ipſi Chriſto conjunguntur: *Multi vocati, pauci electi*, inquit Servator. Hiſce poſitis, & omnium tam Pontificiorum quàm noſtrorum ſententiis comprobatis, accedimus ad id quod habemus in manibus, & hac Theſi noſtram ſententiam complectimur.

Eccleſia Catholica, quæ Corpus Chriſti dicitur, conſtat ex verè ſanctificatis, & Chriſto internâ conjunctione unitis: ità ut nullus improbus aut incredulus ſit membrum hujus corporis per ſolam externam profeſſionem fidei, & Sacramentorum communionem.

Hanc

Hanc Theſin opponimus Bellarmino, qui lib. 3. de Eccleſ. militan. cap. 2. audacter aſſerit, *Vt aliquis abſolutè dici poſſit pars veræ Eccleſiæ, non requiritur ulla interna virtus, ſed tantùm externa profeſſio fidei, & Sacramentorum communio, & unio cum Eccleſia Romana.* Hinc ponit manifeſtè impios, hypocritas occultos, infideles inter vera membra corporis Eccleſiæ Catholicæ, modò permaneant in externa communione cum Eccleſia Romana. Contrà; ex ipſo Bellarmino.

Qui habent ſe ad Eccleſiam, ut mali humores ad corpus humanum, illi non ſunt vera membra Eccleſiæ. Propoſitio hæc manifeſtæ veritatis eſt: nam omne totum appetit conſervationem membrorum ſuorum; ſed malos humores non conſervare ſtudet, ſed ejicere. At *qui carent fide, & virtutibus internis, ſunt in Eccleſia tanquam mali humores in corpore humano.* Bellar. de Eccleſ. milit. lib. 3. cap. 2. *Ratio 1.*

Nihil eſt verè & formaliter illud, quod eſſe dicitur cum termino diminuente, ut homo mortuus non eſt verè homo: urbs picta non eſt verè urbs; hoc pueris notum, qui Dialecticam vel à limine ſalutârunt. Sed mali & infideles non ſunt *membra viva* corporis Chriſti, concedente Bellarmino, cap. 9. imò dicuntur expreſſè *membra mortua*, eodem capite: ubi etiam & illud addit, *Dico* (inquit) *Epiſcopum malum, & Presbyterum malum eſſe membra mortua, & proinde non vera corporis Chriſti quantum attinet ad rationem membri, ut eſt pars quædam vivi corporis.* Animadvertite ſtuporem hujus diſputatoris. Quæſtio propoſita fuit ab initio, Vtrùm mali & infideles propter externam communionem & profeſſionem fidei, ſint vera membra Catholicæ Eccleſiæ quæ eſt corpus Chriſti. Suſcepit partem affirmativam defendendam Ieſuita; at jam cogitur fateri, Non eſſe *viva membra*, ſed *mortua: Non eſſe vera quantum attinet ad rationem membri.* At quod nec vivum eſt, nec verum, nec habet rationem membri; quomodò tuebitur Bellarminus eſſe tamen membrum verum. Audite, *Non eſt verum membrum, quantum ad rationem membri. Eſt verum membrum quantum ad rationem inſtrumenti.* Ineptiæ! Nam nihil poteſt intelligi negatâ ſuâ ratione formali. Neque ratio generis poteſt aliquid conſtituere in ſpecie. *Ratio 2.*

Quos ipſa Eccleſia non agnoſceret pro membris aut partibus ſuis, ſi illos nôſſet quales eſſent, hos Chriſtus qui omnia novit non agnoſcit. Sed aſſerente Bellarmino cap. 10. *Eccleſia ex intentione fideles tantùm colligit, & ſi nôſſet impios, & incredulos, eos aut nunquam admitteret, aut caſu admiſſos excluderet.* Quis igitur ſanus affirmaret, impios & incredulos eſſe vera membra Chriſti, & Catholicæ Eccleſiæ, quos Chriſtus abjudicat, quos Eccleſia ſi tales nôſſet abjiceret? *Ratio 3.*

Eccleſia quæ eſt corpus Chriſti nullum habet membrum, quod *Ratio 4.*

non recipit vitalem influxum à Capite: nam (ut antè oſtendimus) idem ſpiritus à Capite diffunditur ad omnia membra: *Qui non habet ſpiritum Chriſti, non eſt ejus*, Rom. 8. 11. Sed infideles & improbi, non habent hunc vivificum gratiæ influxum à Capite. Futile eſt quod cogitur reſpondere Bellarminus; Etſi non habeant internam unionem cum capite, nec gratiæ influxum, habere tamen externam unionem, quod ſufficit ut conſtituantur vera membra Eccleſiæ, id eſt, Corporis Chriſti. Vanum hoc effugium eſt, nam (ut rectè Thomas quæſt. diſput. de grat. Chriſt. art. 7. ad 11.) *Chriſtus & membra ejus vera ſunt una perſona myſtica, unde opera Chriſti Capitis ſunt aliquo modo membrorum:* ſed externa illa unio nec facit unam perſonam cum Chriſto, nec hominem participem facit obedientiæ, & juſtitiæ Chriſti; ergò non facit membrum Chriſti.

Ratio 5. Idem eodem tempore non eſt membrum ſub Chriſto, & ſub Diabolo: at improbi inter ſervos & filios diaboli recenſentur, Ioan. 8. 38. & 44. ergò inter Chriſti membra non reputantur.

Plura argumenta coacervare, aut Bellarmini argumenta diluere non eſt in animo. Adjungam tantummodò expreſſa quædam Patrum & Scholaſticorum teſtimonia, ut inde percipere poſſitis novitios hoſce Ieſuitas, à veritate Scripturarum, ab authoritate Patrum, à doctrina veterum Scholaſticorum receſſiſſe.

Clemens Strom. 7. dicit, Eccleſiam eſſe ἀθροισμὸν τῶν ἐκλεκτῶν: & paulò pòſt, *Vna eſt vera Eccleſia in cujus catalogum referuntur ii, qui ſunt juſti ſecundum propoſitum.*

Cyprianus de dupl. Martyr. *Fruſtrà miſcetur cœtui Sanctorum in templo manufacto, ſi ſubmotus eſt ab vniverſo corpore myſtico Chriſti*, loquitur de improbis.

Auguſtinus de Baptiſ. contra Donatiſt. lib. 4. cap. 2. *Ad Eccleſiam non pertinent omnes qui ſunt intus, ſed qui ſunt in ea piè viventes:* & cap. 4. *In corpore unicæ columbæ, nec Hæretici, nec improbi numerantur.*

Ad Oroſium quæſt. 52. *Sicut arca de lignis quadratis, ità Eccleſia de Sanctis conſtruitur.*

Sed ad Scholaſticos veniamus, qui nobis etiam ſuffragantur in hac cauſa.

Gulielmus Altiſſiodorenſis lib. 3. *Sicut naturale corpus Chriſti conſtat ex puriſſimis membris; ità corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, conſtat ex puriſſimis fidelibus: & ideò corpus Chriſti naturale eſt ſacramentum corporis myſtici.*

Hugo de Sancto Victore de ſacram. lib. 2. par. 2. cap. 2. *Eccleſia ſancta corpus eſt Chriſti uno ſpiritu vivificata, & unita fide unâ & ſanctificata: hujus corporis membra ſinguli quique fidelium exiſtunt. Omnes corpus unum propter ſpiritum unum, & fidem unam.*

Hales

Hales; *Mali non ſunt de corpore Eccleſiæ, quamvis ſunt de Eccleſia.* Parte 3. quæſt. 12. memb. 3. artic. 3.

Gerſon par. 1. *Congregatio Eccleſiæ Chriſto Capiti conglutinatur per vinculum Spiritus Sancti, mediantibus qualitativis diſpoſitionibus, reddentibus in corpore hoc myſtico harmoniam vivificam.*

Sed ſatis teſtium eſt; concludimus igitur hoc Eccleſiæ corpus, cujus ipſe Chriſtus Caput eſt, non conſtare ex membris aliquibus infidelibus, & improbis, ſed ex ſolis piis, & ſanctificatis, quos Deus eripuit ex poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii ſui dilecti. Hinc diſcamus, Non ſufficere ad ſalutem, eſſe membrum viſibile viſibilis alicujus Eccleſiæ per externam fidei profeſſionem, niſi ſis membrum myſticum Catholicæ Eccleſiæ per veram fidem, & Spiritum in corde habitantem. *Quid facit in domo fidei perfidum pectus?* Cyprian.

Non oportere Chriſtianos invidere illis, qui prædíti ſunt donis excellentioribus; quia ſunt membra ejuſdem corporis: quod igitur uni collatum eſt, id omnibus datum exiſtimare oportet, juxta illud Auguſtini, in Pſal. 139. *Tolle invidiam, & tuum eſt quod habeo; tolle invidiam, & meum eſt quod habes.*

Cùm pii membra ſint ejuſdem corporis, oportet eos ad mutua ſervitia eſſe promptos; oportet aliorum bonis ac malis perindè affici, atque ſuis. Sic Apoſtolus 1. Cor. 12. 26. *Si patitur unum membrum, dolent omnia, ſi honore afficitur unum membrum, gaudent omnia.* Atque hæc de primo Chriſti titulo.

Principium & primogenitus ex mortuis] Variè leguntur, & exponuntur hæc vocabula. In Græco ità ſe habent, ἀρχὴ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν. Alii itaque exponunt, *Principium primogenitum ex mortuis*; alii ſupplent copulativam ϗ, *Principium & primogenitus ex mortuis*: Sic Beza, Athanaſius; & poſt eum Calvinus interpretantur ſupplendo cauſalem, *Principium, quia primogenitus ex mortuis.* Chryſoſtomus legit, non ἀρχὴ, ut habetur in codicibus noſtris, ſed ἀπαρχὴ. *primitiæ & primogenitus &c.*

Sed ad rei ſummam nihil intereſt; nam ſecundum omnes; hiſce titulis Chriſtum ornat Apoſtolus, ut oſtendat illum non modò primum reſurrexiſſe, ſed eſſe Eccleſiæ ſuæ, id eſt, membris ſuis omnibus *principium*, & fontem ſalutis & gratiæ in hac vita, gloriæ & beatitudinis in futura.

Nam Eccleſia habet duplicem ſtatum; Gratiæ & ſpiritualis reſurrectionis in hac vita; Gloriæ & beatæ reſurrectionis in altera: Chriſtum igitur utriuſque authorem hoc in loco declarat Apoſtolus.

Duo itaque hîc explicanda ſunt; 1. Chriſtum ipſum fuiſſe primum in reſurrectione glorioſa. 2. Chriſtum ità primum fuiſſe; ut ſit cauſa nobis omnibus tum reſurrectionis ſpiritualis quâ reſur-

gimus à morte peccati, tum reſurrectionis corporalis quâ reſurgimus ad vitam gloriæ: fuit enim Chriſtus, & primus in ordine reſurgendi quoad ſe; & principium quoad nos.

Quod ad primum; Chriſtus rectè dicitur *principium & primogenitus ex mortuis*; nam ille ſolus reſurrexit ut principium ſuæ reſurrectionis, carnem ſuam ſuſcitans virtute divinitatis. Ille etiam ſolus reſurrexit ad vitam ſpiritualem & glorioſam, non denuò moriturus. Quòd ſuâ virtute non alienâ reſurrexit, clarum eſt. Ioan. 2.19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Ioan. 10.18.

Quamvis igitur legimus & in veteri, & in novo Teſtamento, aliquos reſurrexiſſe à mortuis ante Chriſtum; hoc non adimit Chriſto hoſce titulos: nemo enim reſurrexit ut principium ſuæ reſurrectionis, ſed omnes excitabantur virtute alienâ. Præterea, nemo illorum reſurrexit ad præſentem participationem glorię, ſed ad præſentem manifeſtationem glorię divinę. Verè enim Cypr. in lib. de reſurrectione Chriſti. *Reſurrexerunt* (inquit) *quidem ante Chriſtum, ſed in nomine & fide ejus: ſub Helia vivente in corpore unus; ſub Heliſeo vivo & mortuo duo; ſed ad mortem quam guſtaverant iterum redierunt: reſurrexit & Lazarus ad imperium Chriſti, & alii nonnulli: ſed hi omnes aliquo tempore beneficio vitæ uſi, iterum ad funera rediere.* At *Chriſtus excitatus ex mortuis nunquam poſteà moriebatur*, ut eſt 6. ad Rom. 9.

Reſurrectio ergò paucorum præcedens Chriſti reſurrectionem, non impedit quò minùs ille vocetur *principium & primogenitus ex mortuis:* cùm illi nec ſuâ virtute, nec ad perpetuam vitam reſurrexerint: Chriſtus & ſuâ, & ad perpetuam.

Iam veniamus ad ſecundam rationem propter quam appellatur *Principium, & primogenitus ex mortuis:* nimirum quia non modò, ut antè oſtenſum eſt, ſeipſum excitavit, ídque ad vitam immortalem: ſed quia eſt principium effectivum & cauſa reſurgendi omnibus ſuis membris; ſive reſurrectionem ad gratiam ſpectemus, à morte peccati; ſive reſurrectionem ad gloriam à morte naturæ. Vtramque conjungo, quia licet Chriſtus nunquam reſurrexit à morte peccati (utpote qui nunquam fuit peccato ſubditus) tamen hæc unica Chriſti reſurrectio, cauſa eſt utriuſque in nobis: & ita ſunt conjunctæ inter ſe duæ hæ reſurrectiones, ut niſi quis virtute Chriſti reſurgat priùs à peccati morte, nunquam reſurrecturus ſit ad vitam gloriæ. Primò itaque oſtendamus Chriſtum reſurgentem eſſe cauſam reſurrectionis noſtræ ſpiritualis. Chriſtus eſt principium noſtrę reſurrectionis ſpiritualis, morte & reſurrectione ſuâ, Per modum cauſę meritoriæ; nam meritus eſt ſuorum membrorum vivificationem hanc ſpiritualem: Per modum cauſæ efficientis, nam eadem virtute quâ ſe excitavit à morte, & ſuos omnes excitat à

morte

morte peccati, & regenerat ad novam vitam gratiæ. Sic Apoſtolus ad Roman. 6. 11. *Exiſtimate vos ipſos mortuos eſſe peccato & vivere Deo, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum.* Deniq; per modum cauſę exemplaris; nam Chriſti reſurrectio paſſim nobis proponitur ut typus, & exemplar noſtrę ſpiritualis reſurrectionis: *Sicut excitatus eſt Chriſtus ex mortuis, ità & nos in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6. 4.

Si Chriſtus non eſſet *principium* in nobis hujus ſpiritualis reſurrectionis, nulla ſpes eſſet de beata & glorioſa reſurrectione, ut habetur Apocal. 20. 6. *Beatus qui habet partem in reſurrectione prima, in his ſecunda mors non habet poteſtatem.* Nam ſpiritus regenerationis eſt arrha reſurrectionis beatæ; dans initium vitæ ſpiritualis & jus ad reſurrectionem illam, quæ eſt ad vitam æternam. Vnde pulcherrimè Tertullianus (in libro de Reſurrectione) dicit, *Per regenerationem corpora noſtra huic reſurrectioni inaugurari.* Et Thom. in epiſt. ad Rom. *Corpora noſtra vivificabuntur ad gloriam, propter dignitatem quam habuerunt ex eo quòd receptacula fuerunt Spiritus ſancti*, in illa verba cap. 8. ver. 11. *Si Spiritus ejus qui excitavit Ieſum à mortuis habitat in vobis, ipſe qui excitavit Chriſtum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ipſius ſpiritum in vobis.* Sic igitur apparet Chriſtum eſſe principium ac cauſam reſurrectionis noſtræ ſpiritualis per mortem, ac reſurrectionem ſuam corporalem.

Iam quod attinet ad Corporalem illam quam expectamus; hujus etiam eſt *principium* Chriſtus, ſecundum omnes illos modos quos tetigimus in reſurrectione ſpirituali. Per modum cauſę meritorię. Nam ſuâ Paſſione & victoriâ, promeruit ſuis glorioſam reſurrectionem. *Traditus eſt propter delicta, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*: Rom. 4. At *quos juſtificavit, glorificabit. Deglutiit mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur*, 1. Pet. 3. 21.

Per modum cauſę efficientis. Ipſe enim divinâ ſuâ virtute omnes ſuos excitabit ad gloriam, Ioan. 5. 28. *Veniet hora in quâ omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei, &c.* & 1. Cor. 15. 20. *Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium.* Cur primitiæ? Quia quemadmodum in Lege, primitiarum oblatio cauſa erat cur reliqui fructus benedicerentur: ſic Chriſti reſurrectio cauſa eſt, cur reliqua membra reſurgant. *Solvor morte meâ, Chriſti virtute reſurgo.* Prudentius in Apotheoſi.

Vltimò, Per modum cauſæ exemplaris. Reſurrectio enim glorioſa Chriſti Capitis, oſtendit nobis exemplum reſurrectionis, & glorię noſtræ futuræ: *Transformabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat corpori ſuo glorioſo*, Philip. 3. 21. Manifeſtum igitur eſt Chriſtum meritiſſimò ornari hiſce titulis ab Apoſtolo; nimirum, *Principii & primogeniti ex mortuis*, tum quia ipſe ſe ſuſcitavit ad vitam gloriæ, tum quia ſuos omnes ſuſci-

tat,

tat, tum à morte spirituali, tum à morte corporali.

Observ. Ex eo quòd Christus dicitur *principium* esse nobis & vitæ gratuitæ, & vitæ glorioſæ; colligimus nec gratiæ participes esse in præsenti seculo, nec gloriæ in futuro, qui non uniuntur huic principio: unio autem hæc fit per fidem & Spiritum Sanctum: qui hisce carent, carebunt & illis.

Observ. Cùm Christus dicatur *primogenitus ex mortuis*, intelligimus mortem non esse jam Christianis metuendam; est enim nova quædam & glorioſa nativitas resurrectionis mox illis expectanda. Vt enim Christus resurgens dicitur *primogenitus ex mortuis*, sic nos omnes resurgentes novam quandam genituram obtinebimus. *Regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, ad hæreditatem in cœlis servatam.* 1. Pet. 1. 3. *Mors non vitam rapit, sed reformat*, ut scitè Prudentius. Hæc de ipsis titulis.

Vt in omnibus primas teneat] In eo jam versatur Apostolus, ut doceat titulos supradictos ad Christum optimo jure pertinere. Hæc verba nonnulli referunt ad ea omnia, quæ præcesserunt in descriptione Christi Redemptoris: quasi dixisset Apostolus, Ille est *imago Dei, primogenitus omnis creaturæ, Caput Ecclesiæ, principium & primogenitus ex mortuis*; in hunc finem, *ut primatum teneat in omnibus*; id est, ut innotescat toti mundo illum esse Dominum omnium creaturarum, & positum supra omnia quæ sunt vel in cœlo vel in terra.

Alii referunt ad extremam hanc clausulam, in qua Christus prædicatur *primogenitus ex mortuis*; hoc sensu, non modò omnium quæ vivunt Christus est Creator & Princeps, sed est etiam suâ morte & resurrectione, *mortuorum primogenitus* & resuscitator; hoc unicum illi deerat: ergò ut in omnibus primas teneret, voluit mori, voluit resurgere *primogenitus ex mortuis*.

Si aliquis alius mortem debellâsset, & nos resuscitâsset, tum Christus non tenuisset primatum in omnibus: ille enim alius respectu mortuorum Princeps fuisset.

Observ. Hîc observare oportet miram Apostoli in rebus divinis sapientiam, qui in morte Christi, quæ videbatur plena infirmitatis & ignominiæ, argumentum invenit ad amplificationem gloriæ, & majestatis illius. Nam etsi hoc ipsum Mori, si per se consideretur, sit infirmitatis indicium; tamen sic Mori, ut seipsum quis resuscitet, ut alios omnes virtute suæ mortis & resurrectionis liberet à morte, id est, ut sit *principium & primogenitus ex mortuis*; est maximè honorificum, & glorioſum.

VERS. 19. *Quoniam in eo placuit omnem plenitudinem inhabitare.*

Adhuc pergit Apostolus in confirmatione illorum titulorum, quos paulò antè Christo impertivit. In hoc autem versiculo sunt

duæ

duæ rationes complicatæ & convolutæ, quas nos perſpicuitatis causâ ſejungemus. Prior ſumitur à cauſa efficiente vel ordinante; hoc modo: *Deo Patri* (nam hoc ſupplendum eſt) *complacuit*, ut Chriſtus eſſet *Caput Eccleſiæ, Primogenitus ex mortuis*, &c. ergò optimo jure attribuimus illi hos titulos. Sic Petrus Actor. 2. 36. *Certò ſciat tota domus Iſrael, hunc eſſe factum à Deo Dominum & Chriſtum:* id eſt, Ipſe Deus Pater dedit Eccleſiam Chriſto, & viciſſim dedit Chriſtum Eccleſiæ, & illum conſtituit Caput, Servatorem illius, æternâ ſuâ ordinatione.

Sed quomodò conſtabat Paulo, aut nobis conſtare poterat de hoc Dei beneplacito? Ex teſtificatione ipſius Dei in verbo ſuo, nam Chriſto Redemptori *teſtimonium perhibent Moſes & Prophetæ. Si Moſi credidiſſetis &c.* Ex tota Chriſti vita, ex morte & reſurrectione, in quibus omnibus eluxit illius divinitas, & innotuit toti mundo illum miſſum fuiſſe à Deo Patre, ad colligendam Eccleſiam, & ad procurationem ſalutis humanæ.

Non abs re meminit Apoſtolus beneplaciti divini cùm loquitur de Redemptore humani generis, & Capite Eccleſiæ; quia hunc honorem nemo ſibi aſſumere potuit, abſque voluntate & decreto divino: unde ipſe Deus per Prophetas hoc ſuum beneplacitum revelavit, ut Eſaiæ 42.6. *Ego Dominus vocavi te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.* Et ipſe Chriſtus ubique urget hoc Dei decretum, & hanc ſuam miſſionem à Deo Patre. Luc.4.18. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me evangelizare pauperibus, ſanare contritos &c.* Eſa.61.1. Et Ioan. 4. 34. *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus qui miſit me.* Duo hîc notanda.

Salutem & gratiam non alibi quærendam, quàm in quo complacuit Deo ut quæreretur. De ejus autem voluntate ex verbo revelato judicandum. In toto igitur ſalutis noſtræ negotio ſemper occurrere debet Chriſtianis mentibus hæc cogitatio, Quid Deo complacuit? ſi enim ab illius voluntate aberramus, fruſtrà bonum aliquod expectamus. Verbi causâ; Cupio remiſſionem peccatorum, vel liberationem ab aliquo malo imminenti, vel gratiam quamcunque ſpiritualem; in dubio hæret animus, quid mihi faciendum ſit ut voti mei compos fiam. Iubent Orthodoxi ut rectà confugiam ad Chriſtum, & utar ipſius ſolius interceſſione apud Patrem. Iubent Pontificii, ut confugiam ad beatam Virginem, vel ad alios Sanctos. Quid hîc agendum? Queras quid complacuit Deo Patri; illius voluntati pareas. Nos facilè oſtendimus, quòd complacuit Deo ut utamur interceſſione Chriſti Capitis noſtri: at tota natio Pontificiorum ex Scripturis nunquam evincent, quòd complacuit Deo ut per Chriſti Matrem, vel Sanctos illũ adeamus. 1.

Cùm Deo complacuerit, ut Chriſtus eſſet Redemptor noſter perfectus & abſolutus, manifeſtum eſt illos æternum Dei conſilium labefactare, qui nova media ſalutis invenerunt, de quibus dici 2.

non

non poteſt, quòd complacuit Deo, ut in illis remiſſionem peccatorum quæreremus. Huc referre poſſumus ſatisfactiones humanas, indulgentias Papales, & quicquid admiſcetur in ſalutis negotio abſque ordinatione voluntatis divinæ. Hæc omnia (quantum in illis eſt) reſcindunt æternum Dei decretum de ſalute humanâ.

Omnem plenitudinem habitare] Hæc eſt illa altera ratio cur Chriſtus rectè vocetur *Caput Eccleſiæ:* ſumpta autem eſt à cauſâ formali, hoc modo; Deus, cui complacuit ut Chriſtus eſſet *Caput Eccleſiæ*, non modò decreto illud ordinavit, ſed inſuper illum cumulavit omnibus donis quæ requiruntur ad conſtituendum idoneum *Caput Eccleſiæ*. Hic titulus ergò illi optimè convenit.

Per *plenitudinem* hoc in loco nonnulli intelligunt plenitudinem Deitatis, alii plenitudinem Gratiæ habitualis. Certum eſt utramq; plenitudinem in Chriſto habitare; & fortaſſe Apoſtolus complecti voluit utramque: nam illud dicit proculdubiò, eſſe in Chriſto quicquid requiritur ad conſtituendum perfectum Redemptorem humani generis, & *Caput Eccleſiæ*. Sed ad hæc munera obeunda, requiritur & plenitudo divinitatis, & plenitudo gratiæ habitualis. De Chriſti Deitate antè dictum eſt; de plenitudine gratiæ habitualis ſolummodò hæc tria breviter oſtendemus.

1. Quòd fuerit in Chriſto plenitudo hęc gratiæ.

2. Rationes afferemus, cur congruum fuerit plenitudinem gratiæ in Chriſto eſſe.

3 Oſtendemus hanc plenitudinem gratiæ fuiſſe ſolius Chriſti privilegium.

1 Quod ad primum; cùm dicimus in Chriſto homine fuiſſe plenitudinem gratiæ habitualis, non id volumus, hanc gratiam fuiſſe infinitam: nam cùm ſit creata qualitas, & inhęreat in mente Chriſti, quæ etiam creatura eſt, infinita eſſe non poteſt. Sed per plenitudinem gratiæ intelligimus omnes perfectiones ad quas ratio gratiæ ſe extendit. Nam cùm in cæteris hominibus diviſio quædam gratiarum reperiatur, ità ut hic prędítus ſit aliquo dono gratiæ quo alter careat; in Chriſto omnia gratiæ dona concurrunt. Huc accedit, quòd cùm cæteri homines gratiam nacti ſint in gradu inferiore; Chriſtus non modò omnem gratiam poſſidet, ſed etiam illam habet in ſummo gradu. Vnde nonnulli dicunt, Chriſti gratiam hanc habitualem & infuſam, infinitam aliquo ſenſu dici poſſe: ſcilicet quatenus non limitatur, uel quoad genera gratiarum, vel quoad gradum; ſed in ſe continet, quicquid ad rationem gratię pertinet. Ac ſi quis dicat Solis lucem eſſe infinitam, non ſecundum eſſentiam illius qualitatis, ſed ſecundum rationem lucis, quia quicquid pertinet ad rationem lucis invenitur in luce ſolari in ſummo gradu. Sed hæc impropria locutio eſt.

Hanc gratiæ plenitudinem in Chriſto, Scripturæ ubiq; prædicant. Ioan. 3. 34. *Spiritus datus eſt Chriſto non ad menſuram.*

In

In illo omnes theſauri; Col.2.3. Quòd ſit in Chriſto omnis gratiæ plenitudo videtis.

Iam ſecundo in loco conſideremus, cur debuit eſſe in Chriſto hæc gratiæ plenitudo. Primò, eſt debitum Congruitatis propter unionem animæ illius ad Verbum: æquum enim & congruum eſt, ut quantò aliquid ſit propinquius cauſæ influenti, tantò copioſiùs participet de influxu ipſius. Cùm igitur ipſe Deus ſit fons gratiæ, anima Chriſti Deo tam propinqua, non potuit non abundare gratiâ. Secundò, eſt debitum Neceſſitatis, ex ſuppoſitione finis, propter habitudinem ipſius Chriſti ad genus humanum. Gratia enim illi conferenda fuit non tanquam privatæ perſonæ; ſed tanquam univerſali principio à quo transfunderetur in reliquos homines. In Principio autem omma debent eſſe plena & unita. A Chriſto ad nos diffundi gratiam oſtendit Evangeliſta, Ioan. cap. 1. 16. *Ex plenitudine ipſius omnes accepimus.* Et Apoſt. ad Epheſ. 4. 7. *Vnicuique noſtrùm data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* 2

Reſtat ut ultimo in loco oſtendamus hanc plenitudinem gratiæ eſſe ſolius Chriſti propriam. Ad quod oſtendendum hoc unico argumento utemur. In Sanctis viatoribus non eſt plenitudo gratiæ. Non enim ſtare poteſt cum tot reliquiis veteris hominis, quæ in illis reperiuntur: nam plenitudo gratiæ nullum peccato locum relinqueret. Sed nec in ipſis Sanctis comprehenſoribus eſt hæc plenitudo ſumma omnium gratiarum quæ eſt in Chriſto. Nam ſi ſtella à ſtella differt luce & magnitudine, tum multò magis differt à Sole. Habent omnes beati illam gratiæ & gloriæ menſuram, quam capere poteſt maximam mens uniuſcujuſque; ſed non habet illam capacitatem, vel gratiæ, vel gloriæ, mens cujuſvis puræ creaturæ, quam habet anima Chriſti. In illo ſolo plenitudo. 3

Virgo Maria dicitur *plena gratiâ*, Luc.1.28. & Stephanus *plenus gratiâ & fortitudine*, Act.7. Gratiæ igitur plenitudo non eſt propria Chriſti. *Object.*

Duplex eſt plenitudo gratiæ. Altera conſideratur ex parte ipſius gratiæ, quando quis illam habet in maximâ extentione quoad omnem ſpeciem gratiæ, & in maxima excellentia quoad gradum: hæc plenitudo ſolius eſt Chriſti. Altera conſideratur ex parte habentis gratiam, quando quis habet illam plenè & ſufficienter quoad ſuum ſtatum & conditionem. Et ſic Mariæ, Stephano, & aliis gratiæ plenitudo poteſt competere. Nam Virgo Maria habuit gratiam plenam & ſufficientem pro illo ſtatu & conditione ad quam Deus illam elegerat. Et ſic breviter illa tria expedivimus quæ propoſuimus declaranda. Quòd in Chriſto fuerit omnis plenitudo gratiæ. Cur in Chriſto debuit habitare omnis plenitudo. Et quòd in ſolo Chriſto reperitur hæc plenitudo. *Reſpon.*

Obſerv. 1. Obſervate hinc, Deum non ſolere alicui imponere officium, quin ſimul det illi ea omnia quæ ſunt neceſſaria ad illud obeundum: imponit Chriſto officium *Capitis Eccleſiæ*, ſed & communicat illi *plenitudinem* gratiæ. Qui igitur irruunt in ea officia quibus adminiſtrandis prorſus inepti ſunt, non illos Deus vocavit ad talia munera obeunda, ſed avaritia vel ambitio impulit.

Obſerv. 2. Vt quis *Caput Eccleſiæ* habeatur, gratiæ *plenitudinem* habeat neceſſe eſt: cui deeſt hæc *plenitudo*, benè cum illo agitur ſi inter membra Eccleſiæ cenſeatur; Capitis nomen & honorem aſſumere ſibi non poteſt abſque ſummâ ſuperbiâ vel ſtultitiâ, ut Gregorius oſtendit, Epiſt. lib. 1. epiſt. 82.

Obſerv. 3. Cùm *plenitudo* gratiæ ſit in ſolo Chriſto, ab illo ſolo expectandum ut rivuli ad nos deriventur: qui alibi gratiam quærunt, *duo mala faciunt; derelinquunt ſcaturiginem aquarum perennium, & effodiunt ſibi ciſternas fractas quæ non capiunt aquas*; Ierem. 2. 13. Atq; jam percurrimus deſcriptionem Chriſti Redemptoris noſtri.

VERS. XX.

Et per eum reconciliare omnia ſibi, pace per ſanguinem crucis ejus factâ, per eum, inquam, ſive quæ in terra, ſive quæ in cœlis ſunt.

VErſatur adhuc Apoſtolus in doctrina redemptionis explicanda: ipſum beneficium redemptionis breviter perſtrinxit verſibus 12. 13. 14. Ab illo 14. verſu hucuſque ipſum Redemptorem depinxit, & variis titulis ornavit. Iam in hoc verſu & duobus ſequentibus, redit denuò ad ipſum opus redemptionis, & modum illius, quem ſuprà breviter attigerat, fuſiùs exponit. Loquitur autem de opere redemptionis, vel reconciliationis, primò generatim, quatenus ad omnes pertinet, in hoc verſu: deinde ſpeciatim, quatenus ipſos Coloſſenſes ſpectat, in duobus ſequentibus.

In verbis autem propoſitis multa ſunt obſervanda. 1. Quòd facta ſit reconciliatio. 2. Cujus decreto & authoritate facta ſit. 3. Cum quo facta ſit. 4. Per quem. 5. Quomodo. 6. Quorum.

1 Apoſtolus reconciliationis negotium peractum eſſe præſumit. Non itaque in eo operam ponit, ut probet reconciliatum eſſe Deo humanum genus, ſed ut ipſum modum reconciliationis ante oculos ſtatuat. Reconciliare autem nihil aliud eſt quàm amicitiam offenſione aliquâ gravi diremptam reſarcire, & ſic inimicos in priſtinam concordiam reducere. Hîc autem in memoriâ revocare oportet, omnes rationales creaturas fuiſſe Deo conjunctiſſimas ante lapſum, ſed per illam apoſtaſiam facta eſt quaſi avulſio creaturæ à Deo, & averſio Dei à creatura; adeò ut idem ille Deus qui homi-

nem

nem à ſe creatum dilexerit, quaſi ſuum filium: hominem lapſum & corruptum oderit quaſi perduellem. Sed non obſtante hoc lapſu hominis, & hac peccati deteſtatione ex parte Dei, viſum eſt Deo reconciliare ſibi hominem lapſum.

Ex certa hac perſuaſione reconciliationis factæ, ſuboritur nobis magnum ſolatium, in lucta illa ſpirituali conſcientiæ cum peccati horrore. Si enim cum Deo infenſo nobis agendum eſſet, quis vultum in cœlum ſuſtollere, quis de majeſtate divinâ cogitare poſſit abſque trepidatione, tot peccatis coopertus? Sed cùm in mentem venit, nobis negotium eſſe cum Deo propitio & reconciliato, magnâ fiduciâ thronum miſericordiæ adimus. Non enim, ut cum hoſtibus, ſummo jure nobiſcum aget; ſed, ut cum amicis & filiis acturus, obliviſcetur peccatorum noſtrorum, recordabitur paternæ ſuæ miſericordiæ. Nimirum quia peracta eſt reconciliatio. *Solat.*

Secundo in loco inquirendum, cujus decreto, conſilio, authoritate ſuſceptum & impletum ſit hoc reconciliationis opus. Breviter reſpondendum, id factum authoritate, & decreto Dei Patris. Hoc colligitur ex cohærentia hujus verſiculi cum ſuperiore; *Complacuit ſcilicet Patri omnem plenitudinem in Chriſto habitare, & per eum reconciliare.* Hic igitur ſubſtituere etiam oportet illud verbum εὐδόκησε, *complacuit Patri reconciliare &c.* 2

Opus reconciliationis multis aliis in locis aſcribitur Deo Patri: ſed unicus ille inſtar omnium erit, 2. ad Cor. 5. 18. *Deus nos reconciliavit ſibi; Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Quamvis itaque (ut mox oſtendemus) negotium reconciliationis Chriſto attribuitur, ut proximo & immediato agenti; tamen Deo Patri, & per conſequens toti Trinitati illud oportet aſcribere, ut primariæ cauſæ. Nam tota Trinitas, quæ prævidebat ab æterno lapſum humani generis, præordinavit hanc viam reconciliationis ineundæ per Chriſtum, & Chriſto homini hanc voluntatem inſpiravit, ut pateretur pro redemptione humani generis. Sic dicitur Eſa. 42. 6. *Ego Iehova vocavi te in juſtitia, ut confirmem manum tuam, & cuſtodiam te, & tradam te in fœdus populi &c.* Vbi Propheta docet, ipſum Iehovam ordinaſſe, ac vocaſſe Chriſtum ad hoc opus reconciliationis, & illum corroboraſſe & ſuſtentâſſe in tota adminiſtratione ſalutis humanæ. Manifeſtum eſt igitur Deum primarium authorem fuiſſe hujus reconciliationis, eúmque ſuâ tantùm εὐδοκίᾳ & gratuito amore pertractum fuiſſe ad ineundum hoc conſilium de noſtra redemptione: εὐδόκησε, *complacuit illi*, inquit hoc loco Apoſtolus: & Hierem. 31. 3. *In charitate perpetua dilexi te.* Et paſſim in Scripturis, gratuitus hic Dei amor cauſa eſſe dicitur cur Pater in mundum filium ſuum miſerit, ad procurationem ſalutis humanæ. Ioan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Et ad Epheſ. 2. 4. *Propter multam chari-*

tatem ſuam quâ dilexit nos, cùm per offenſas mortui eſſemus vivificavit &c. Nam *amor eſt primum donum in quo omnia alia dantur*, ut rectè Altiſſiodorenſis lib. 1.

Dub. Sed hîc dubium occurrit, de hoc æterno Dei amore. Quæri enim poteſt, quid opus fuit reconciliatione, ſi Deus nos ab æterno amavit? Reconciliatio enim locum non habet inter amicos, ubi nullæ ſunt inimicitiæ.

Sol. Reſponſionem ex venerabili Beda adhibemus. Sic ille in 5^m^ ad Romanos; *Deus miro modo quando nos oderat diligebat; odit in unoquoque noſtrûm quod feceramus, amavit quod fecerat:* id eſt (ut loquuntur Scholaſtici) dilexit humanum genus, quantum ad naturam quam ipſe fecit; odit, quantum ad culpam quam homines contraxerunt. Amor igitur Dei erga naturam à ſe conditam illum movebat ad procurandam hanc reconciliationem: Odium Dei erga peccatum, à ſe prohibitum, à nobis commiſſum, nos conſtituebat indigos reconciliationis. Rectè Thomas 3. qu. 49. artic. 4. *Non dicimur reconciliati, quaſi Deus de novo nos amare incipere; nam æterno amore nos dilexit: ſed quia per hanc reconciliationem ſublata eſt omnis odii cauſa, tum per oblationem peccati, tum per recompenſationem acceptabilioris boni.*

Obſerv. Hinc diſcimus ſalutem noſtram non eſſe ſtipendium meritorum noſtrorum, ſed donum Dei gratuitum. Nam primum hoc decretum de redemptione humana fluxit ab ἐυδοκίᾳ divinâ, & ab æterno ejus amore, quo nos lapſos & in peccatis demerſos ultrò ſanavit, & ſibi reconciliavit. Iuxta illud Ambroſii in Epheſ. 2. *Deus ad ſalutem nos vocavit errantes, & verum iter non quærentes.* Et Pauli ad Titum, 2. 11. *Apparuit gratia Dei & Salvatoris noſtri omnibus hominibus.* Ἐπεφάνη ἡ χάρις. Quaſi ſubitò & improviſò nobis illuxit nil tale quærentibus, aut ſperantibus.

3 Progrediamur, & Cui ſumus reconciliati tertio in loco videamus. *Sibi*] inquit Apoſtolus; id eſt, Deo Patri, & per conſequens toti Trinitati. Sic multis in locis. Ad Roman. c. 10. *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus.* Et 2. ad Cor. 5. 15. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians.* Cui? *Sibi*. Nomine *Dei*, Deum Patrem in hiſce locis intelligendum eſſe apparet, propter correlativum *Filii* quod ſubjungitur.

Sed hîc cavendum eſt, ne ſic Deo Patri nos reconciliatos putemus, ut Filio etiam, & Spiritui ſancto nos reconciliatos denegemus; nam cùm omne peccatum in divinam majeſtatem committatur, neceſſe eſt tres perſonas quæ eandem eſſentiam divinitatis habent, & ſimul offendi in commiſſione peccati, & ſimul placari in expiatione & remiſſione ejuſdem.

Quòd verò Patri nos reconciliatos dicere ſolet Scriptura, potiùs quàm Filio aut Spiritui ſancto, duæ rationes aſſignantur à Zanchio, de tribus Elohim.

Prima,

Prima, quia Pater fons eſt totius divinitatis, & omnium divinorum conſiliorum & operationum. Quâ de causâ fit etiam, ut ſit primus ordine in quem à nobis peccatum eſt; ac primus ordine cui reconciliamur. Scriptura igitur, ut indicet fontem unde fluxit reconciliatio, & in quem primò eſt peccatum, ſolita eſt dicere nos reconciliatos eſſe Patri, potiùs quàm Filio, aut Spiritui ſancto.

Altera ratio eſt, quia Scriptura vult indicare propria uniuſcujuſque perſonæ officia. Etſi enim opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa, tamen quædam ſingulis perſonis appropriantur. Patris igitur tanquam fontis unde fluit gratia proprium eſt, nos recipere in gratiam; atque hinc Scripturæ ſolent dicere nos eſſe *Patri reconciliatos*. Filii tanquam Mediatoris proprium eſt intercedere, & λύτρον reconciliationis perſolvere; hinc dicunt nos *per Filium reconciliatos*. Spiritus proprium eſt, hujus reconciliationis fiduciam in cordibus noſtris obſignare: Reconciliati igitur Patri, reconciliamur etiam Filio & Spiritui ſancto, quatenus ſunt in tribus perſonis unus Deus.

Sed hîc objicitur; Si Chriſtus nos reconciliat toti Trinitati, tum ſibi nos reconciliat; at nemo dicitur Mediator reſpectu ſuiipſius, ſed alterius. *Objectio.*

In Filio duplex ſpectatur ratio; una eſſentiæ naturæque divinæ, ſecundum quam & ipſe offenſus eſt; altera œconomiæ, ſecundum quam hæc perſona, quamvis offenſa, carnem ſuſcipere voluit, & reconciliatrix eſſe inter Deum & homines officio voluntario. Idem igitur Chriſtus accepit ſacrificium reconciliationis, ut Deus offenſus in natura: idem obtulit, ut Mediator Deus homo in œconomia, ſeu voluntariâ diſpenſatione gratiæ. Iunius. *Solutio.*

Cui ſumus reconciliati jam tenetis, toti videlicet Trinitati; per Quem facta ſit hæc reconciliatio quarto in loco inquiramus. *Per eum* inquit Apoſtolus; id eſt, per eum quem anteà dixit eſſe *Imaginem Dei*, *Primogenitum omnis creaturæ*, *Caput Eccleſiæ*, *omni gratiarum plenitudine datatum*; per Chriſtum Ieſum, Dei filium incarnatum. *Non eſt aliud nomen ſub cœlo in quo ſalus ſperari poteſt*; Act. 4. 12. Nulla creatura aut potuit aut debuit nos Deo reconciliare, non Angelus, non purus homo, ſed Chriſtus ἀνθρωπος Dei filius. Non Angelus; quia ratio juſtitiæ divinæ poſcebat, ut ſatisfactio daretur per eandem naturam quæ peccârat, & erat liberanda. Neque etiam conveniebat, ut homo ſalutem ſuam, & redemptionem alii acceptam ferret, quàm creationem. Bernardus rationem attulit, de Paſſione Domini cap. 46. *Quia plùs nos ad charitatem excitat redemptio quàm creatio.* Si ergò per alium quàm per eum per quem ſumus formati redempti fuiſſemus, plùs illum diligeremus quàm Creatorem. Ad extremum addo, nec potuiſſe Angelum hoc 4

opus perficere. Debet enim Angelus Deo pro ſe, quicquid habet & poteſt; nihil igitur illi ſupereſt, quod impendat pro homine liberando.

Si Angelus hoc opus reconciliationis efficere nòn potuit, multò minùs merus homo, peccati reus, & iræ divinæ obnoxius. *Omnes enim ſumus naturâ filii iræ*, ut inquit Apoſtolus. Imò, ſi ponamus aliquem hominem peccati prorſus expertem, tamen non erit idoneus Redemptor & Reconciliator humani generis. Redemptio enim & reconciliatio humani generis requirit Mediatorem, cujus obedientia ſit meriti infiniti, cujus humilitas tantum placeat Deo, quantum diſplicuit ſuperbia primi parentis. At nudi hominis quantumvis innocentis obedientia debita eſt, & obſtricta Deo; finita eſt, & proportionem non habet ad ſolutionem & expiationem offenſæ infinitæ.

Solus igitur Chriſtus θεάνθρωπος potuit, & debuit nos reconciliare Patri. Potuit ſolus reſpectu naturæ divinæ; debuit reſpectu humanæ; quam in eum finem aſſumpſit, ut hominem liberaret, & ad Deum reduceret. Vnde Eccleſia dicitur acquiſita ſanguine Dei, Actor.20.28.

Doctr. Hinc colligimus ſolum Chriſtum eſſe vinculum noſtræ conjunctionis cum Deo, ità ut extra ipſum miſerrimi ſimus; quia Deo nondum reconciliati.

Refut. Hinc etiam illorum errorem refutamus, qui quærunt reconciliationem cum Deo ſive operâ & interceſſione, ſive meritis Angelorum vel Sanctorum: Nam cùm Chriſtus dicatur Reconciliator noſter; hic titulus, quemadmodum omnes ſuperiores, intelligendus eſt cum excluſione, & Antitheſi: quaſi dixiſſet Apoſtolus, Hic, & nemo præter hunc eſt *Caput Eccleſiæ*; & hic, & nemo præter hunc præditus eſt *plenitudine gratiæ*; hic, & nemo præter hunc officium *reconciliationis* ſibi delegatum habet à Deo Patre. Per hunc, & per hunc ſolum *placuit Deo reconciliare ſibi omnia.*

5 Iam conſideremus, Quomodo Chriſtus nos reconciliavit Patri; *Pace per ſanguinem crucis ejus factâ*, inquit Apoſtolus; id eſt, per ſanguinem in cruce effuſum, vel per mortem illam acerbam & ſanguinolentam quam in cruce pertulit. Sunt itaque hîc duo diſcutienda. Cur pacem & reconciliationem Deus fieri voluit per ſanguinem & mortem filii: Cur per mortem crucis.

Quod attinet ad ipſam mortem Chriſti per ſe conſideratam, non defuit Deo alius modus poſſibilis redimendi humanum genus: ſed nullus fuit hoc convenientior, ut ſcribit Auguſtinus de Trin. lib.13.cap.10. Fuit hic modus convenientiſſimus quoad Deum, quia quadrabat tum juſtitiæ, tum miſericordiæ divinæ. Iuſtitiam Deus oſtendit exigendo plenam ſatisfactionem, mortem perſonæ infinitæ, pro reatu infinito; Miſericordiam, exigendo illam

non

non à nobis miſeris, qui non eramus ſolvendo, ſed à Chriſto qui potuit ſolvere.

Sed cùm dicimus alium modum reconciliationis fuiſſe poſſibilem, intelligi volumus de poſſibilitate abſolutâ quoad rei ipſius naturam. Si enim Deo viſum fuiſſet, potuiſſet homini omnia ſua delicta condonare nullo λύτρῳ accepto; vel potuiſſet minimâ Chriſti paſſione contentus eſſe, quamvis ſeſe morti non ſubjeciſſet: ſed ſi æternum Dei decretum ſpectemus de liberando humano genere per mortem filii, tum ex hac hypotheſi divinę prędordinationis, neceſſaria fuit mors Chriſti ad redemptionem humanam: nam impoſſibile eſt vel ut fallatur divina præſcientia, vel ut mutentur divina decreta. Hinc illa Chriſti oratio ad Patrem; *Pater, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua:* Matth.26. Eventus oſtendit non potuiſſe: Non quia fuit abſolutè impoſſibile, ſed quia Deus ab æterno decreverat, ut beneficium noſtræ redemptionis naſceretur ex paſſione & morte Chriſti; quod decretum abrogari fuit impoſſibile.

Sed etiam quoad nos, rationes multas Theologi afferre ſolent ad demonſtrandum hunc modum redimendi humanum genus per mortem Chriſti fuiſſe convenientiſſimum. Illud autem inprimis fundamenti loco ſubſternunt, Quòd tantò aliquis modus aptior & accommodatior eſt ad conſequendum aliquem finem, quantò per ipſum plura concurrunt fini expedientia. Hoc poſito, facile eſt oſtendere quòd in hoc modo redemptionis per mortem Chriſti, multa concurrunt, quæ valdè expediunt ad promovendam ſalutem noſtram.

Per hanc mortem Chriſti homo clariſſimè videt infinitum Dei amorem erga ſe, & ſic inflammatur ad Deum redamandum, quo nihil ad humanam ſalutem conducibilius. Sic Apoſtolus ad Rom. 5. *Commendavit ſuam charitatem nobis Deus, quoniam cùm inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Iam verò conſpecto hoc Dei amore, ingratus & inhumanus eſt, qui nolit amorem rependere. 1

Per hanc mortem Chriſti valdè excitamur, & ad cautelam, & ad deteſtationem peccati. Mortiferum enim ſit neceſſe eſt, quod aliter ſanari non potuit, quàm morte Chriſti. Quis igitur ſeriò cogitans peccata ſua non fuiſſe aliter expiata, quàm ſanguine ipſius Filii Dei, non perhorreſcet, indies peccando, hunc pretioſiſſimum ſanguinem quaſi *conculcare?* ut loquitur Apoſtolus ad Hebræos 10. 29. 2

Per hanc mortem Chriſti exemplum nobis proponitur juſtitię, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, omnium denique virtutum. Iuvat enim pios pati juſtitiæ causâ, cùm ducem & authorem ſalutis ſuæ Chriſtum Ieſum ipſam mortem ſubiiſſe perpendunt. Vt enim militi honorificum eſt, bibere ex illo calice quem Impe- 3

rator ſuus ante delibavit: ſic Chriſtianis ex calice afflictionum guſtare, quem ipſe Chriſtus nobis propinavit. Erat itaque hic modus convenientiſſimus, quia maximè excitat ad amorem Dei, ad deteſtationem peccati, ad πρᾶξιν pietatis.

Sed jam reſtat ut expediamus cur hanc ignominioſam Crucis mortem perpeti voluit: nam & hoc in loco & alibi paſſim hoc urgetur ab Apoſtolo; ut ad Philip. 2. *Factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Hoc genus non modò facit ad exaggerandum illius ſupplicium; ſed etiam ad confirmandam fidem noſtram.

1 Hoc genus mortis oſtendit Chriſtum ſuſcepiſſe in ſe maledictionem nobis debitam, & nos ab eadem liberaſſe, *Ideò enim Deus mortem Crucis maledictam pronunciaverat, quia decreverat, ut nos liberaret, probroſum hoc mortis genus filio infligere*; Deut. 21. 23. Huc ſpectant Apoſtoli verba ad Galat. 3. 13. *Chriſtus nos redemit ab execratione Legis, pro nobis factus execratio. Scriptum eſt enim, execrabilis quiſquis in ligno pendet.*

2 Quia hoc genus mortis plurimis figuris & typis reſpondebat. Sacrificia enim quę prefigurabant Chriſtum, lignis imponebantur, & antequã comburerentur levabantur in altum. Æneus ſerpens palo ſuſpenſus, ipſo Chriſto interprete, adumbrabat ſuam crucifixionem. *Sicut Moſes extulit ſerpentem in deſerto: ità tolli oportet filium hominis*; Ioan. 3. 14. *Ego ſi exaltatus fuero è terra, omnes ad me trahã*; Ioan. 12. 32.

3 Vt pii indè intelligerent nullum genus mortis, juſtitiæ causâ morientibus turpe eſſe, aut formidandum. Nam multi qui ipſam mortem non valdè pertimeſcunt; mortem tamen cum dedecore & ignominia conjunctam averſantur: ſed Chriſti crux ſuos armat contra hunc metum; quod in Martyribus apparuit, qui tetram quahtumvis mortem non refugerunt.

Hiſce rationibus alias ex Scholaſticis annectere poſſumus, quas tantùm nominabimus, quia partim videntur leviculæ, partim nimis curioſæ.

Quia in fructu ligni vetiti peccavit Adamus, ergò in ligno crucis pœnas voluit ſuſtinere ſecundus hic Adamus.

Quia per hoc quòd in alto moritur, videtur nobis aſcenſum parare in cœlum.

Quia in cruce expanſus, totum mundum ad ſalutem in ſe reconditam vocare videtur.

Quia non modò terram ſanguine ſuo decurrente; ſed aera corpore in aere pendente mundare voluit. Hæc & plura apud Thomam, parte 3. quæſt. 46. artic. 4.

Omnia ſive quæ in terra, ſive quæ in cœlis ſunt.] In hoc opere reconciliationis, illud ultimo in loco conſiderandum, quàm latè pateat hoc beneficium; quò ſe extendat ejus virtus & efficacia.

Complacuit

Complacuit, inquit Apoſtolus, *per eum reconciliare omnia, ſive quæ in terra, ſive quæ in cœlis.*

Locus hic explicatu valde difficilis eſt; torquet igitur Interpretes, & viciſſim ab illis torquetur. Illud inprimis ponendum, loqui Apoſtolum de Efficacia reconciliationis factæ per ſanguinem Chriſti, quatenus conſideratur in ſe, & in proprio ſuo valore hoc λύτρον; quatenus etiam ejus beneficium offertur omnibus ex parte Dei in prædicatione Evangelii: nam de Actuali reconciliatione quoad perſonas particulares intelligi non poteſt; multi enim non reconciliantur Deo per ſanguinem Chriſti, propter defectum applicationis.

Sed adhuc reſtat ſcrupulus ratione bimembris illius diſtributionis à locis ſumptę: dicit Deum voluiſſe *omnia* per Chriſtum ſibi reconciliare; dein hac utitur partitione, *ſive quæ in terra, ſive quæ in cœlis.* Quæritur, quomodò reconciliatio ad cœleſtia pertinet? nam ubi nullum peccatum eſt, ubi nullum diſſidium, non opus eſt reconciliatione.

Chryſoſtomus exponit hunc locum de Angelis, quos dicit hoſtes fuiſſe noſtros ratione lapſus & rebellionis humanæ in Deum Dominum illorum: factos verò eſſe nobis amicos & benevolos poſtquam ſumus per Chriſtum Deo reconciliati. Et hoc ſenſu vult Chriſtum reconciliâſſe quæ in *terra* ſunt, & quæ in *cœlis.* Sed hæc interpretatio non tollit difficultatem: quamvis enim verum ſit, Angelos nobis fieri magis benevolos ex quo ſumus redempti per Chriſtum; tamen non id dicit hoc in loco Apoſtolus, ſed aperte loquitur de reconciliatione terreſtrium & cœleſtium, quæ fit Deo, non quæ ſit inter ſe. *Complacuit ſibi reconciliare &c.*

Alii per *omnia ea quæ in cœlis* intelligunt omnes fideles qui mortui erant ante Chriſti paſſionem; per *ea quæ in terris* fideles reliquos univerſos. Sed non eſt veriſimile, ad ſolos homines ſpectaſſe Apoſtolum; dixiſſet enim εἴτε τὰς ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰς ἐν τοῖς ὑρανοῖς. & πάντας non πάντα.

Videtur igitur Apoſtolus hac diſtributione complecti voluiſſe res diverſas, homines & Angelos: imò totam fabricam machinæ cœleſtis & terreſtris, quæ ſuo modo omnia participant in hoc beneficio redemptionis; juxta illud ejuſdem Apoſtoli ad Epheſ. 1.10. ubi dicit, *Deum propoſuiſſe in plenitudine temporis* ἀνακεφαλαιώσασθαι, *recolligere vel inſtaurare omnia in Chriſto, tum quæ in cœlis ſunt, tum quæ in terra.*

Cùm igitur Apoſtolus dicit Deo complacuiſſe *omnia, tam in cœlo, quàm in terra, reconciliare ſibi per ſanguinem Chriſti*, dicimus hanc reconciliationem propriè ſumptam ſpectare ſolos homines. Nam cùm Reconciliare ſit amicitiam offenſione diremptam reſarcire; nos ſoli ex inimicis reſtituti ſumus in gratiam & favorem

favorem Dei, quem peccando amiſimus. Si pro efficaci reconciliatione, ſolos Electos, qui univerſitatem quandam conſtituunt, ut Ambroſ. de voc. gent. 1. 3. *In Electis ſpecialis quædam cenſetur univerſitas*. Sed, ſi ſumamus Analogicè, poteſt extendi ad ipſos Angelos beatos, & ad totam creaturam.

Ad Angelos; quatenus propter Chriſtum confirmantur in gratia, & ſtabiliuntur in favore divino, ità ut jam planè impoſſibile ſit inimicitias ullas intervenire inter illos & Deum. Angelis igitur idem eſt ſtabilitio in gratiâ divinâ per Chriſtum, quod hominibus reconciliatio per eundem Chriſtum.

Neque dubitare poſſumus Angelos ipſos indigere gratiâ Chriſti Redemptoris, gratiâ inquam Confirmante & elevante, licèt non gratiâ propriè Reconciliante. Nam cùm creaturæ ſint, ſuâ naturâ extra periculum lapſus eſſe non potuerunt. Huc adde, quòd unio illa beatifica & glorioſa, quam habent beati Angeli ad Deum in vita æterna, bonum eſt ſupra meritum cujuſcunque creaturæ; ne ipſi igitur Angeli ingrediuntur in hoc gaudium ineffabile fruitionis divinæ, niſi quatenus in Chriſto, Angelorum & hominum Capite, cenſentur: unde beatos Angelos *Electos* dicit Apoſtolus, 1. Tim. 5. 21. *Obteſtor te coram electis Angelis*. At electio, ſive hominum, ſive Angelorum, extra Chriſtum intelligi non poteſt. Huc etiam mihi ſpectare videtur, quòd boni Angeli dicuntur Filii Dei; Iob. 38. Non quòd ex Deo geniti ſunt (nam Chriſtus eſt Dei unigenitus) ſed quòd adoptati ſunt in filios Dei propter Chriſtum. Ex his igitur manifeſtum eſt, ipſis Angelis ad beatitudinem neceſſariam eſſe gratiam Chriſti Mediatoris, non quâ juſtificentur, aut abſolvantur à peccatis; ſed quâ confirmentur in amore divino, & eleventur ad glorioſam & ſtabilem Dei participationem, quæ ſuperat naturæ creatæ vires, & dignitatem.

Iam ultimo in loco, quod attinet ad fabricam univerſi; certum eſt quemadmodum omnia erant propter hominem creata, ità per peccatum hominis omnia fuiſſe quaſi labefactata, & *vanitati ac miſeriæ ſubjecta*; ſic enim diſertè nos docet Apoſtolus, ad Rom. 8. 19. &c. *Mundus totus expectat revelationem filiorum Dei: nam vanitati ſubjectus eſt ſub ſpe, quòd ipſe vindicabitur ex ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Cui igitur debebit tota hæc mundi machina ſuam reſtaurationem & renovationem? Proculdubiò Chriſto Filio Dei, Creatori, & Reparatori noſtro: qui moriendo ſine peccato, meruit eſſe Reſtaurator omnium quæ per peccatum collapſa ſunt. Non incommodè igitur dici poteſt Chriſtum reconciliâſſe Deo *omnia tam in terra quàm in cælo*: Homines propriè; tollendo illorum peccata, & Dei iram ortam ex peccato: Angelos Analogicè; tollendo poſſibilitatem labendi & incurrendi iram divinam: Vniverſi hanc fabricam Metaphoricè; liberando à ſervitute corruptionis, & reſtituendo nativæ ſuæ

integritati,

integritati, & pulchritudini, cùm plenitudo temporis advenerit; juxta illud 2. Petr. 3. 13. *Cælos novos, & terram novam ſecundum promiſſum expectamus.* Atque hæc de extentione hujus beneficii.

Cùm tanta ſit efficacia ſanguinis Chriſti, ad pacem ſtabiliendam inter Deum & homines, elaborandum nobis eſt, ut participes eſſe poſſimus ſanguinis Chriſti, & pacis hujus quæ ſuperat omnem intellectum: ſolum medium applicandi nobis hunc vivificum & ſalutarem Chriſti ſanguinem, eſt vera fides; *Juſtificati fide, pacem habemus*, ad Rom. 5. Petamus à Deo fidem, ut illâ Chriſti ſanguinem apprehendente, Chriſti ſanguis conſcientiis noſtris pacem afferre poſſit. *Obſerv.*

VERS. XXI. XXII.

Itaque & vos quondam abalienatos & hoſtes mente operibus malis intentâ, nunc ſanè reconciliavit
In corpore carnis ſuæ per mortem, ut ſiſtat vos ſanctos, & irreprehenſos, & inculpatos coram ſe.

DEſcendit Apoſtolus à theſi ad hypotheſin, & quæ generatim de reconciliatione factâ per Chriſtum docuerat, peculiariter accommodat ipſis Coloſſenſibus.

Vbi illud obiter obſervandum, generales doctrinas exigui eſſe admodum momenti ad permovendos hominum animos, niſi fiat ſpecialis illarum applicatio ad auditores. Nam quod Philoſophi dicere ſolent, Omnis actio fit per contactum, id in ſacrâ prædicandi actione, vel maximè locum habet. Doctrina omnis propoſita in genere, verſatur adhuc quaſi in loco remoto, nec poteſt ad ipſam animam pertingere; ſed cùm ſpeciatim accommodatur, quaſi in domum ipſius mentis venit, & illam contingit & penetrat. Sed veniamus ad verba. *Obſerv.*

In hiſce duobus verſibus quatuor ſunt animadvertenda.

1. Miſera Coloſſenſium conditio ſub ſtatu naturæ corruptæ; *Vos quondam abalienatos & hoſtes.*

2. Cauſa hujus miſeriæ, propria ſcilicet malitia; *Mente operibus malis intentâ.*

3. Liberatio ab hac miſeriâ ſub ſtatu gratiæ; *Nunc reconciliavit in corpore carnis.*

4. Finis vel effectum hujus liberationis; *Vt ſiſtat vos ſanctos, & irreprehenſos, &c.*

Itaque & vos quondam abalienatos & hoſtes] Orditur a deſcriptione miſerrimi ſtatus illorum ſub peccato, quo poſſint majori gratitudine beneficium liberationis ſuſcipere. Primò dicit illos fuiſſe *abalienatos*. A quo? A Deo, à Chriſto, ab Eccleſia, 1

ab

ab omni ſpe ſalutis conſequendæ. Hæc enim fuit Gentium conditio dum ſedebant in tenebris naturæ, expertes gratiæ Evangelicæ, ut bene oſtendit Apoſtolus, ad Epheſ. 2. 11. 12. ***Mementote vos quondam gentes fuiſſe abſque Chriſto, alienos à republica Iſraelis, extràneos à pactis promiſſionis, ſpem non habentes, Dei expertes in mundo.*** Hæc eſt miſeria abalienatorum. Tales fuere Coloſſenſes, tales omnes Ethnici ante illuminationem Evangelicam.

Obſerv. 1. Turpiter igitur erravit Clemens Alexandrinus, qui ſcribit ipſos Ethnicos, virtute Philoſophiæ ſuæ, potuiſſe Deo placere & ſalutem adipiſci: Strom. 6. Veriùs Auguſtinus; ***Nemini ſalus concedenda, niſi cui divinitùs revelatus fuerit unus Mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus:*** de Civitat. 18. 47. Cur abſq; hoc nemini ſalus conceditur? Quia ſcilicet manet abalienatus.

Obſerv. 2. Falluntur etiam illi ex Papiſtis, qui multa garriunt de meritis Congrui, qualia volunt reperiri in illis qui ſunt extra ſtatum gratiæ. Sed quicunque eſt à Deo & Chriſto abalienatus, nec de Condigno, nec de Congruo meretur aliquid præter iram Dei & gehennam: Nam ***naturâ ſumus filii iræ.***

Obſerv. 3. Vltimò obſervandum, quòd Apoſtolus dicit de Coloſſenſibus, eos fuiſſe ἀπηλλοτριωμένους, abalienatos: fuerunt igitur & illi & omnes homines Deo conjuncti juxta legem naturæ conditæ; abalienati autem poſtea ſuo vitio. Quod refellit Valentini delirium, de hominibus quibuſdam, quos dicit hylicos, & choicos, quos naturâ malos, à Deo abalienatos, & ſalutis incapaces ſomniavit: ut eſt apud Irenæum, lib. 1. cap. 1. ***Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum; & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus ut non exaudiat:*** Eſa. 59. 2.

Et hoſtes] Progreditur in deſcribenda illorum priſtina miſeria; non erant modò ***abalienati*** à Deo quoad ſtatum externum, ſed erant ***hoſtes*** quoad diſſidium internum. ***Hoſtes*** autem dicuntur tam activâ quàm paſſivâ ſignificatione vocabuli; id eſt, Deum oderunt ut ***hoſtem,*** Deo exoſi fuerunt ut ***hoſtes ejus.*** Multùm hoc facit ad amplificandam Coloſſenſium miſeriam ſub illo ſtatu priore: nam ſi culmen ſit felicitatis, Deo uniri per amorem; tum abyſſus eſt miſeriæ, à Deo disjungi per odium hoſtile.

Quòd homines ſub ſtatu naturæ corruptæ Deum oderunt, & proinde hoc ſenſu ſint ***hoſtes*** illius, patet ex 1. ad Rom. 30. ubi inter cætera hominum Ethnicorum elogia hoc connumeratur ab Apoſtolo, quòd ſint θεοστυγεῖς. Hujus criminis totum mundum coarguit Servator, Ioan. 15. 18. ***Si mundus vos odit, ſcitote quia me priùs odio habuit:*** & paulò poſt ſubnectit; ***Qui me odit, etiam Patrem meum odit.*** 23.

Quæſt. Sed hîc quæritur, cùm Deus ſit ipſa bonitas, & de ratione

boni

boni ſit quòd ab omnibus ametur, & appetatur, quomodò dicuntur homines Dei *hoſtes?* aut quo ſenſu dicuntur Deum odiſſe?

Reſpondetur primò, quòd quemadmodum *idem velle, & nolle, eſt proprium amicorum*, ſic contraria velle, & nolle, inimicorum. Interpretativè igitur (ut loqui ſolent Scholaſtici) habetur pro hoſte, cujus voluntas alterius voluntati in omnibus adverſatur. At ſic ſe habet homo carnalis ad Deum: ad Rom. 8. 7. *Intelligentia carnis inimicitia eſt adverſus Deum. Legi enim Dei non ſubjicitur, nam ne poteſt quidem.* Secundò, etiam directè homines Ethnici & improbi dicuntur odiſſe Deum: non quà Creatorem & Conſervatorem univerſi (id enim fieri non poteſt); ſed quà eum Legiſlatorem, Iudicem, & Vindicem eſſe apprehendunt. *Sol.*

Sed & alio etiam ſenſu dicitur homo ſub ſtatu peccati, *hoſtis* Dei, quatenus ſcilicet Deo inviſus & exoſus eſt. Nam *odio eſt Deo impius, & impietas ejus*; Sap. 14. 9. Dum igitur Coloſſenſes erant ſub ſtatu peccati, erant ſub ſtatu iræ & odii divini. Rectè Auguſtinus in illa verba Servatoris, *Qui non obtemperat Filio, ira Dei manet ſuper eum*, Ioan. 3. 36. *Non veniet ſuper eum, ſed manet; jamdudum enim involvit omnes Adami filios, & illis ſuperincumbit donec removeatur per Chriſtum Mediatorem.*

Nec mirum pro Dei *hoſtibus* haberi homines improbos & impuros, cùm ipſe Deus ſit ſanctiſſimus & puriſſimus. φίλον καλοῦμεν ὁμοῖον ὁμοίῳ κατ' ἀρετὴν, *Id alteri amicum eſt, quod cum eo habet virtutis ſimilitudinem*, inquit Plato de leg. 8. Cùm igitur poſt lapſum tanta interceſſit diſſimilitudo inter Deum & homines, neceſſe eſt illos eſſe *abalienatos* & *hoſtes*.

Cùm in tam miſero & luctuoſo ſtatu verſantur, quotquot nondum ſunt reconciliati Deo per Chriſtum; feſtinanter exeundum eſt ex hoc ſtatu perditionis, & omni ope & prece contendendum, ut transferamur in ſtatum ſalutis. *Coroll.* 1.

Cùm ſolus Deus potens ſit eruere nos ex hac conditione damnabili; quotquot ſe liberatos ſentiunt, & receptos in favorem divinum, illi agant gratias perpetuas & obſequia præſtent perpetua ſuo Liberatori. Hæc de miſeria Coloſſenſium, atque adeò omnium hominum ſub ſtatu peccati. *Coroll.* 2.

Mente operibus malis intentâ] τῇ διανοίᾳ ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς] Id eſt, *Mente inhærente, vel exiſtente in malis operibus.* Mens enim dicitur eſſe in eâ re quam ſemper cogitat, ad quam cupidine fertur & inclinatur; ut famelici animus dicitur *eſſe in patinis*, ſic improbi animus dicitur eſſe in malis operibus. Cum doctiſſimo Beza hunc arbitror horum verborum ſenſum genuinum, quamvis ab aliis Interpretibus in diverſam ſententiam trahuntur. Hîc igitur oſtendit Apoſtolus cauſam inimicitiarum inter Deum & homines nondum vocatos, quales erant olim Coloſſenſes, nimirum corruptionem illam, & labem inhærentem in mente, & 2

ebullientem atque oſtendentem ſe in operibus malis; juxta illud ipſius Dei pronuntiatum de homine lapſo, Gen. 6. 5. *Cuncta cogitatio cordis illius intenta eſt ad malum omni tempore.*

1 Hæc corruptio mentis humanæ cernitur in intellectu, in voluntate, atque etiam in appetitu inferiore & affectibus. Intellectus tenebris ignorantiæ obſcuratur. Vnde illud Apoſtoli dictum de Gentibus, *Tenebris obſcuratum habent intellectum*; ad Epheſ. 4. Hinc cultus Dæmonum pro vera religione invaluit apud omnes ferè gentes: hinc multa nefanda abſque pudore commiſerunt, ut fusè diſſerit Apoſtolus 1. ad Rom. Hanc cæcitatem intellectus, juſtam eſſe odii divini cauſam, patet ex natura divina. *Deus enim lux eſt, & in eo non ſunt tenebræ*; 1. Epiſt. Ioan. 1. 5. Atque ex prima lege Creationis, factus fuit homo ad ſimilitudinem Dei.

2 Iam quod attinet ad voluntatem, veneno malitiæ inficitur: quod ipſos philoſophos non latuit. Plato enim, in Sophiſtâ, diſertè aſſerit cujuſcunque hominis animum duobus morbis laborare; ἀγνοίᾳ, καὶ πονηρίᾳ. Hinc illud Iobi 15. 16. *Abominabilis & inutilis eſt homo, bibit quaſi aquam iniquitatem.* Internam hanc voluntatis malitiam, tot adulteria, furta, homicidia, & cujuſcunq; generis ſcelera ab hominibus perpetrata apertè nimis demonſtrant. Hîc itaque habemus in mente humana aliam cauſam harum inimicitiarum.

3 Reſtat ultima, quæ eſt ἀταξία in affectibus, & rebellio in inferiori appetitu contra rectam rationem. Hinc illud Poetæ, *Video meliora probóque, deteriora ſequor.* Ità raptatur pravis affectibus mens humana, ut licèt videat quid bonum ſit & faciendum, quid malum & fugiendum; tamen non poſſit ſibi imperare quin feratur in contrariam partem. Hanc mentis humanæ depravationem conqueritur, & admiratur Auguſtinus Confeſſ. 8. cap. 9. *Vnde hoc monſtrum animus imperat corpori & paretur, imperat ſibi & reſiſtitur?* Et Apoſtolus ad Rom. 7. 19. *Non facio bonum quod volo, ſed malum quod nolo hoc ago.* Talis tantáque pravitas ineſt *menti*, id eſt, intellectui, voluntati, affectibus cujuſcunque hominis nondum vocati ad Chriſtum Ieſum: quibus nominibus Dei *hoſtis* meritiſſimò cenſetur ab Apoſtolo. Hinc collige,

1 Labem peccati originalis non ſolummodò, nec præcipuè (ut quidam Scholaſtici volunt) reſidere in parte animi inferiori, ſed pervaſiſſe omnes animæ potentias, & arcem ſuam collocâſſe in altiſſima animæ parte, in ipſa ſcilicet *mente*. Non enim in hoc loco tantummodò, ſed & multis in aliis, ipſam *mentem* peccato corruptiſſimam docet Apoſtolus. Vnde ad Rom. 12. 2. dicit, *oportere nos transformari per renovationem mentis noſtræ.* Et de toto homine ſub ſtatu peccati aſſerit, *Homo animalis non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*; 1. Cor. 2. 14. Veriſſimè Pariſienſis, *Mens humana gratiam nondum adepta, nihil aliud eſt niſi cadaver*; de

Sacra-

Sacramento Baptiſmi. Non itaq; putare debemus peccatum oriri ſolummodò, vel præcipuè ex motibus ſenſitivi appetitus.

Inter homines Ethnicos, vel quoſcunque alios nondum ſanctificatos in Chriſto, licèt inveniantur nonnunquam qui ſpeciem obtendunt ſanctitatis, juſtitiæ, caſtitatis, & reliquarum virtutum; tamen *mentem* iſtorum omnium eſſe corruptam, & fœdatam internâ impuritate. Etſi enim manus iſtorum non id faciat, tamen *mens* verſatur & volutatur in operibus malis. Vel ſi *mens* abhorreat ab adulterio, homicidio, ebrietate, & ſimilibus; tamen ſcatet ſuperbiâ, incredulitate, vanitate, & multis aliis ſpiritualibus peccatis, quæ plerunque ſunt majoris culpæ, quamvis carnalia ſint majoris infamiæ. Optimè Tertullianus, *Nihil verum in his qui Deum neſciunt præſidem, & magiſtrum veritatis. Moveant licèt in bonis operibus lacertos, & videantur navem optimè gubernare, in ſaxa tamen feſtinant*; ut ſcitè Auguſtinus Præfat. in Pſalm. 31. 2

Omnes illos eſſe adhuc *hoſtes* Dei, & in ſtatu inimicitiarum, quorum *mens operibus malis intenta eſt*. Piorum mentes ſæpe feruntur ad multa mala, abducente illos concupiſcentiâ; ſed inhærere, & quaſi inhabitare in operibus malis, hoc proprium eſt illorum qui nondum ſunt erepti ex *poteſtate tenebrarum*. 3

Vers. 22. *Nunc ſanè reconciliavit in corpore carnis ſuæ per mortem*] Poſtquam Apoſtolus ob oculos Coloſſenſium propoſuerat priſtinam illorum miſeriam, ex eo quòd erant *hoſtes* Dei; atq; cauſam hujus miſeriæ atque harum inimicitiarum declaraverat, corruptam ſcilicet *mentem* illorum: ſtatim iiſdem Coloſſenſibus contemplandam ſubjicit præſentem felicitatem, ex eo quòd in favorem Dei ſint recepti; atque finem ſeu effectum hujus reconciliationis adjungit, *ſanctitatem* ſcilicet eorum, & vitæ novitatem; *ut ſiſtat vos ſanctos*.

Nunc reconciliavit] Id eſt, poſt Evangelium vobis prædicatum, & fide apprehenſum; poſt mentem veſtram ſanatam, quæ erat tota malis operibus intenta. Atque hîc tria ſunt nobis perpendenda.

Ex hoc loco colligimus duplicem reconciliationem in Scripturis conſiderari. Vnam Generalem in ſacrificio crucis peractam, de qua dixit Apoſtolus verſu ſuperiore, *Complacuit Deo per ſanguinem Crucis reconciliare omnia ſibi*; Et Ioannes cap. 1. 29. *Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi*. Hanc Generalem appello, quia conſideratur ſecundum valorem ſacrificii, qui non modò generalis eſt, ſed infinitus; quia etiam conſideratur ſecundum proponendi modum in prædicatione Evangelica, qui modus etiam indefinitus ac generalis eſt: nam ſacrificium hoc expiatorium omnibus proponitur & offertur à Deo; juxta illud, *Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus*; Tit. 2. 11. Sed præter hanc 1

reconciliationem in cruce peractam, & Generaliter omnibus Applicabilem, Scriptura nobis oſtendit etiam Particularem & Applicatam reconciliationem in corde ſingulorum hominum, & conſcientiis peractam: quando ſcilicet illud ſacrificium Chriſti quod in ſe habet univerſalem potentiam reconciliandi omnes, actu applicatur ad hunc vel illum hominem reconciliandum. De hac loquitur Apoſtolus dicendo, *Nunc reconciliavit vos.* Anteà, *in cruce reconciliavit Deo omnia quæ in cælo & quæ in terra*; id eſt, perſolvit pretium ſufficiens, pro generali liberatione, & reconciliatione omnium; ſed *nunc reconciliavit vos* particulari, & applicatâ hac reconciliatione.

2 Docemur etiam ſecundo in loco, Quando, & Quomodo homines participes fiant hujus reconciliationis quam Particularem dicimus; ſcilicet per fidem Evangelio exhibitam. Nam verſu 4. Deo gratias egit Apoſtolus ob fidem Coloſſenſium. Hæc igitur fides in cauſa eſt, cur dicat Apoſtolus illos olim à Deo abalienatos, *nunc eſſe reconciliatos.* Ad Rom. 3. perſpicuè docetur per fidem fieri hanc applicationem ſacrificii expiatorii, ad reconciliationem ſingulorum credentium. *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt.* 22. Et paulò pòſt ὃν προέθετο ὁ θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. Ex quibus verbis liquet, Chriſtum à Deo propoſitum eſſe mundo Vniverſale placamentum, vel propitiatorium; ſed tum demùm reddit Patrem ſuum propitium huic vel illi, cùm ab illis Specialiter apprehendatur per fidem.

3 Vltimò, Videmus ex hiſce verbis, quomodo Chriſtiani oſtendere poſſunt ſe eſſe ex eorum numero qui ſunt verè & efficaciter Deo reconciliati, nimirum ex mutatione mentis, voluntatis, & operum ſuorum. Ex hoc enim colligit Apoſtolus, illos eſſe Deo reconciliatos, quòd, cùm erant Dei hoſtes, mentem habebant malis operibus intentam: at jam ſe Dei ſervos declarant, dum per omnia Deo placere ſtudebant, & omnis boni operis fructum proferre; ut eſt verſu 10. *Nunc ſanè reconciliavit vos.* Cætera quæ de ipſa reconciliatione dicenda eſſent (quia ſunt à nobis ſuperiùs explicata) omittimus; & progredimur ad verba ſequentia.

In corpore carnis ſuæ per mortem] id eſt, *in corpore ſuo carneo* & verè humano. Cauſam materialem reconciliationis & ſalutis attingit; atque oſtendit hoc ſacrificium corporis Chriſti, fuiſſe verum illud & unicum ſacrificium quod fuit adumbratum in Legalibus illis ſacrificiis, quæ non valebant ad peccatorum expiationem, ut præclarè diſſerit Paulus ad Hebræos 10. 4. *Non poteſt ſanguis taurorum, & hircorum auferre peccata. Quapropter ingrediens mundum dicit; Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem adaptâſti mihi.*

Sed quale Corpus? *Carneum*, id eſt humanum, atque ejuſdem

naturæ

naturæ cum noſtris corporibus. Sed quomodo fuit hoc corpus carneum, noſtræ reconciliationis inſtrumentum? Moriendo; *per mortem*, inquit Apoſtolus. Vide Iren. lib.4. cap.74.

Non opus erit ea repetere, quæ de Chriſti morte fuere à nobis tractata, cùm verſum viceſimum expoſuimus. Ex his verbis Apoſtoli, duo tantùm notabimus contra Hæreticorum quorundam deliramenta.

Chriſti corpus fuiſſe Carneum, id eſt, verè humanum, non cœleſte, aut phantaſticum, ut Marcion & Valentinus olim delirârunt, quos præclarè refellit Tertullianus: *Si Chriſti caro phantaſtica, tum & omnia quæ per carnem geſta ſunt. Putativus habitus, putativus actus; imaginarius operator, imaginariæ operæ.* Quod autem illi pro ſuo errore afferre ſolebant, Corpus carneum eſſe Deo indignum, rectè diluit idem Pater, reſpondendo, *Nullam ſubſtantiam dignam eſſe quam Deus induat; ſed quodcunque induerit, ipſe dignum facit:* quod ſimilitudine Regis uxorem ſibi ſumentis ex ſubditis ſuis poteſt illuſtrari. 1

Ipſum Chriſtum reverà paſſum in hac carne, & mortem ſubiiſſe; quod deliram Baſilidis hæreſin refellit, qui docuit Simonem Cyrenæum in Chriſti ſpeciem transformatum, fuiſſe à Iudæis crucifixum: ipſum verò Chriſtum in Simonis ſimilitudine aſtitiſſe & deriſiſſe Iudæos. Sed hæc Hæreticorum portenta non egent refutatione: nam qui ſic omnia in imagines urgent, planè & ipſi ſunt *imaginarii Chriſtiani*, ut ſcitè Tertullianus contra Valentinianos. Hæc de liberatione; ſequitur de fine & effecto hujus liberationis. 2

Vt ſiſtat vos ſanctos, & irreprehenſos, & inculpatos coram ſe] 4

Finem noſtræ redemptionis & reconciliationis oſtendit, acquiſitionem juſtitiæ & ſanctitatis, quem multis in aliis locis deſignant ſacræ Scripturæ. Luc. 1. 74. *Liberati ſumus de manu inimicorum, ut ſine timore ſerviamus Deo, in ſanctitate & juſtitia, omnibus diebus noſtris.* Et ad Titum 2.14. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.*

Sed videtur hîc Apoſtolus duplicem ſanctitatem reconciliatorum complecti: unam quæ ſita eſt in remiſſione peccatorum, & imputatione juſtitiæ Chriſti: alteram quæ ſita eſt in renovatione noſtrâ, & in operibus ſanctis. Nam utroque modo Chriſtus ſuos omnes ſiſtit ſanctos coram Deo. Imputatione ſunt jam nunc perfectè ſancti, quia conſiderantur ut una perſona myſtica cum Chriſto Capite ſuo: ſed quod attinet ad inhærentem ſanctitatem, non illa uno momento perficitur, ſed creſcit indies, & ἀχμὴν ſuam non aſſequitur, priuſquam transferamur ex hac vita in vitam gloriæ.

Illud tamen aſſerendum eſt, hanc inchoatam ſanctitatem eſſe

veram, licèt non abſolutam, & proinde addit Apoſtolus illa verba, *Coram Deo.* Is enim juſtus & ſanctus dicitur coram Deo, qui talis eſt in veritate, non in ſpecie tantùm; *in rectitudine intentionis*, non *in fictione ſimulationis*, ut non malè Liranus in hæc verba.

Sed de ipſorum verborum diſtinctione quæ hîc accumulantur obliti ſumus aliquid dicere; Cùm igitur dicit, *ut ſiſtat nos ſanctos*; hoc nonnulli referunt ad Deum, hoc ſenſu, Vt nos tales ſiſtat, quos Deus agnoſcat pro ſanctis, & ſibi dedicatis. Tum addit, & *irreprehenſos*; hoc referunt ad propriam conſcientiam, ſcilicet ut tales nos exhibeat, quos conſcientia propria non condemnet; *Nulla condemnatio*, Rom. 8. 1. Cùm denique dicit ἀνεγκλήτους, id referunt ad alios; ſcilicet ut tales ſimus, quos proximi meritò non poſſint criminari. Sed non eſt valde laborandum de diſtinguendis vocabulis, cùm uſitatum ſit ſacræ Scripturæ verba ſynonyma congerere tantummodò amplificationis cauſa: & fortaſſe nihil aliud voluit Apoſtolus tria hæc verba copulando & congerendo, quàm ut notum faceret Chriſtum Mediatorem ſuis omnibus perfectam juſtitiam impertire. Sed jam obſervationes quaſdam colligamus.

Obſerv. 1. Cùm dicit, *ut ſiſtat nos ſanctos*, non ut ſiſteremus nos, manifeſtum eſt ipſos reconciliatos & renatos ſanctitatem ſuam à Chriſto mutuari, ſive de actuali, ſive de inhærente, ſive de imputata loquimur. Nulli enim ſunt conatus noſtri ad bonum, ſi non excitentur; vani, ſi non adjuventur. Vnde illud Pauli, *Gratiâ Dei ſum quod ſum: abundantiùs laboravi illis omnibus; non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Infuſa juſtitia non permanet nec operatur abſque Chriſto. Imputata autem juſtitia non veſtit nos, niſi quatenus cenſemur in Chriſto, ut membra ſub capite.

Obſerv. 2. Cùm dicit Chriſtum nos reconciliâſſe ut *ſanctos ſiſteret*; intelligimus facilè illos non eſſe adhuc Deo reconciliatos qui perſiſtunt in priſtina impuritate: nam quoſcunque Chriſtus ab ira divina liberavit, eos etiam liberavit à ſervitute peccati. Cavendum itaque eſt, ne falsâ ſpe reconciliationis nobis blandiamur, abſque hoc teſtimonio ſanctificationis & novitatis. Hoc fusè probatur 6. ad Rom. 18. *Liberati à peccato mancipati eſtis juſtitiæ.*

Obſerv. 3. Cùm adjungit ut ſiſtat Sanctos *coram Deo*, oſtendit nihil prodeſſe hominibus ſpeciem pietatis & religionis, *ſi impietatis ſecreta ſuperficialibus officiis obumbrent*, ut loquitur Tertullianus. Nam qui laudatur ab hominibus vituperante Deo, non abſolvetur ab hominibus damnante Deo.

Atque hactenus explicavimus beneficium redemptionis ab Apoſtolo deſcriptum tum in genere quoad omnes, tum in ſpecie quoad Coloſſenſes. Reſtat jam ultima hujus Capitis pars, in

qua

qua illos hortatur ad perſeverandum in hac veriſſima doctrina, quæ omnes humanæ ſalutis rationes in ſolo Chriſto collocatas agnoſcit.

Vers. XXIII.

Siquidem permanetis in fide fundati, & firmi, nec dimovemini à ſpe Evangelii quod audiſtis; quod prædicatum eſt omni creaturæ quæ ſub cœlo eſt, cujus factus ſum ego Paulus Miniſter.

Summam doctrinæ Evangelicæ de Perſona Chriſti, de beneficio Redemptionis, & Reconciliationis per Chriſtum, expoſuit ſuprà Apoſtolus, & accommodavit Coloſſenſibus. Dehinc ad finem uſque Capitis hortatur eos ad perſeverantiam in hac veriſſima doctrina, quam Epaphras illis prædicaverat, quam Paulus ſuâ etiam hac approbatione & conſenſione jam confirmaverat. Quia *fides non accepta, ſed cuſtodita vivificat*, ut loquitur Cyprianus epiſt. lib. 1. epiſt. 5.

In hoc verſu tribus argumentis illos excitat ad ſtabilem fidem in hac doctrina Evangelica. Primum ducitur ab utilitate & neceſſitate conſtantiæ & perſeverantiæ in recta fide: abſq; hac enim non percipitur fructus redemptionis per Chriſtum; *Siquidem &c.* Secundum ducitur à multitudine credentium, ſive à communi conſenſu omnium Chriſtianorum; nam hoc idem Evangelium fuit prædicatum & receptum in toto mundo: ſtultum igitur eſt hanc relinquere, & novam ſeductorum doctrinam amplecti. Tertium ſumitur ab ipſius Pauli miniſterio; Paulus hanc doctrinam ubique prædicat, qui eſt Apoſtolus à Deo vocatus, à Spiritu ſancto in myſteriis fidei edoctus; ergò permanendum eſt Coloſſenſibus in hac doctrina, neque auſcultandum novis illis Doctoribus, qui illos à Chriſto abducebant, & alibi ſalutem quærere volebant.

Siquidem permanetis in fide fundati, & firmi, nec dimovemini à ſpe Evangelii quod audiſtis] Hoc eſt primum incitamentum ad perſeverandum in vera fide, ductum, uti dixi, ab utilitate, atque neceſſitate. Ab utilitate hoc modo, *Si permanetis in fide &c.* tum *Chriſtus vos ſiſtet ſanctos, irreprehenſos, & inculpatos coram Deo:* ergò valdè utile eſt permanere. A neceſſitate hoc modo, *Si non permanetis in fide*, tum participes eſſe non poteſtis horum beneficiorum quæ offeruntur in Chriſto: ergò valdè neceſſarium eſt permanere. Nam hic verſus cohæret cum ſuperiore, & conditionem ſubnectit quam nobis imponit Deus, ſi modò velimus frui redemptione & reconciliatione partâ per Chriſtum. Multa ſunt in hac Apoſtoli ratione annotanda.

1 Quòd per fidem conſtituimur ſancti, irreprehenſi, & inculpati coram Deo. Hoc deducitur ex ipſa connexione hujus verſiculi cum ſuperiore. In illo dixerat Apoſtolus Chriſtum *reconciliâſſe Coloſſenſes Deo, ut illos ſiſteret ſanctos.* Hîc conditionem fidei apponit, per quam illi hanc ſanctitatem ſibi applicant, & acquirunt. Non igitur inchoata novitas, non opera quæ facimus, nos juſtos & inculpatos conſtituunt coram Deo; ſed fides Chriſtum apprehendens, & remiſſionem peccatorum quotidianam impetrans. Sic habetur ad Rom. 3. *Juſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt.* Et ad Galat. 2. *Scimus non juſtificari hominem ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti.* Vnde dixit Auguſtinus, *Perfectionem juſtitiæ noſtræ ſitam potiùs eſſe in remiſſione peccatorum, quàm in perfectione virtutum*; De Civit. lib. 19. cap. 26. Et cont. duas ep. Pelag. lib. 3. cap. 5, *Noſtra fides juſtos ab injuſtis, non operum, ſed ipſâ fidei lege diſcernit.*

2 Qualis fides verè Deo reconciliatorum, quæ in conſpectu divino eos ſanctos & inculpatos conſtituit: non fides fluxa, temporaria, & umbratilis; ſed radicata, ſolida, & ſtabilis. Nam Apoſtolus requirit ut ſimus τεθεμελιωμένοι καὶ ἑδραῖοι. Prius vocabulum ab ædificiis ſumptum eſt, quorum fundamenta in firmo ſolo poni ſolent, non in ſabuloſo aut limoſo: alterum à ſellis, in quibus qui conſedêre manent immobiles. Hoc igitur vult Apoſtolus, veram & vivam fidem, quæ Deo reconciliat, & juſtum hominem conſtituit, non eſſe volaticam, ſed quaſi ſuper petram fundatam, & in ſtabili loco altis radicibus defixam. Præclarè Cyprianus; *Nemo æſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus; nec arborem ſolidâ radice fundatam procella ſubvertit. Inanes paleæ tempeſtate jactantur; invalidæ arbores turbinis incurſione everruntur. Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent nobiſcum*; lib. de ſimpl. prælat.

3 Quo fundamento nitatur hæc fides; promiſſionibus ſcilicet Dei gratuitis, quæ offeruntur in Evangelio: hoc oſtendit Apoſtolus dicendo, *Nec dimoveamini à ſpe Evangelii.* Nam ſpes Evangelii, illorum præmiorum denotat expectationem, quæ Evangelium pollicetur credentibus. Eſt enim hæc inter Legem & Evangelium differentia; Lex ſpem facit vitæ æternæ ſub conditione operum & perfectæ obedientiæ. *Qui fecerit hæc, vivet in iis*; Deut. 10. Sed Evangelium ſpem ſalutis in nobis accendit, ex ſola Dei miſericordia ſub conditione fidei. *Qui credit habet vitam æternam.*

Refut. Obruunt itaque, & quantum in ſe eſt, extinguunt gratiam Evangelicam Papiſtæ, qui ſpem ſuæ ſalutis in Lege reperiunt, & meritis propriis ſe poſſe juſtificari confidunt. Nos bonorum operum ſtudium non excludimus, ſed meritum; neque negamus

recon-

reconciliatos bona opera facere debere; ſed defendimus talia non eſſe hæc opera, ut nos ſiſtere poſſint ſanctos & inculpatos coram Deo. Hoc fidei proprium eſt, quatenus apprehendit Chriſtum Mediatorem & Redemptorem. Licèt igitur non habemus ſpem Legalem quæ oritur ex propriis meritis, & perfecta Legis obſervatione; attamen à ſpe Evangelica non dimovemur, quæ fundatur in gratuitis Dei promiſſionibus, & paternâ ejus in Chriſto miſericordiâ.

Vltimò, ex hiſce omnibus colligimus, duò eſſe hominum genera à beneficiis Chriſti excluſiſſima: unum illorum qui ſunt fidei prorſus expertes, de quibus dicitur, *qui non crediderit condemnabitur*: alterum illorum qui fidei ſpeciem & umbram quandam nacti, deficiendo tandem demonſtrant illam fuiſſe vel levem opinionem, vel ſubitam quandam irradiationem; non veram & juſtificantem fidem, in imo corde radicatam, cum ſanctificatione conjunctam & regeneratione. Et de his Tertullianus de præſcrip. adverſ. hæret. *Avolent quantum volent paleæ levis fidei quocunque afflatu tentationum, eò purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur.* Et paulò antè, *Neque prudentes, neque fideles ſunt æſtimandi, quos hæreſes potuerunt demutare. Nemo Chriſtianus, niſi qui ad finem uſq; perſeveraverit.* Cùm igitur tanta ſit utilitas & neceſſitas veræ & ſolidæ fidei; hujus rei conſideratione Apoſtolus excitat Coloſſenſes, & omnes Chriſtianos, ad permanendum in fide, & doctrinâ Evangelicâ. Hæc de prima ratione. 4

Quod audiſtis, quod prædicatum eſt omni creaturæ quæ ſub cœlo eſt] Hæc ſecunda ratio eſt, cur oportet Coloſſenſes permanere in illa Evangelii doctrina, quam ab Epaphra didicerunt; nimirum quia eadem fuit cum illa quam Apoſtoli per totum orbem diſſeminârunt. Etſi enim Evangelii veritas non nitatur authoritate vel approbatione humanâ, vel multitudine credentium; tamen multùm facit ad confirmationem fidei noſtræ conſenſus Eccleſiarum omnium in eadem doctrina recipienda.

Quòd autem hîc dicit Apoſtolus Evangelium prædicatum fuiſſe *omni creaturæ*, variis modis accipitur ab Interpretibus; in hoc tamen conveniunt, ſub nomine *creaturæ* intelligi tantùm creaturam rationalem, ſcilicet homines; quia ſoli capaces erant, & indigentes doctrinæ Evangelicæ. Sic enim ipſe Servator loquitur Marci 16. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Nomen igitur hoc commune humano generi appropriatur per Antonomaſian, quoniam homo eſt omnium creaturarum Princeps. Gregor. Moral. 6. cap. 7. hujus rei rationem attuliſſe mihi videtur ſubtilem magis quàm ſolidam. *Per omnem creaturam* (inquit) *ſolus homo intelligitur, quia habet commune Eſſe cum lapidibus, Vivere cum arboribus, Sentire cum animalibus,*

bus, Diſcernere cum Angelis; rectè igitur nomine univerſitatis exprimitur, in quo juxta aliquid ipſa univerſitas tenetur.

Dub. Sed hoc poſito, quòd per omnem creaturam intelligere oportet omnes homines, adhuc dubitatur quomodo Evangelium dicitur prædicatum omnibus hominibus, cùm veriſimile ſit multos extitiſſe Apoſtolorum tempore nondum participes factos Evangelii.

Sol. Alii igitur reſpondent, eſſe Hyperbolicam quandam Synecdochen in his verbis, nec aliud voluiſſe Apoſtolum, quàm Evangelii doctrinam fuiſſe longè latéque diſſeminatam. Alii putant præteritum poni pro futuro, quod uſitatum fuit in prædictionibus Propheticis ad denotandam rerum futurarum certitudinem. Quia igitur Evangelium fuit tunc temporis multis nationibus prædicatum, & ſuo tempore omnibus prædicandum, dicitur in præſenti omni creaturæ prædicatum.

Sed mihi videntur optimè hunc locum exponere, qui dicunt, *omnem creaturam*, vel totum mundum opponi unicæ Iudæorum genti: ut ſenſus ſit, Evangelium non ſolis Iudæis fuiſſe propoſitum, ut olim Lex Moſaica; ſed cæteris etiam gentibus ſine ullo diſcrimine. Nihil igitur aliud ſignificatur hoc dicendi genere, quàm quod explicat Paulus ad Galat. 3. 28. In Evangelio non eſſe Iudæum, neq; Græcum, non ſervum, neq; liberum, non maſculum, aut fœminam; ſed Chriſtum omnibus ex æquo offerri in prædicatione Evangelica. Hoc igitur Evangelium, in cujus fide vult Coloſſenſes permanere, idem eſt quod cæteris omnibus gentibus fuit prædicatum. Sed de hac univerſali dilatatione Evangelii, dictum à nobis eſt, cùm verſum ſextum expoſuimus: pluribus igitur opus non eſt; obſervationes tantummodò pauculas hinc eliciemus.

Obſerv. 1. Contra Pontificios hinc colligimus, ad ſalutem ſufficere, ſi fidem adjungamus illi Evangelio quod fuit omnibus palam prædicatum; etſi ignoremus, ac reſpuamus illas doctrinas quas ſub Traditionum nomine fidelibus obtrudunt. Manifeſtè enim docet Paulus Coloſſenſes fore ſanctos & inculpatos ſi permanſerint in fide & ſpe Evangelii omni creaturæ prædicati. Fruſtrà igitur clamitant Pontificii eſſe Traditiones quaſdam non ſcriptas, ſed perfectis quibuſdam hominibus privatim commiſſas, quibus tamen omnium Chriſtianorum fidem ſub pœna Anathematis aſtrictam eſſe volunt. Hujus farinæ ſunt dogmata illa de Purgatorio, de Indulgentiis, de Cultu Imaginum, de Papæ Monarchia, quibus ſi quis fidem non adhibet, tam extra ſtatum ſalutis ab illis ponitur, quàm ſi ipſos fidei Articulos perneget. At nos cum Tertulliano dicimus, 3. lib. Præſcrip. *Incredibile eſt Apoſtolos vel ignorâſſe plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidiſſe.* Imo ipſe Paulus deprecatur hanc perfidi-

am,

am, quam omnibus Apoſtolis imponunt Papiſtæ. Actor. 20. 20. &c. *Teſtor vobis me purum eſſe à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi quò minùs annuntiarem vobis omne Dei conſilium.*

Hinc etiam colligimus, Verbum Dei non eſſe Laicis ſubtrahendum, ſed omnes homines eſſe invitandos, ad ejus lectionem, auditionem, & meditationem. Nam ſi Apoſtoli omnibus omnia ad ſalutem neceſſaria promulgârunt, ſi eadem ſcripto commiſerunt, ut ex illorum cognitione *perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus*; 2. Timoth. cap. 3. ver. 17. cur jam populo Chriſtiano denegetur illud Evangelium, quod fuit ab initio omni creaturæ prædicatum? Quicquid illi obtendunt contra lectionem Evangelicæ doctrinæ, idem dici potuit contra prædicationem: nam multi non intellexerunt prædicationes Apoſtolicas, multi malè intellectis ad errores ſtabiliendos abutebantur. Hiſce non obſtantibus, Apoſtoli omnes invitârunt ad auditionem; ergò & nos etiam omnes vocare debemus ad lectionem. At contrà, Pontificii metuunt ne ſui corrumpantur lectione Scripturarum, qui nihil metuunt ne corrumpantur lectione ineptarum & mendacium fabularum. Aliter & ſenſerunt, & locuti ſunt de Scripturis Patres Orthodoxi. Paſſim Chryſoſtomus Laicos hortatur, ut Scripturas legant μετὰ πολλῆς ἀκριβείας· Hom. 9. in Epiſt. ad Coloſſ. Similia habet in Hom. 3. de Lazaro, & alibi. Auguſtinus de utilit. credendi ad Honor. cap. 6. *Doctrina Scripturæ ità modificata eſt, ut nemo non indè haurire poſſit, quod ſibi ſatis eſt, ſi modò ad hauriendum devotè, & piè accedat.* Hiſce non pigebit pulcherrimum Damaſceni teſtimonium adjungere, ex libr. de Fide Orthod. 4. cap. 18. Κάλλιστον καὶ ψυχωφελέστατον, &c. *Optimum & animæ utiliſſimum eſt divinas ſcrutari Scripturas: Nam quemadmodum arbor plantata ſecus decurſus aquarum, ſic anima divinis Scripturis irrigata impinguatur, & maturum fructum affert, fidem ſcilicet Orthodoxam; & ſemper virentibus foliis decoratur, id eſt, Deo placentibus actionibus.* Sed quorſum hæc? Vt intelligatis doctrinam illam ſalutiferam, quam Deus voluit toti mundo prædicari, injuſtiſſimè ab oculis Chriſtiani populi removeri. *Obſerv. 2.*

Vltimò, cùm jubet Apoſtolus permanere in Evangelio quod fuit toti mundo prædicatum ab Apoſtolis, tradit nobis regulam Fidei Orthodoxæ & Catholicæ, prædicationes ſcilicet Apoſtolicas, quas jam habemus ſcripto conſignatas. Si hiſce doctrinam Eccleſiæ noſtræ conſentaneam demonſtremus, Catholici ſumus etiamſi non modò à Romana Eccleſia, ſed ab aliis plurimis Eccleſiis diſſentiamus. Debemus enim permanere ſtabiles & fundati in fide illa quæ fuit primitùs omni creaturæ prædicata, non in novitiis dogmatibus quæ poſteà in Eccleſias irrepſerunt. Rectè & ſapienter Gerſon par. 3. in lib. de Vit. ſpirit. *Alterius* *Obſerv. 3.*

autho-

authoritatis ſunt dicta Apoſtolorum, quàm ſucceſſorum ſuorum. Major etiam fuit Primitivæ Eccleſiæ authoritas, quàm hodiernæ. Non eſt igitur in poteſtate Papæ, aut Concilii immutare traditiones datas ab Apoſtolis, neq; habent parem authoritatem quoad hoc, quod eſt facere aliquid eſſe purè de fide. Hæc Gerſon. Sed ipſe Paulus multò acriùs: *Si nos, aut Angelus è cœlo evangelizet vobis præter id quod vobis evangelizavimus, anathema eſto:* ad Gal. 1. 8. Cùm igitur noſtra Eccleſia doctrinam Apoſtolicam toti mundo olim prædicatam agnoſcit & recipit, nihil moramur latratus Romanenſium, qui nos Hæreticos, & Schiſmaticos appellant, quia non permanemus ſtabiles in Papiſticis quibuſdam erroribus. Hæc de ſecunda ratione, cur permanendum in Evangelii doctrina.

Cujus factus ſum ego Paulus miniſter.] Hæc eſt ultima ratio ad permanendum in doctrina recepta. Nam hiſce in verbis oſtendit Evangelium ab Epaphra prædicatum Coloſſenſibus, idem eſſe cum eo, quod ab ipſo Paulo paſſim fuit diſſeminatum. Iam verò Paulus, licèt de facie ignotus fuit Coloſſenſibus, erat tamen apud omnes Eccleſias celeberrimus. Innotuit enim illis admirabilis illius converſio, & vocatio ad Apoſtolatum. Si igitur *unicuique in ſua arte credendum*, tum Paulo ad prædicationem Evangelii ſeparato potiùs credendum de veritate Evangelica quàm Pſeudoapoſtolis: at hic Paulus approbat doctrinam Epaphræ; ergò in illa permanendum eſt Coloſſenſibus. Tria hîc notanda.

1 Non oportere Chriſtianos aures adhibere illis qui prædicandi munus ſuſcipiunt, cùm legitimam vocationem non habent. Videtur enim hoc in loco Apoſtolus, ſuum legitimum Miniſterium opponere illis ſeductoribus, qui irrepſerant in Coloſſenſium Eccleſiam, propria temeritate, non divinâ ordinatione freti. Non itaque mirum ſi falſa doceant qui legitimam docendi poteſtatem non habent. Hi volebant Coloſſenſes abducere ab Evangelio, ſed permanendum fuit in eo nihilominùs.

2 Neminem poſſe publicum officium Miniſterii exercere, niſi dicere cum Paulo poſſit, Se *factum eſſe Miniſtrum Evangelii*. Vocatio itaque expectanda, vel ab authoritate Dei revelantis, vel Superioris mittentis, vel inevitabilis neceſſitatis; ut rectè Gerſon part. 3. Qui ſecùs faciunt, meritò in illos torquetur illud Ieremiæ 23. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.*

3 Vltimò, ipſos legitimos Paſtores, eſſe tantùm Miniſtros Evangelii, non Dominos; juxta illud Pauli 2. Cor. 1. 24. *Non dominamur fidei veſtræ, ſed adminiſtri ſumus gaudii veſtri.* Veri Apoſtoli, miniſterio contenti, authoritatem omnem in rebus fidei Deo reliquerunt. At larvatus ille, & voluntarius Apoſtolus, ſibi ſumit authoritatem condendi novas fidei doctrinas, & ſub Anathema-

te

te populo Christiano imponendi. Imò quicquid illi in Cathedra collocato somniare contigit, pro oraculo habendum est orbi Christiano. Sed Ministro nemo tenetur credere nisi quatenus fidem facit, se ex Domini sententia loqui. Sic Thomas quæst. disp. de fide art. 10. *Successoribus Apostolorum non credimus, nisi in quantum nobis annunciant quæ illi in Scriptis reliquerunt.* Hæc est omnium conditio qui facti sunt Evangelii Ministri; illis fides non astringitur, nisi quatenus in illis loquentis Dei testimonium consideratur. Dei ipsius vocem pronâ fide percipimus; Ministrorum verò doctrinam probamus judicio, utrùm cum divina conveniat, antequam ei acquiescamus fide: atque in hunc finem singulis fidelibus suus gustus est judicii à Spiritu sancto; ut hominibus singulis suus à natura & ratione in rebus humanis. Atque hæc de tribus illis argumentis quibus ad constantiam excitantur. Colossenses.

Vers. XXIIII. XXV.

Qui nunc gaudeo de iis quæ patior pro vobis, & reliquias afflictionum Christi adimpleo in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia.

Cujus factus sum Minister ex dispensatione Dei, quæ data est mihi erga vos ad implendum Dei sermonem.

Superiore versu dixerat Apostolus se factum à Deo Evangelii Ministrum; jam excurrit in mentionem illarum afflictionum, quas ratione Evangelii, & Ministerii hujus sustinuit; & sic tacitæ objectioni videtur occurrere. Dicere enim potuerunt Colossenses, Quid nos hortaris ad perseverandum in doctrina Evangelicâ? Qui hanc profitentur, innumeris calamitatibus quotidiè premuntur. Tu ipse jam in vinculis vitam agis ob professionem, & prædicationem Evangelii. Occurrit igitur Apostolus, & arguit, ideò illis esse perseverandum in Evangelio, quia ipse patitur persecutionem hoc nomine; nisi enim vera esset & salutaris hæc doctrina, nunquam tot incommoda pro illius promulgatione subiret.

Sunt itaque hîc duo animadvertenda. Vt se gerat Apostolus in afflictionibus; læto nimirum & hilari animo; *Gaudeo de iis quæ patior pro vobis.* Quæ causæ gaudii hujus, & patientiæ tantæ in Apostolo. Tres autem recenset.

Gaudet Apostolus in hisce suis afflictionibus. Primò, propter conformitatem cum Christo; *Reliquias passionum Christi adimpleo.*

2 Propter fructum indè ad Ecclesiam redundantem; *pro corpore ejus quod est Ecclesia.*

3 Propter rationem officii ſibi à Deo impoſiti, cui inſerviunt hæ afflictiones; *Cujus factus ſum Miniſter, &c.*

Qui nunc gaudeo de iis quæ patior pro vobis] Hîc oſtendit quomodò ſe gerit in afflictionibus; non ſolùm animo forti, ſed læto & alacri: vult igitur hoc ſuo exemplo & animare Coloſſenſes ad perſiſtendum in Evangelio, & etiam corroborare ad quidvis patiendum pro Evangelio. Hanc ſuam fortitudinem & promptitudinem ad quidvis ſubeundũ pro Eccleſiæ utilitate, paſſim profitetur. Acto.21.13. 2.Tim.2.10. Et 2.Cor.12.15. *Libentiſſimè ſuperimpendar pro animabus veſtris.* Cùm Paulus ſit ità animatus, hinc primò illud oritur,

Obſerv. 1. Quòd Evangelii Miniſtri ad crucem tolerandam debent eſſe paratiſſimi: *Non eſt ſervus major Domino, ſi me perſecuti ſunt & vos perſequentur*; Ioan.15.20. Miniſtri ſunt quaſi Duces in militiâ hac Chriſtiana; at Diabolus plùs Duces quàm milites infeſtat. Recte Cyprianus, de Singul.Cleric. *Plùs principes quàm milites ab hoſtibus appetuntur in pugnâ; & violentiùs pulſantur ventis & turbinibus culmina, quæcunque ſunt altiora.* Si igitur omnibus Chriſtianis, quantumvis humili loco conſtitutis, opus ſit patientiâ, tum multò magis Miniſtris Evangelii, qui expoſiti ſunt omnibus omnium injuriis & contumeliis. Hoc præmonuit ipſe Chriſtus; *Eritis exoſi omnibus propter nomen meum. Per patientiam autem veſtram poſſidete animas veſtras.*

Obſerv. 2. Non ſatis eſt crucem tolerare, ſed hoc facere oportet abſque omni detrectatione, & internâ remurmuratione; imò, gaudendum, & gloriæ ducendum eſt, cùm indigna patimur nomine Evangelii, & Miniſterii noſtri. Sic de Apoſtolis dicitur; *Ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*; Act. 5.41. *Malus miles eſt qui imperatorem ſuum gemens ſequitur. Si quid boni triſtis feceris, fit de te, magis quàm facis.* Pauli itaque exemplum nobis ob oculos ponendum, qui gaudet de iis quæ patitur. Vt ſe geſſerit Apoſtolus in ſuis afflictionibus videmus; jam cauſas tantæ patientiæ ac gaudii inquiramus. Prima ducitur à conformitate quam habemus cum Chriſto per paſſiones & afflictiones, in hiſce verbis quæ immediatè ſequuntur.

Proſper.

Et reliquias afflictionum Chriſti adimpleo in carne mea] Copula hoc in loco vice Cauſalis fungitur. Reddit enim rationem Apoſtolus cur lætari debeat in paſſionibus ſuis, nimirum, quia hoc modo reliquias afflictionum Chriſti adimplet in carne ſua. Sunt autem hîc duo explicanda.

1 Cur ſuas paſſiones ipſi Chriſto tribuat Apoſtolus.

2 Cur dicit ſe adimplere ὑστερήματα, i. *reliquias*, vel, ut eſt in vulgata verſione, *ea quæ deſunt paſſionibus Chriſti.* Hæc enim verba primo aſpectu videntur facere Chriſti Paſſionem imperfectam.

Quod

Quod ad primum; Paſſiones Pauli, & ſic reliquorum fidelium dicuntur paſſiones ipſius Chriſti duas ob cauſas.

Propter myſticam unionem Capitis & membrorum, quo reſpectu ſub nomine Chriſti, non modò Caput, ſed totum corpus Eccleſiæ comprehenditur. Locum apertiſſimum habemus, 1. ad Cor.12.12. *Sicut corpus unum eſt, & membra habet multa, ità Chriſtus.* Vbi vocabulum hoc *Chriſtus*, & ipſum Caput & Eccleſiam huic Capiti conjunctam denotat. Iā verò uſitatum eſt, ut unuſquiſque ſibi tribuat eas paſſiones, quæ inferuntur cuilibet parti corporis ſui: ſic manus vel pedis vulnera, rectè dicuntur vulnera ipſius hominis; & ipſe ſolet exclamare ſe vulneratum in manu vel pede. Sic igitur Apoſtolus, quia ipſe eſt membrum corporis Chriſti, ſuas afflictiones appellat θλίψεις τοῦ χριστοῦ. Hæc eſt prima ratio. Quia Chriſtus & omnia ejus membra conſtituunt unam perſonam myſticam. 1

Propter ſympatheiam Chriſti, quam habet in afflictionibus ſuorum membrorum, quæ oritur ex ſupradicta illa unione: nam quemadmodum damna & vulnera illorum qui ſunt nobis conjunctiſſimi, noſtra appellamus, quia æquè illorum miſeriis movemur, ac propriis; ſic Chriſtus paſſiones ſuorum fratrum ſuas reputat, quia non minùs afficitur illis quàm cùm ipſe patiebatur. Apud Virgilium, Mezentius ſe vulneratum clamat, filio ſuo ab Ænea vulneribus confoſſo. 2

---heu nunc miſero mihi demum
Exilium infelix, nunc altè vulnus adactum. Æneid.10.

Sic ipſe Chriſtus è cœlo clamat, Act.9.4. *Saul, Saul, quid perſequeris me?* Ratione itaque unionis, & compaſſionis, piorum afflictiones dicuntur afflictiones Chriſti. Iam porro quæramus cur Apoſtolus non modò aſcribat Chriſto ſuas paſſiones, ſed inſuper dicat, ſe *reliquias afflictionum Chriſti adimplere in carne ſuâ.*

Atque inprimis cavendum eſt ne hinc colligamus Chriſti paſſionem fuiſſe imperfectam, aut aliquid illi defuiſſe ad plenam liberationem humani generis, & ſatisfactionem pro peccatis. Nam contrà clamat tota Scriptura, *Vulneratus eſt propter peccata noſtra, & livore ejus ſanati ſumus*; Eſa.53. *Vnicâ oblatione conſummavit in perpetuum eos qui ſanctificantur*; ad Heb.10. Nihil itaque deeſt paſſioni Chriſti quod attinet ad ſatisfactionem.

Vt igitur hoc rectè intelligamus, cognoſcendum eſt, Deum æterno ſuo conſilio decreviſſe non modò quas paſſiones ipſe Chriſtus in carne ſua ſubiret pro redemptione Eccleſiæ; ſed etiam quas ſingula Eccleſiæ membra in ſua carne ſunt ſubituri pro nomine Chriſti: utræq; autem, tam Capitis quàm membrorum (ut oſtenſum eſt) dicuntur *Chriſti paſſiones*, & efficiunt quaſi unum corpus paſſionum; hoc diſcrimine, quòd ipſe pro redemptione

Eccleſiæ paſſus eſt; quæ paſſiones ὑστερήματα dici poſſunt: nos aliis reſpectibus patimur, ac noſtræ dici poſſunt ὑστερήματα· guſtamus enim nos leviter de illo afflictionum calice, quem Chriſtus prior nobis propinavit. Sed ille paſsiones ſubibat propter expiationem peccatorum; nos alias ob cauſas.

Adimplere igitur ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ dici poteſt quivis Chriſtianus, cùm tollit crucem Chriſti, & æquo animo illas afflictiones patitur, quas Dei providentia illi ad exemplar Chriſti ſuſtinendas aſsignavit, licèt alium in finem. Non malè Lyranus in hunc locum. *Paſſiones Chriſti dupliciter accipiuntur: uno modo pro illis quas ſuſtinuit in corpore proprio, & ſic nihil ibi reſtat adimplendum: alio modo pro illis quas in finem uſque ſeculi patietur in corpore myſtico, & ſic reſtant multarum paſſionum reliquiæ adimplendæ.*

Quod dictum eſt de paſsionibus Pauli, atque adeò omnium fidelium, quòd ſcilicet reputantur pro paſsionibus ipſius Chriſti, facit,

Coroll. 1. 1. Ad terrorem impiis incutiendum. Putant ſe, dum Eccleſiam affligunt, tantummodò miſellos quoſdam & deſpicabiles homunciones affligere: at longè aliter ſe res habet; nam ipſum Chriſtum (qui eſt Caput omnium fidelium) in ſuis membris convulnerant. Manet igitur eos certiſsima & acerbiſsima vindicta, qui ipſum Dominum gloriæ laceſſunt, cui omnis poteſtas data eſt in cœlo, & in terra.

Coroll. 2. 2. Ad honorem & dignitatem piorum. Honoris enim & dignitatis eſt recipi in ſocietatem afflictionum Chriſti. Vnde illud, Actor. 5. *Gaudebant, quia digni habiti ſunt contumeliam pati pro Chriſto.* Et 1. ad Philip. *Vobis donatum eſt, non ſolùm ut credatis in eum; ſed ut inſuper pro illo patiamini.* Nazianzenus ſcribit, Æquum eſſe ut afflictos honoremus, potiùs quàm contemnamus. Et quidni honorificum putemus eſſe illis, qui ad communionem Chriſti paſsionum, quaſi ad communionem calicis Regii, præ cæteris eliguntur: & hujus calicis ab ipſo Chriſto propinati reliquias exhauriunt?

Coroll. 3. 3. Ad maximum ſolatium: quia ſpem illorum confirmat de obtinenda futura beatitudine. *Fidus eſt hic ſermo, Si cum Chriſto mortui ſumus, cum eo vivemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus;* 2. Tim. 2. 12. Vnde Gregorius; *Quò malis præſentibus duriùs deprimor, eò de futuris gaudiis certiùs præſumo. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum;* Matth. 5. 10. Atque hæc de prima ratione cur Paulus gaudet in paſsionibus ſuis, ſcilicet propter conformitatem cum Chriſto.

Pro corpore ejus quod eſt Eccleſia.] Hæc eſt ſecunda ratio, cur in ſuis paſsionibus lætetur Apoſtolus; quia ſcilicet indè redun-

det

det magna utilitas ad Ecclesiam. Sic enim loquitur ad Philip. 1. 12. *Scire vos volo fratres quòd quæ mihi acciderunt, magis ad profectum Evangelii evenerunt.* Et 2. ad Tim. 2. 10. *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur quæ est in Christo Iesu.* Sed quo sensu patitur Paulus pro Ecclesiâ, vel pro Electis?

Dicitur pro illis pati, non redimendis, non expiandis, sed ædificandis, & confirmandis in doctrina Evangelica. Carcerem enim & vincula patiebatur, non propter delictum aliquod admissum; sed propter Evangelium prædicatum: unde dicit, *Se in vero laborâsse usque ad vincula*, 2. Tim. 2. Neque putabat Paulus suis passionibus aliorum pœnas posse redimi; sed suo exemplo alios ad similem constantiam posse confirmari. Vnde in loco suprà allegato dixit, *Se sustinere omnia propter electos:* non ut ipsi merito suarum passionum satisfactionem pro peccatis suis expectaret; sed *ut salutem consequantur quæ est in Christo.* In hoc etiam loco statim post mentionem passionum suarum pro Ecclesia, subjungit, *Cujus factus sum Minister*, non cujus factus sum Mediator vel Redemptor: ut intelligamus illum non loqui de passionibus satisfactoriis, sed ædificatoriis. Huc enim spectabant illius passiones, ut ædificaret Ecclesiam tum prædicando, tum patiendo.

Sed quoniam Pontificii hoc loco abutuntur, ad stabiliendas Indulgentias, non abs re erit hanc controversiam breviter perstringere.

Cajetanus in tractatu de Indulgent. quæst. 3. ut probet passiones Sanctorum satisfacere posse pro pœna temporali debitâ peccatis aliorum hominum si illis applicentur per Indulgentiam Papalem, hunc locum adducit, & hæc verba habet. *Quòd fuerit Sanctorum intentio pati pro nobis testatur Apostolus dicendo, Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi pro corpore ejus quod est Ecclesia. Vbi manifestè patet divinam providentiam dispposuisse, ut aliquæ Sanctorum passiones spectarent ad complementum passionum Christi pro corpore ejus; & hanc ordinationem Sanctos adimplere suis passionibus superabundantibus.*

Catharinus ex hoc loco occasionem arripit fusè disserendi de Indulgentiis.

Rhemenses etiam in suis annotationibus, ex his verbis colligunt, Sanctorum passiones esse pro aliis satisfactorias, & communicari posse indigentibus, propter communionem illam quæ intercedit inter omnia ejusdem mystici corporis membra: atque in hac communicatione, statam dicunt dispensationem Indulgentiarum. Proponemus itaque breviter, Quid illi, Quid nos hac de re statuimus: dein astruemus nostram, refellemus illorum sententiam. Vt itaque tandem pervenire possint ad nundinationem Indulgentiarum, viam sibi præparant Pontificii quatuor præviis erroribus.

Primò, fingunt Deum verè pœnitentibus culpam quidem om-

nem remittere, sed pœnam commutare tantùm ex æterna in temporalem; ità ut à nobis sit expianda, & redimenda operibus quibusdam satisfactoriis, aut luenda in purgatorio.

Secundò, ponunt nonnullos, utpotè Beatam virginem, Ioannem Baptistam, multósque Martyres graviores pœnas perpessos, quàm pro merito peccatorum suorum debuissent; plura fecisse bona, quàm quæ ipsis ad salutem obtinendam erant necessaria.

Tertiò, dicunt has superfluas illorum passiones (admistis superabundantibus etiam Christi passionibus) recondi in communem thesaurum Ecclesiæ.

Vltimò, statuunt hunc thesaurum committi à Deo Pontifici Romano dispensandum; ità ut ille possit superfluas has Sanctorum passiones cuivis contrito applicare, quarum beneficio relaxetur à pœna temporali sibi debitâ, vel ab injunctione Ecclesiæ, vel ab ordinatione divinæ justitiæ. Hisce erroribus nititur illa largitio Indulgentiarum per Bullas Pontificias.

1 Nos è contrà dicimus; Primò, omnibus fidelibus & verè pœnitentibus, tam pœnam satisfactoriam, quàm culpam omnem remitti propter passionem & satisfactionem Christi.

2 Negamus Sanctos ullos, aut merita superabundantia habuisse, aut pœnas sustinuisse peccatis suis graviores.

3 Si demus illos fuisse vexatos, & afflictos supra demeritum peccatorum suorum; negamus tamen hinc ullum thesaurum posse oriri, ex quo aliquid sumatur pro relaxatione pœnarum aliis ex divina justitia debitarum.

4 Vltimò, Si sit thesaurus meritorum & passionum in Ecclesiâ (quod de Christi meritis & passionibus fatemur) tamen negamus Papam esse hujus thesauri custodem, aut posse hominibus, Christi vel Sanctorum passiones per Bullas suas assignare. Iam argumenta nostra proponemus.

Argum. 1 Christus Mediator & culpam & pœnam nobis debitam in se suscepit, ac suâ passione nos ab utraque liberavit; ergò nihil opus aut nostris satisfactionibus, aut Sanctorum nobis applicatis per Bullas Pontificias. Antecedens probatur facilè ex clarissimis Scripturæ locis. *Sanguis meus pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; Mat. 26. At *culpam remitti nihil est aliud quàm ipsam non imputari ad pœnam*, ut rectè Durand. lib. 4. *Nulla condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu*; Rom. 8. At condemnatio propriè respicit pœnam, ex sententia Iudicis pro culpa impositam. Quando igitur pœna satisfactoria subeunda est, præcessit proculdubiò condemnatio. *Iniquitatum tuarum non recordabor amplius*; Ier. 31. 34. At qui post dimissam culpam pœnas exigit, manifestè ostendit se ipsam culpam non oblivioni tradidisse. Imò, cùm culpa & pœna se habent ut mensura & mensuratum; quantum pœnæ satisfacto-

tisfactoriæ requiritur, tantum culpæ commiſſæ imputatur: falſa eſt igitur prima propoſitio, quæ fingit Chriſtum remiſſionem dimidiatam nobis obtinuiſſe. *Verè Chriſtus communicando nobiſcum ſine culpa pœnam, & culpam ſolvit & pœnam.* Auguſt.

Nulli Sancti, aut merita ſuperabundantia habuerunt, aut paſſiones peccatis ſuis graviores ſuſtinuerunt; ergò frivolum eſt ab iis expectare mutuatitiam ſatisfactionem pro pœnis, quæ nobis debentur ex juſtitia Dei. *Argum.* 2.

Non habuerunt merita ſuperabundantia, quia nemo eorum Divinæ legi perfectè ſatisfecit. *Si intraveris in judicium cum ſervo tuo, non juſtificabitur in conſpectu omnis vivens*; Pſal. 143. *Si iniquitates obſervaveris Domine, quis ſubſiſtet?* Pſal. 130. Præclarè & piè Bernard. in Pſal. 91. ver. 14. *Hoc totum hominis meritum ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſalvum facit*; Tom. 1. Huc adde, nulla merita puri hominis eſſe æqualia mercedi æternæ beatitudinis; ſtultiſſimè igitur in illis quærunt ſuperabundantiam, in quibus impoſſibile eſt ut reperiant æquivalentiam.

Sed neque quiſpiam piorum pœnas ſuſtinuit peccatis ſuis graviores: Deus enim ſemper punit citra condignum, ut Schola loquitur. Quia etiam vel unico & minimo peccato mortali, ex ſententia ipſorum Pontificiorum, debetur pœna infinita. Corruit igitur ſecunda theſis Pontificiorum, quæ aſcribit Sanctis paſſiones pœnales ſupra propriorum peccatorum demeritum.

Sanctorum merita & paſſiones, non poſſunt aliis ità communicari, ut imputatione, ſive applicatione illorum liberentur à pœnis peccatorum; fruſtrà igitur theſaurum ex hiſce conantur colligere Pontificii. Hoc autem probamus, *Argum.* 3.

Quia ex communi ſententia Theologorum, meritum non excedit perſonam quæ meretur, ſolo Chriſto excepto. Sed reſpondere ſolent Pontificii, opera Sanctorum quà meritoria, non excedere perſonam, nec poſſe aliis aſcribi: ſed quà ſatisfactoria, poſſe aliis imputari & communicari. 1

Sed facilè hanc diſtinctionem elidemus. Nam quæ ſunt cumulatiſſimè remunerata in ipſis Sanctis, non reſtant remuneranda, aut quovis modo imputanda aliis in illorum relaxationem; ſed & paſſiones, & actiones omnes piæ Sanctorum, quà meritoriæ, quà ſatisfactoriæ, ſunt pleniſſimè remuneratæ unico illo præmio viſionis beatificæ. Sunt enim (ut illi volunt) meritoria opera, quatenus ex charitate procedunt; ſatisfactoria, quatenus pœnalitatem habent conjunctam: ſed ſive charitatem, ſive pœnalitatem, ſive quàmcunque aliam conditionem operum ſpectemus; unicum illud præmium ſufficit ad pleniſſimam remunerationem, imò *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram Gloriam.* Rom. 8.

Secundò, nemo poteſt ſatisfacere pro alio quoad injuriam ſer- 2

tiæ perſonæ illatam, niſi ex voluntate ejus cui injuria illata eſt; unde Thomas in 3^m ad Romanos, in hęc verba, *Juſtificati eſtis per redemptionem quæ eſt in Chriſto, quem propoſuit Deus propitiatorem*, ſic ſcribit; *Ex hoc, Chriſti ſatisfactiv efficaciam ad juſtificandum habuit, & ad redimendum; quia eum Deus ad hoc ordinaverat ſecundum propoſitum.* Sed Deus ſecundum propoſitum non ordinavit ut ullus Sanctorum ſatisfaceret pro nobis; ergò non relaxamur à pœnis per eorum ſatisfactiones. *Nemo fratrem ſuum poteſt redimere*, Pſal. 49. *Nunquid Paulus crucifixus pro vobis?* 1. ad Cor. 1. *Advocatum habemus Ieſum Chriſtum, ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, 1. Ioan. 2. 2. Ipſe ſolus ſcilicet, & præter ipſum nemo. De paſſionibus Martyrum & omnium Sanctorum, rectè Leo, *Accepêre coronas, non dedêre, & de fortitudine eorum nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ.*

Vltimò, ut ſatisfactiones unius poſſint applicari ad obtinendam remiſſionem pro altero, requiritur intentio ipſius ſatisfacientis: ſed nunquam poteſt oſtendi, Petrum vel Paulum, vel ullum ex Sanctis eo animo paſſum, ut per illius paſſiones nos conſequamur remiſſionem peccatorum quoad pœnam. Ruit itaque tertia propoſitio, quæ ponebat ex ſuperfluis Sanctorum paſſionibus theſaurum ſatisfactionum nobis communicabilem.

Argum. 4. Si eſſet theſaurus meritorum & paſſionum in Eccleſia, (quod veriſſimum eſt de Chriſti Merito & Paſſione, nam *in Chriſto ſunt omnes theſauri*) tamen non ſpectat ad Papam hunc theſaurum per Bullas ſuas diſtribuere, & diſpenſare hominibus nominatim.

Ratio 1. Chriſti ſanguis, & paſſio, ac theſaurus meritorum applicatur particulari homini ſolâ operatione Spiritus ſancti fidem excitante, & internâ operatione fidei Chriſtum apprehendente: ſed Bullæ Papales non imprimunt fidem, nec excitant ad apprehendendum objectum; ergò non applicant hominibus ſanguinem aut merita Chriſti, & nihil conferunt ad remiſſionem peccatorum. Papa igitur ad remiſſionem peccatorum non poteſt plus facere quàm quivis alius ſacerdos; quòd autem ſit Miniſtrorum officium docet Paulus 1. Cor. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, poſuitque in nobis ſermonem reconciliationis.* Non dedit ipſis Apoſtolis hanc poteſtatem, ut per Bullas remitterent hominibus pœnas peccatorum; ſed ut per ſermonem, & prædicationem Evangelii excitarent illos ad quęrendam reconciliationem & remiſſionem in Chriſto. Infidelibus nihil proſunt Indulgentię, fidelibus ſuperfluę ſunt; quia ipſa fides applicat animę theſaurum meritorum & paſſionum Chriſti.

Ratio 2. Diſpenſatio ſanguinis Chriſti, & applicatio actualis meritorum ſalutarium certę & deſignatę perſonę non committitur illi, qui ignorat quibus hęc ſpiritualia beneficia ſunt applicanda: ſed Papa omnéſq; adeo mortales hoc ignorant; ſolus enim *Deus novit*

qui

qui ſunt ſui; ergò ſolus Deus applicando, & acceptando paſſionem Chriſti dat indulgentias.

Ipſa pœnitentia & vera cordis contritio conjuncta cum vera fide, eſt apud Deum majoris momenti ad impetrandam plenam remiſsionem quàm quævis Papalis Indulgentia; ipſe etiam Deus eſt multò liberalior Pontifice Romano: ſed (ſi ipſis Pontificiis credimus) nec fidelium ordinaria pœnitentia poteſt impetrare; nec Dei benignitas ſolet concedere aliam remiſsionem, quàm à culpa tantummodò: ergò non eſt verisimile, Papam poſſe hoc efficere per ſuas Indulgentias, ut protinus quis etiam à pœna relaxetur. *Ratio 3.*

Irritum eſt quicquid agit Mandatarius limitatus, ſi mandati ſui fines exceſſerit: ſed Papa, dum per Bullas conatur remittere pœnitentibus temporales illas pœnas quas divina juſtitia requirit ut ſuſtineant, excedit fines ſui mandati; nam talis poteſtas illi nunquam fuit à Deo delegata. Poteſt relaxare pœnas quas ipſe impoſuit diſciplinæ causâ; ſed quas divina juſtitia decrevit exigere, non poteſt. *Ratio 4.*

Papa non poteſt de facto quemlibet hominem abſolvere ab illis pœnalibus caſtigationibus quas Deus ſolet aliquando etiam poſt veram pœnitentiam infligere; falsò igitur jactitat ſe per Bullas liberare homines à temporalibus pœnis peccato debitis. Si enim Deus vel morbo, vel morte liberorum, vel damno fortunarum caſtigare aliquem decreverit, plenaria Pontificis Indulgentia non liberat illum ab hiſce temporalibus pœnis. *Ratio 5.*

Remiſsio peccatorum plenè docetur in ſacris Scripturis; ſed hæc remiſsio per Indulgentias (fatentibus Pontificiis) non ex teſtimonio Scripturarum, aut Patrum antiquorum, ſed ex facto Pontificum Romanorum innotuit. Scriptura non loquitur expreſſe de Indulgentiis, Sancti etiam minimè loquuntur de iis, inquit Durandus lib. 4. diſp. 20. qu. 3. Silveſter Prierias ſacri (ut vocant) Palatii magiſter, *Indulgentia* (inquit) *nobis per Scripturam minimè innotuit*. Imò, nec apud ipſum Gratianum, nec apud Magiſtrum Sententiarum quicquam habetur de hiſce Bullatis nugis Pontificum Romanorum. *Ratio 6.*

Vltimò, non convenit apud ipſos Scholaſticos de valore Indulgentiarum; itaque omnes penè conſulunt etiam illis, qui nacti ſunt Indulgentias, implere nihilominùs injunctas pœnitentias. Quin & hoc addunt, ad efficaciam illarum requiri cauſam rationabilem: at ſi Chriſti merita applicarent hominibus, valerent ad remiſsionem per ſe, quamvis leviſsima eſſet cauſa conceſsionis. Vide Gerſonem, par. 2. tract. de Indulg. *Ratio 7.*

Sed jam argumentis Adverſariorum occurramus. Atque hîc impudentiam produnt ſingularem; nam cum ipſi agnoſcunt ex Scripturis non poſſe probari Indulgentias, tamen conantur

huc multa Scripturæ loca detorquere.

1 *Tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram erit ſolutum in cœlis*; Matth. 16. Quod Petro datum, id Papæ datum eſt; ſed ex hoc loco conſtat Petro datam plenam poteſtatem ſolvendi tam à culpa quam à pœna. Cajetan. opuſc. tract. 8.

Obiect.

Reſpon. Poteſtas hæc ſolvendi, ſi de interno animæ foro loquamur, exercetur à Miniſtris prædicatione Evangelii, non largitione Indulgentiarum: non authoritativè, ſed declarativè remittunt; quod ipſi Pontificii coguntur concedere: nam verè contrito & pœnitenti, ante actum abſolutionis externæ, remiſſa fuiſſe peccata agnoſcunt Pontificii.

2 *Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti*, 2. Cor. 2. Ex hoc loco ſic argutatur Thomas; *Donavi*, inquit, *in perſona Chriſti, nil aliud ſonat, quàm ac ſi Chriſtus donâſſet.* Sed Chriſtus poteſt relaxare pœnas peccato debitas, abſque propria noſtra ſatisfactione per Indulgentiam; ergò & Paulus potuit, ergò & Papa, qui non eſt minoris poteſtatis in Eccleſiâ quàm Paulus fuit: 3. in ſupp. quæſt. 25. art. 1.

Reſponſ. Loquitur Apoſtolus de Corinthio qui inceſtum commiſerat; hunc poſt excommunicationem, quia ſe verè pœnitentem declaraverat, in Eccleſiam recipi jubet a Corinthiis, qui cauſam ad illum retulerunt; & ſuo exemplo illos ad hoc invitat: at Thomas videtur ſomniare pœnas aliquas huic inceſto fuiſſe impoſitas pro ſatisfactione divinæ juſtitiæ, deinde relaxatas authoritate Pauli; quod eſt à ſenſu loci alieniſſimum.

3 *Particeps ſum omnium timentium te*, Pſal. 119. 63. Ergò opera ſatisfactoria ab uno facta poſſunt aliis applicari ad relaxationem pœnarum. Thom. 3. in ſupp. quæſt. 71. art. 1.

Reſponſ. Nihil aliud dicit Propheta, quàm quòd ſtudeat ſejungere ſe ab impiis, & ſe ſocium adjungere piis & fidelibus: de communicatione operum ſatisfactoriorum ne cogitavit quidem. Hujus generis plura adduci ſolent à Scholaſticis ad ſtabiliendas Indulgentias, & ad ſatisfactiones ab uno in alium transferendas; ſed tam ridiculè huic materiæ accommodantur, ut refutatione non egeant. Omiſſis teſtimoniis, veniamus ad rationes eorum.

Ratio 1. Communia bona Eccleſiæ ſunt diſpenſabilia per præſidentem Eccleſiæ; ſed theſaurus meritorum Chriſti & Sanctorum ſunt communia bona Eccleſiæ, & Papa Romanus eſt Eccleſiæ præſidens; ergò poteſt illa diſpenſare per Indulgentias.

Reſponſ. De ſpiritualibus bonis Eccleſiæ concedimus illa eſſe diſpenſabilia per Miniſtros Eccleſiæ; ſed non quovis modo. Illi igitur diſpenſare dicuntur hæc bona prædicando, & Sacramenta adminiſtrando; non Indulgentias vendendo.

De

De theſauro reſpondemus, illum ex ſolis Chriſti paſſionibus conſtare, neq; Sanctorum paſſiones eſſe ullam partem hujus theſauri. Quod ad Papam attinet; nec eſt Eccleſiæ præſidens, nec ſi eſſet, poſſet iſto modo diſpenſare hunc theſaurum. Nam veriſſimum eſt illud Cajetani; *Theſaurus meritorum Chriſti non attingitur à Papa, niſi actu legitimæ diſpenſationis:* Cajet. de Indulg. tract. 9. quæſt. 1. Sed diſpenſatio per Bullas non eſt legitima diſpenſatio, quia non nititur ſupremi Domini mandato; is enim juſſit Apoſtolos per ſermonem Evangelii, & per Sacramentorum adminiſtrationem diſpenſare fidelibus Chriſti merita, &c.

Reconciliati Deo poſt remiſſionem culpæ, manent tamen adhuc obligati ad ſatisfaciendum pro remiſsione debitæ pœnæ temporalis. Hoc videmus multis exemplis comprobatum in Scripturis. Deus Davidi remiſit culpam adulterii, & homicidii: tamen additur; *Quia inimicos blaſphemare feciſti Dominum, ideo infans morte morietur*; 2. Reg. 12. Sic Num. 14. *Dimiſi peccatum populo, attamen nemo eorum videbit terram promiſſionis.* Sic poſt remiſſum peccatum populi numerati, David punitur nihilominùs immiſsâ peſte ad vaſtandũ regnum ſuum. Ex hujuſmodi exemplis colligunt Pontificii, divinam juſtitiam exigere poſt remiſsionem culpæ, ſatisfactiones noſtras ad expiationem pœnæ; dein de ſuo attexunt haſce ſatisfactiones expleri poſſe, non modò propriis noſtris paſsionibus & meritis; ſed illis etiam quæ depromuntur ex communi theſauro, ſi ità viſum Papæ. *Ratio 2.*

Concedo fideles poſt peccatorum remiſsionem, multa Dei flagella ſentire; ſed nego hæc illis infligi, ut per haſce paſsiones divinæ juſtitiæ ſatisfaciant. Quamvis enim Deus abſolvit verè pœnitentes propter Chriſti mortem ab omni pœnâ ſatisfactoria; non tamen illos liberat ab omni pœna medicinali & caſtigatoria. Eſt igitur fallacia Conſequentis, cùm ſic inferunt Pontificii. Poſt remiſſum peccatum fideles ſuſtinent pœnas temporales; ergò illas ſuſtinent in ſatisfactionem iræ divinæ. Alio itaque fine aſsignato, ſolvitur hoc ſophiſma. Auguſtinus tribus de cauſis id fieri dicit; *Ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ*; tractat. in Ioan. 124. Iam verò quod Pontificii ſolent adjungere, Per Indulgentias poſſe homines abſolvi ab hiſce pœnis temporalibus, quæ alioquin juxta regulam divinæ juſtitiæ erant ſubeundæ, manifeſtè refellitur ex locis ſuprà citatis. Nam Pontifex ſuâ Bullâ non poteſt à verè pœnitentibus mortem liberorum, nec peſtem communem depellere, nec ullam caſtigationem pœnalem quam Deo viſum infligere. *Reſponſ.*

A communione Sanctorum, quam profitemur in Symbolo, arguunt, Opera ſatisfactoria Sanctorum, quibus ipſi opus non habebant ad expiationem propriam, recondi in uſum publicum, & *Ratio 3.*

pro-

proinde diſpenſari poſſe à Pontifice qui præficitur publico huic ærario.

4 Aſſumunt duas falſiſſimas hypotheſes; unam de Superabundantia meritorum & paſſionum in Sanctis; alteram de Poteſtate Papæ: quas ſuprà refutavimus.

Reſp. ad tertiam ration. Ad illud quod inferunt de communione Sanctorum reſpondemus, Quòd hæc communio ſita eſt in participatione unius Dei, unius Chriſti, unius Baptiſmatis, unius vitæ ſpiritualis, in communicatione denique ejuſdem myſticæ unionis ad unum Caput, & inter ſe; non in communicatione ſatisfactionum. Ratio autem in promptu eſt; quia ſatisfacere pro altero, & illum liberare à pœna ſecundum juſtitiam divinam debitâ, opus eſt mediationis, non ſimplicis charitatis. Officia charitatis communia ſunt inter omnia ejuſdem corporis membra; ſed officia mediationis non ab uno membro ad alterum, ſed à ſolo Capite ad omnia derivantur: nam is ſolus Mediator Dei & hominum.

Ratio 5. Vltimo in loco, ut eò revertamur unde digreſſi ſumus, ex hoc loco Paulino quem habemus in manibus, & qui occaſionem dedit hujus controverſiæ diſceptandæ, ſic arguit Cajetanus. Viri ſancti hoc ſpectabant & intendebant in ſuis paſſionibus, ut applicarentur ad ſatisfaciendum pro aliis; nam Paulus expreſſè dicit, ſe *adimplere reliquias paſſionum Chriſti, pro corpore ejus quod eſt Eccleſia.* Rhemenſes etiam hinc inferunt, opera pœnalia unius membri eſſe ſatisfactoria pro aliis.

Reſponſ. Pauli ſenſum anteà explicavimus, ſcilicet illum ſuſtinuiſſe multas afflictiones pro Eccleſia, non à peccatis expiandâ, ſed ædificandâ, & confirmandâ in doctrina Evangelii. Ridiculè igitur argutantur; Paulus ſuſtinuit multas afflictiones pro Eccleſia, ergò ut Deo ſatisfaceret pro Eccleſia: alias enim cauſas aſſignavimus. Sed Anſelmi teſtimonio confirmemus hanc noſtram interpretationem, & concludemus. *Adimpleo*, inquit, *ea quæ deſunt. Cui deſunt? In carne mea. Nam in carne Chriſti quam virgo peperit, nihil paſſionum deeſt: ſed adhuc reſtat pars paſſionum ejus in mea carne, quas quotidiè tolero pro univerſali corpore ejus quod eſt Eccleſia. Si enim ab eruditione fidelium ceſſarem, has paſſiones ab infidelibus non ſuſtinerem: Sed quia ſemper Eccleſiæ ſtudeo prodeſſe, ſemper adverſa cogor tolerare.* Hæc Anſelmus. Vnde apparet, paſſum fuiſſe Paulum illas afflictiones pro Eccleſia, ne ceſſaret ab eruditione fidelium; non ut ſatisfaceret pro peccatis fidelium. Sed mittamus Pontificios de ſatisfactionibus humanis, & Indulgentiis Papalibus ſomniantes, & revertamur ad contextus explicationem.

VERS. 25. *Cujus Eccleſiæ factus ſum Miniſter ex diſpenſatione Dei, quæ data eſt mihi erga vos ad implendum Dei ſermonem*]

Cohæret hic verſus cum ſuperiore, in quo expoſuit Apoſto-

lus,

ſtolus, quo animo patiatur afflictiones ſibi impoſitas propter prædicationem Evangelii; læto nimirum & alacri: deinde cauſas ſubjungit duas gaudii ſui. Prior ducta erat à conformitate ad Chriſtum; ***Reliquias paſſionum Chriſti adimpleo in carne mea***; id eſt, Patiendo conformis fio ipſi Chriſto: ergò *gaudeo de iis quæ patior.* Altera ratio ducta erat à fructu paſſionum ſuarum redundante ad Eccleſiam; ſuſtineo afflictiones *pro corpore Chriſti quod eſt Eccleſia*; ergò lætandum mihi eſt in hiſce meis paſſionibus.

Iam in hoc verſu 25° annectit tertiam cauſam, cur lætus, & lubens, quidvis ſubeat pro Eccleſia; ducitur autem á ratione officii ſui. Eccleſiæ factus ſum Miniſter, Deo ordinante; ergò lætari oportet in afflictionibus meis dum proſim Eccleſiæ. In hoc verſu explicando quatuor ſunt nobis expendenda.

1. Ipſum officium Paulo impoſitum in his verbis, ἧς ἐγενόμην διάκονος.

2. Quis illi delegaverit hoc officium; ipſe Deus; impoſitum eſt κατὰ τὴν οἰκονομίαν θεοῦ.

3. Quos ſpectet hoc officium Pauli; Gentes ſcilicet, & inter has Coloſſenſes: *Data eſt mihi erga vos, &c.*

4. Quis ſit ſcopus & finis impoſiti officii; ſcilicet, *ut impleam ſermonem Dei.*

Cujus Eccleſiæ factus ſum Miniſter] Miniſter vel διάκονος, vocabulum eſt generale aliquando, & quemlibet quovis munere fungentem deſignat: aliquando ſpeciale, & reſtringitur ad eos qui redituum Eccleſiæ, & pauperum curam ſibi commiſſam habebant, quales illi ſeptem fuerunt, qui huic negotio præficiuntur; Actor. 6. 3.

Hoc in loco latiori illâ ſignificatione uſurpatur; ità tamen ut pro perſonę dignitate exponatur non niſi de Miniſterio Apoſtolico: Apoſtolatus enim erat illud officium Paulo commiſſum, quod ex verbis patet. Non enim dicit ſe hujus aut illius particularis, ſed univerſalis Eccleſię Miniſtrum factum eſſe, illius nempe Eccleſię, quam ſuperiore verſu appellavit *Corpus Chriſti.* Iam ex hac commemoratione officii ſui, & hoc titulo ***Miniſtri***, quem ſibi Paulus aſſumit, obſervationes quaſdam deducamus.

Ex eo quòd Paulus in Apoſtolatu conſtitutus, ſe Miniſtrum Eccleſiæ appellat, ad induſtriam illos excitat, qui eminentiorem aliquem locum nacti ſunt in Eccleſia; eóſque monet potiùs ut cogitent de labore, quàm honore ſuo; de opere impoſito, quàm de conjuncta dignitate. At nos contrà ***Paſtores dici volumus, nec tamen eſſe contendimus; officii noſtri vitamus laborem, appetimus dignitatem,*** ut olim conqueſtus eſt Proſper, de Vit. contemp. 1. cap. 21. Sed meminiſſe oportet, ***Miniſtrum*** laboris potiùs titulum eſſe, quàm dignitatis. *Obſerv.* 1.

Hinc etiam colligimus illos qui præſunt Eccleſiæ, non habere *Obſerv.* 2.

abſolutum imperium, ſed Miniſterium. *Miniſter factus ſum Eccleſiæ* (inquit Apoſtolus) non Dominus. Non debent Miniſtri inſtar Principum terrenorum, aut perſonis, aut fidei Chriſtianorum dominari. Hoc vetat Petrus, 1.Epiſt.5.3. *Paſcite gregem qui penes vos eſt, non ut dominantes cleris, ſed ut qui ſitis exemplaria gregis.* Illud Paulus averſatur, 2.Cor.1.24. *Non ut dominemur fidei veſtræ, ſed ut adjutores.* Non eſt igitur Pauli aut Petri ſucceſſor Pontifex Romanus, qui ſe non Miniſtrum, ſed Dominum & Deum Eccleſiæ facit. Vult enim perſonis & bonis omnium Chriſtianorum, etiam ipſorum Regum dominari, indirecto ſaltem dominio. Vult fidei & conſcientiis dominari dominio directo, quatenus ſe ſpiritualem Monarcham conſtitutum ſomniavit. Hinc illa Papiſtarum deliria. Papam eſſe ſupra Concilia. Papam non poſſe errare in judiciis de Fide. Extra ſtatum ſalutis eſſe omnes, qui Pontifici Romano non ſubſunt. Scripturę interpretationem ex ſcrinio pectoris illius depromendam; & multa hujuſmodi. Ex quibus clarum eſt illum non Officium Paſtorale, ſed Imperium Regale in Eccleſiam ſibi vendicare.

Obſerv. 3. Ex eo quòd Paulus hoc Miniſterii officium ſibi impoſitum, cauſam aſſignavit, cur lætari illum oportuerit in ſuis afflictionibus; docere voluit Miniſtros Evangelii, nihil illis accidere poſſe lætius, aut honorificentius, quàm ſi injuſtè affligantur, dum præſtant, & quia præſtant ea quæ ſpectant ad ſuam functionem. Vt enim militi honorificum eſt vulnera accipere, & ipſam mortem oppetere in ea ſtatione in qua illum ſuus Imperator collocavit: ſic Miniſtro glorioſum eſt affligi, imò vel interfici in executione illius Miniſterii quod illi Chriſtus demandavit.

Sed hîc ſemper meminiſſe oportet ſolatium afferre ſecum illas afflictiones, de quibus dici poteſt cum Paulo; Patior hæc pro Eccleſia, & quia factus ſum Miniſter Eccleſiæ: ſed longè aliter ſe res habet, cum dicendum ſit; Patior hæc ab Eccleſia, & quia factus ſum Eccleſię perturbator. *Nemo veſtrûm patiatur* ὡς κακοποιὸς ἢ ὡς ἀλλοτριοεπίσκοπος, *ut maleficus, aut alienarum rerum inſpector; ſed ſi ut Chriſtianus, ne pudeſiat, ſed glorificet Deum hac in parte;* 1.Pet.4.15. Atque hæc de officio impoſito; ſequitur de Authore officii.

Ex diſpenſatione Dei] Hiſce in verbis oſtendit Apoſtolus cujus authoritate miniſter Eccleſiæ factus ſit, nimirum ipſius Dei ordinatione; hoc in loco igitur per οἰκονομίαν θεοῦ intelligit legitimam & ordinatam poteſtatem à Deo ſibi commiſſam, quoad diſpenſationem & adminiſtrationem rerum ſpiritualium ad Eccleſiam pertinentium. Eſt enim Eccleſia domus Dei, neque fas cuivis quidvis in ea facere; ſed omnia ſunt adminiſtranda κατ' οἰκονομίαν θεοῦ, juxta diſpoſitionem ipſius Dei. Sic enim Apoſtolus ad Hebræos 5.4. *Non quilibet ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur à Deo quemadmodum*

modum & Aaron. Ex hoc itaque vocabulo οἰκονομίας intelligimus Eccleſiam eſſe familiæ ſimilem, Deum eſſe Dominum hujus familiæ; Apoſtolos, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, ſervos eſſe & Miniſtros Dei in hac familia adminiſtranda.

Cùm Eccleſia ſit Dei familia, nemo debet in eâ functionem aliquam exercere, niſi qui ab ipſo Deo ſit legitimè vocatus: legitima autem vocatio eſt vel extraordinaria, qualis olim fuit Apoſtolorum; vel ordinaria, qualis nunc eſt Epiſcoporum & Miniſtrorum. Ordinaria autem hæc vocatio, ſub aliquo ſigno ſenſibili ab Eccleſiaſticam juſtámque poteſtatem habentibus tradi debet, ut nota ſit Eccleſiæ; quod in omnibus Eccleſiis obſervatur in miniſtrorum ordinatione. Qui ſic ordinantur poſſunt rectè affirmare, ſe factos eſſe miniſtros κατὰ τὴν οἰκονομίαν τοῦ θεοῦ. Qui carent hac ordinatione uſurpant adminiſtrationem familiæ alienæ, abſque Domini approbatione, & ordinatione. *Obſerv.* 1.

Cùm Miniſtri conſtituantur in Eccleſiâ ſecundum diſpenſationem Dei; intelligimus nihil eorum quæ aut docent, aut faciunt eſſe validum ex ſolo imperio, & merâ voluntate & authoritate eorum, ſed ex participatâ authoritate & approbatione ſupremi Domini, ſcilicet ipſius Dei. Nam quod Miniſter agit contra voluntatem Domini, ratum eſſe nullo modo poteſt. Diſpenſare enim tenetur ea, & eo modo, quo Dominus præſcripſit. *Obſerv.* 2.

Cùm in omni οἰκονομίᾳ, & adminiſtratione alicujus familiæ, ordo requiratur, non modò in ipſo opere diſpenſationis, ſed inter ipſos diſpenſatores ſi plures fuerint; perſpicuum eſt illos turbare Eccleſiam Dei, & ſubvertere hanc οἰκονομίαν, qui paritatem Miniſtrorum conantur in Eccleſiam inducere. Nam *Ordo* ut rectè definiunt Scholaſtici, *eſt parium imparíúmque, ſua cuique tribuens loca, diſpoſitio*; & ubicunque pluralitas ſine ordine, ſtatim exoritur confuſio. Vnus ergo ſecundum hanc Dei diſpenſationem & οἰκονομίαν, conſtitutus eſt Epiſcopus, alii ordinantur Presbyteri, alii Diaconi; neque debent qui ſunt in inferiore loco conſtituti, illa munia ſibi vendicare quæ ſunt ſuperiorum. Nam ipſe Dominus familiæ dedit quoſdam Apoſtolos, alios Evangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores; Epheſ.4. & hiſce in perpetuum ſubſtitui voluit Miniſtros ſuis ordinibus diſtinctos. *Obſerv.* 3.

Cùm Deus tam ſolicitus ſit de ordinata adminiſtratione Eccleſiæ; oportet unumquemque & ſcire, & facere ea quæ ſecundum hanc diſpenſationem divinam, ſunt illius curæ demandata. Nam ut rectè Durandus, *Sine ordine actio eſt præſumptio, ſine actione ordo eſt negligentia, ſine ſcientia verò & actio eſt reprehenſibilis, & ordo inutilis*, lib.2. diſtin.9. quæ.1. Vide Servatoris illud, Mat. 24.45. *Quiſnam eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familitium ſuum?* Hæc diſpenſatio Dei Miniſtris commiſſa requirit fidelitatem ut voluit, requirit etiam prudenti- *Obſerv.* 4.

am vel scientiam ut possint ea agere, quæ pro hac Dei ἀνοικονομίᾳ illis agenda incumbunt. Atque hæc de Ministerio ac Authore & Ordinatore ejusdem, scilicet ipso Deo.

Quæ data est mihi erga vos] Tertio in loco jam explicandum est, ad quos spectat hæc administratio, vel dispensatio, quæ erat Paulo delegata ab ipso Deo. Data est mihi inquit, εἰς ὑμᾶς, *erga vos*, id est, *erga vos Gentes*; in quibus Colossenses includuntur. Voluit ostendere Apostolus se jure suo illos docere tanquam Ecclesiam Gentilem sibi commissam. Quòd autem Paulo commissum sit hoc ministerium instituendi Gentes, ex multis Scripturæ locis patet. Actor. 22. 21. *Vade quoniam in nationes longè mittam te.* Et ad Rom. 1. 5. *Accepimus Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus:* unde 1. ad Timoth. 2. 7. dicit, *Se positum esse prædicatorem & Apostolum, & Doctorem gentium.*

Dub. Sed hîc dubitari potest quomodò hæc Dei dispensatio data dicatur Paulo erga Gentes, non etiam erga Iudæos, & omnes adeò homines; cùm functio Apostolica plenariam & universalem potestatem contineat, non inclusam certis terminis, aut limitibus. Apostolis enim hoc datur in mandatis, *Docete omnes gentes, prædicate omni creaturæ.*

Sol. Apostoli non erant certis locis aut nationibus destinati virtute vocationis Apostolicæ; sed quia idem non poterat commodè omnes provincias obire, vel appropriatione divinâ, vel voluntariâ quadam partitione, unus hujus, alter illius provinciæ administrationem suscepit. Sic ad Galat 2. ver. 7. *Evangelium præputii* dicitur *concreditum Paulo, Evangelium circumcisionis Petro.* Quia Paulus inter Gentes annuntiandum Evangelium curavit: Petrus inter Iudæos, idque ex speciali quadam Dei appropriatione.

Sed hîc etiam & illud addere oportet, hanc quam appellamus appropriationem non imminuisse authoritatem Apostolicam, aut prohibuisse illos, quò minùs & Paulus Iudæis, & Petrus Gentibus, si occasio tulerit, potuerint prædicare. De Paulo expressè dicitur, quòd sit *vas electum ad perferendum nomen Dei in conspectum gentium & filiorum Israel:* & per Epistolam Hebræos docuit, ut communiter tenetur. De Petro etiam dubitari non potest, quin Antiochiæ, & alibi, non solùm Iudæos, sed etiam Gentiles illustraverit doctrinâ Evangelicâ. Potestas itaque Apostolica ex æquo omnes nationes respiciebat; sed commoditas Ecclesiæ, ut certi certis provinciis destinarentur, flagitabat.

Observ. Atque hîc observemus, quàm sit utile & necessarium hoc institutum Ecclesiæ, ut certi Ministri certis locis & certis gregibus alligentur. Nam si Deus ipsos Apostolos, qui ratione vocationis ex æquo totius mundi Pastores ordinati erant, volebat nihilominùs specialibus quibusdam provinciis specialiter præfice-

re;

re; quantò magis oportet Paſtores illos, qui Apoſtolicam vocationem non habent, particularibus & ſibi deſignatis Eccleſiis deſtinari, ut certum gregem intuentes dicere poſſent, *Data eſt mihi diſpenſatio erga vos.*

Abhorrent itaque ab omni ratione qui vagum & volaticum cupiunt Miniſterium, contra veteris Eccleſiæ Canones, qui nullum ſine certo Titulo ordinandum decreverunt. Intelligat igitur unuſquiſque, erga quos ſibi data ſit Evangelii diſpenſatio, ut *poſſit attendere gregi in quo Spiritus ſanctus illum poſuit Epiſcopum*; ut habetur Actor. 20. 28. Hæc de objecto Miniſterii Apoſtolici.

Ad implendum ſermonem Dei] πληρῶσαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ] Ponit hiſce in verbis finem ſeu ſcopum quem Deus ſpectavit, cùm Paulo aſſignavit hanc diſpenſationem Evangelii erga Gentes. Verba autem hæc duobus modis exponuntur ab Interpretibus. Alii, *ad implendum ſermonem* vel *verbum Dei*; id eſt, ad plenè exponendam totam ſalutis doctrinam, eámque promovendam, uſque ad vitæ meæ finem. Quaſi dixiſſet Apoſtolus, Non oportet me deterreri ab Evangelii prædicatione, afflictionibus, aut vinculis, aut ipsâ morte; nam in hunc finem Deus mihi impoſuit hoc Miniſterium, ut illud abſolverem ad mortem uſque dimicando.

Hunc ſenſum ſi amplectamur duo ſunt indè nobis addiſcenda.

Oportere Miniſtrum verbi, non utcunque prædicare, ſed πληρῶσαι τὸν λόγον, id eſt, plenè exponere & docere illa omnia quæ pertinent ad ſalutem gregis ſui. 1

Non ſatis eſt plenè prædicare Evangelium, ſed oportet in hoc munere obeundo perſeverare uſque ad extremum. Multi circa initium Miniſterii ſui ſerventes, & frequentes ſunt in prædicationibus, ſed poſteà frigeſcunt, & ſibi indulgent; ſed hoc non eſt πληρῶσαι, ſed inchoare verbi prædicationem. 2

Alii, *ad implendum Dei ſermonem*, ſic exponunt; ad implendas illas promiſſiones de Chriſto, & vocatione Gentium, quas olim denuntiaverant Prophetæ. Quaſi dixiſſet Apoſtolus, Deus me deſtinavit Apoſtolum erga vos Gentes, ut impleret illud quod per Prophetas promiſerat; de ſalute ſcilicet vobis offerenda in Chriſto.

Tale fuit illud Dei verbum Eſaiæ 9. 2. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt.* Tale & illud Zachariæ 2. 12. *Applicabuntur gentes multæ ad Dominum, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui.* Ad implendum hunc Dei ſermonem Paulo data eſt diſpenſatio Evangelii erga Gentes. Si hunc ſenſum ſequamur, indè monemur, ut ſicut Deus quod ſuum eſt adimplevit, vocando nos Gentes ad cognitionem Evangelii; ſic nos viciſſim quod noſtrum eſt faciamus, credendo, obediendo, ambulando ſecundum hanc lucem Evangelicam.

VERS. XXVI. XXVII.

Nempe myſterium illud quod abſconditum fuit à ſeculis, & generationibus, nunc autem patefactum eſt Sanctis ejus.

Quibus voluit Deus notum facere, quæ ſit opulentia glorioſi hujus myſterii inter gentes, quæ eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ.

EO ſpectant hæc quò ſuperiora, ad ſtabiliendos ſcilicet Coloſſenſes in doctrina Evangelii; quod facit mirificè extollendo illius dignitatem. Exornat, & ſimul excitat illos ad amplexandum Evangelium, in priore verſu dupliciter.

1. Ab antiquitate & raritate; *Myſterium abſconditum à ſeculis & generationibus.*

2. A manifeſta patefactione & præſenti opportunitate; *Nunc autem patefactum eſt &c.*

In verſu poſteriore duo facit; Reddit cauſam hujus patefactionis, *voluntatem Dei.* Tum uberiùs explicat quid ſit patefactum; primò in genere; patefactæ ſunt *divitiæ glorioſi hujus myſterii:* dein ſpeciatim docet quæ ſunt iſtæ divitiæ, vel, ut eſt in Græco, τίς ὁ πλοῦτος τοῦ μυστηρίου τούτου, ſcilicet ipſe Chriſtus in nobis habitans per fidem; ſic enim fit nobis ſpes gloriæ. Ordiamur à priori verſu.

Nempe myſterium illud quod abſconditum fuit à ſeculis & generationibus] Hoc autem in loco conſideremus, 1. Quid intelligat per myſterium. 2. Vbi fuit abſconditum. 3. A quibus.

1 *Myſterium* eſt ſacrum ſecretum occultam habens intelligentiam: aliquid autem nobis occultum eſt, aut quia aliquid interpoſitum, aut quia longè à nobis poſitum eſt. Eſt etiam inſuper ſciendum, quòd myſterii nomen in Scripturis aliquando accommodatur ad ſummam fidei noſtræ Chriſtianæ, de Perſona, Naturis, & Officiis Chriſti; ſcilicet 1. ad Tim. 3. 16. *Sine controverſia magnum eſt pietatis myſterium, Deus conſpicuus factus eſt in carne, juſtificatus eſt in Spiritu, conſpectus eſt ab Angelis, prædicatus eſt gentibus, fides illi habita eſt in mundo, ſurſum receptus eſt in gloriam.* Aliquando Synecdochicè accipitur pro parte hujus myſterii, nempe pro vocatione gentium, & incorporatione in Eccleſiam abſque circumciſione, & ſine Legis operibus; de hoc myſterio loquitur Apoſtolus 3. ad Epheſ. *Deus mihi notum fecit myſterium, quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum; Gentes videlicet eſſe cohæredes, & concorpores, conſortéſque promiſſionis ejus per Evangelium.* Hoc ſenſu Paulus utitur vocabulo myſterii hoc in loco; pro arcano ſcilicet Dei conſilio de ſalvandis Gentibus per gratiam Evangelicam in Chriſto: hoc eſt il-

lud

lud myſterium ad cujus promulgationem *Paulus factus eſt Miniſter.*

Sed Vbi, & Quomodo fuit abſconditum hoc myſterium de ſalute humani generis per Chriſtum procurandâ? Abſconditum fuit in arcano, & æterno Dei propoſito, ut anteà attigimus: nam ipſe Deus ab omni æternitate decrevit etiam celare & abſcondere hoc myſterium à nobis, uſque dum plenitudo temporis adveniret. Fuit igitur à nobis longè poſitum & remotum. Quid enim ab humanis oculis remotius, quàm quod in arcana Dei voluntate deliteſcit? hinc ab Apoſtolo vocatur μυστήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον. Rom. 16. 26. Sed fuit etiam interpoſitum quaſi velum quoddam cæremoniarum Legalium, ſub quibus redemptionis futuræ myſterium obumbratum erat, etiam quoad ipſos Iudæos. 2

Iam tertio loco, ſi quæratur à quibus fuit abſconditum; reſpondere poſſumus claram hujus myſterii intelligentiam fuiſſe abſconditam, non modò à Gentibus, & à Iudæis, ſed etiam ab ipſis Angelis. De Gentibus nulla quæſtio eſt, qui ante adventum Chriſti *ſedebant in umbra mortis*; nec vitam hanc æternam, quam Chriſtus ſuis attulit, aut intelligebant, aut expetebant. Quî poterant? cùm venturi Meſſiæ prædictiones, erant ſacris Scripturis conſignatæ; divina autem hæc oracula erant Iudæorum peculia. Vnde illud Davidis, *Annunciat verbum ſuum Iacob; juſtitias, & judicia ſua Iſraeli: non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit iis*; Pſal. 148. Fuit igitur Gentibus ſimpliciter, & omni modo abſconditum hoc myſterium. 3

Quod attinet ad Iudæos qui ſub veteri teſtamento vivebant, fuit hoc myſterium illis abſconditum, ex Parte, & Comparitivè. Ex Parte; quia ſi à Prophetis & quibuſdam illuminatis viris diſceſſeris, vulgus Iudæorum, etſi Meſſiam expectabant, ſibi tamen ſolummodò, non Gentibus illum deſtinatum putabant. Vocatio igitur Gentium fuit myſterium prorſus abſconditum à maxima parte Iudæorum.

Quod attinet ad ipſos Prophetas, & doctiores Iudæos, fuit & illis hæc gratia Evangelica abſconditum myſterium, ſi Comparativè loquamur. Nam illæ revelationes prophetiçe erant inſtar lucernæ ſplendentis in obſcuro loco; ſed prædicationes Evangelicæ, ſunt inſtar Solis medio die radiantis. Videbant illi futuram hanc Gentium vocationem, ſed tanquam in crepuſculo ſubobſcurè; nos videmus tanquam ob oculos in media luce clarè & perſpicuè. Huc etiam accedit, quòd illi in genere tantùm intellexerunt Gentes omnes fore benedicendas in ſemine benedicto; ſed quòd in fœdus filiorum Dei hoc modo admitterentur, ſcilicet abſque circumciſione, & abſque obſervatione ullâ rituum Moſaicorum non intellexerunt. Hoc colligere poſſumus ex eo, quòd ipſi Apoſtoli hoc magnum myſterium non ſtatim intellexerunt, poſtquam acceperant

rant mandatum, ut prædicarent Evangelium omni creaturę. Nam Petrus non auſus fuiſſet, ad incircumciſos accedere, niſi Deus illum revelatione ſupernaturali participem & gnarum feciſſet hujus myſterii. Sic enim loquitur, Actor. 10. 28. *Vos ſcitis Judæo nefas eſſe accedere ad alienigenam; ſed mihi oſtendit Deus ne quem pollutum, aut impurum hominem dicerem.*

Vltimò, ne ipſi quidem Angeli hoc gratiæ Evangelicæ myſterium clarè intellexerunt. *Nam per Eccleſiam innotuit imperiis & poteſtatibus quæ in cœlis ſunt, multiformis illa ſapientia Dei, ſecundum propoſitum æternum quod conſtituit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Ad Epheſ. 3. 10. Hoc igitur Eccleſiæ Corpus, ex Judæis & Gentibus, ex circumciſis & incircumciſis coagmentatum, fuit ipſis Angelis res nova & mira, utpote myſterium ab æternis temporibus in arcana Dei voluntate celatum.

Obſerv. 1. Evangelica doctrina ſacrum eſt myſterium; ergò reverenter, & caſtis animis, & auribus ſuſcipiendum. Prophanos & impuros à ſacris ſuis myſteriis arcebant Gentiles; quantò magis æquum eſt ab hiſce myſteriis ſalutaribus omnem impuritatem abeſſe? *Caſtè jubet lex adire ad ſacra*, inquit Orator 2. de Legibus. At Evangelium eſt ſacrum ſecretum; obſervandum igitur ut caſto animo & corpore prædicetur, & audiatur ab omnibus.

Obſerv. 2. Evangelium fuit myſterium abſconditum ab omni æternitate; ergò fuit ab omni æternitate: non eſt itaque novum Apoſtolorum inventum, ut Athenienſes Paulo objecerunt, Actor. 17. 19. *Poſſumúſne ſcire quæ eſt hæc nova, quæ à te dicitur doctrina? nova enim quædam infers auribus noſtris.* Athenienſium auribus novum videbatur Evangelium, in ſe autem novum non erat, ſed æternum: nam in religione nihil novum niſi quod falſum. Vnde Apocalyp. 14. 16. dicitur *æternum Evangelium.*

Obſerv. 3. Cùm Deus hoc Evangelium ſalutiferum, toti mundo per tot ſecula occultum eſſe voluit; ipſa raritas patefactionis accendat oportet animos noſtros ad ejuſdem ſeriam contemplationem: nam ſi *aliæ gemmæ à ſola raritate gratiam poſſident*, ut loquitur Tertullianus; quantò magis hæc gemma Evangelica, quam per quatuor mille annos penè exactos, ne unus quidem clarâ luce conſpexit? Hæc de Evangelio quatenus fuit ab omni æternitate abſconditum myſterium: jam de ejus revelatione, & patefactione agendum eſt.

Nunc autem patefactum eſt ſanctis ejus] Hîc tria notentur. 1. Quòd hoc myſterium ſit patefactum. 2. Quando. 3. Quibus.

1 Dicit Apoſtolus hoc myſterium eſſe *patefactum*, non inventum, aut erutum labore noſtro, ut intelligamus nulli humano ingenio penetrabile aut acceſſibile fuiſſe hoc myſterium ſalutis humanæ. Niſi itaque idem ille Deus qui priùs abſcondidit, poſteà ultrò revelâſſet, in perpetuis tenebris jacuiſſet humanum genus;

nus; nemo nôſſet, nemo quæſiviſſet mundi Redemptorem.

Ratio cur opus fuit hac patefactione divinâ duplex aſſignari poteſt. Ex parte rerum revelatarum, & ex parte intellectûs humani. Res revelatæ, ſcilicet myſteria ſalutis noſtræ in Chriſto, ſunt ſupernaturalia, & dependent à mera voluntate & diſpenſatione divinâ. Incarnatio Dei, expiatio peccati per mortem ejus, gratuita ſalus per fidem in hoc Mediatore, hujuſmodi ſunt omnia, quæ nulli mortalium in mentem venire potuiſſent, niſi Deus ipſe manifeſtâſſet ſe velle hoc modo humanum genus liberare; pendent enim hæc à liberrima Dei voluntate, non ab ulla connexione cauſarum naturalium.

Iam quod attinet ad intellectum humanum, ſic obſcuratus eſt tenebris peccati, ut in ſpiritualibus non cœcutiat, ſed cœcus planè ſit. *Animalis homo non percipit quæ ſunt Dei*, 1.Cor.2.14. Opus eſt itaque patefactione divinâ. Præclarè Auguſtinus Hypog. 3. *Nemo glorietur ſe fidem ex proprio ſenſu genuiſſe; in ſe agnoſcat tam ante Legem, quàm ſub Lege, & poſt Legem fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu, per illuminationem gratiæ, quæ à Deo Patre eſt, unicuique revelatam ad ſalutem. Conturbatus* enim *eſt animæ oculus per infectionem in ſenſualitate, per obnubilationem in inferiori ratione, per excæcationem in ratione ſuperiori*, ut rectè Gerſon par. 3. Iam hæc omnia in compendium redigamus. Myſterium Evangelii eſt ſupra naturam; dependet ab æterna, & arcana Dei voluntate: mens humana per peccatum depreſſa eſt infra naturam ſuam; ejus oculus infectus eſt, obnubilatus eſt, excæcatus eſt: non potuit igitur hoc myſterium à nobis percipi, niſi fuiſſet à Deo patefactum. Hinc illud unicum obſervemus,

Summæ eſſe ſtultitiæ extruere religionem Chriſtianam ex principiis philoſophicis; cùm doctrina ſalutis per voluntariam Dei patefactionem reveletur, non per humani ingenii acumen inveniatur. Hîc itaque turpiſſimè errârunt Scholaſtici doctores, & qui illorum veſtigiis inſiſtunt Papiſtæ, dum pro fidei Chriſtianæ articulis, multa obtrudunt, quæ non ex revelatione divinâ, ſed ex diſcurſu cœcæ rationis didicerunt. Hujuſmodi ſunt illa dogmata de libero arbitrio, de juſtitia inhærente, de operum meritis, & alia quamplurima quæ petuntur ex Ethicis Philoſophi, non ex Epiſtolis Pauli. Hîc itaque locum habere debet illud Apoſtoli, *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam*. Nam *ex Philoſopherum ingeniis omnes hæreſes animantur*, ut verè Tertullianus adverſ. Marc. lib. 1. Hęc de patefactione ipſa. De tempore jam dicendum, Quando patefactum fuit. *Obſerv.*

Sed ſecundo in loco dicit Apoſtolus, *Nunc eſſe patefactum hoc myſterium.*

Hoc temporis Adverbio monet Coloſſenſes de præſenti occaſione, & opportunitate, quam voluit Apoſtolus ut arriperent. Quaſi

rant mandatum, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ. Nam Petrus non auſus fuiſſet, ad incircumciſos accedere, niſi Deus illum revelatione ſupernaturali participem & gnarum feciſſet hujus myſterii. Sic enim loquitur, Actor. 10. 28. *Vos ſcitis Judæo nefas eſſe accedere ad alienigenam; ſed mihi oſtendit Deus ne quem pollutum, aut impurum hominem dicerem.*

Vltimò, ne ipſi quidem Angeli hoc gratiæ Evangelicæ myſterium clarè intellexerunt. *Nam per Eccleſiam innotuit imperiis & poteſtatibus quæ in cœlis ſunt, multiformis illa ſapientia Dei, ſecundum propoſitum æternum quod conſtituit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Ad Epheſ. 3. 10. Hoc igitur Eccleſiæ Corpus, ex Judæis & Gentibus, ex circumciſis & incircumciſis coagmentatum, fuit ipſis Angelis res nova & mira, utpote myſterium ab æternis temporibus in arcana Dei voluntate celatum.

Obſerv. 1. Evangelica doctrina ſacrum eſt myſterium; ergò reverenter, & caſtis animis, & auribus ſuſcipiendum. Prophanos & impuros à ſacris ſuis myſteriis arcebant Gentiles; quantò magis æquum eſt ab hiſce myſteriis ſalutaribus omnem impuritatem abeſſe? *Caſtè jubet lex adire ad ſacra*, inquit Orator 2. de Legibus. At Evangelium eſt ſacrum ſecretum; obſervandum igitur ut caſto animo & corpore prædicetur, & audiatur ab omnibus.

Obſerv. 2. Evangelium fuit myſterium abſconditum ab omni æternitate; ergò fuit ab omni æternitate: non eſt itaque novum Apoſtolorum inventum, ut Athenienſes Paulo objecerunt, Actor. 17. 19. *Poſſumúſne ſcire quæ eſt hæc nova, quæ à te dicitur doctrina? nova enim quædam infers auribus noſtris.* Athenienſium auribus novum videbatur Evangelium, in ſe autem novum non erat, ſed æternum: nam in religione nihil novum niſi quod falſum. Vnde Apocalyp. 14. 16. dicitur *æternum Evangelium.*

Obſerv. 3. Cùm Deus hoc Evangelium ſalutiferum, toti mundo per tot ſecula occultum eſſe voluit, ipſa raritas patefactionis accendat oportet animos noſtros ad ejuſdem ſeriam contemplationem: nam ſi *aliæ gemmæ à ſola raritate gratiam poſſident*, ut loquitur Tertullianus; quantò magis hæc gemma Evangelica, quam per quatuor mille annos penè exactos, ne unus quidem clarâ luce conſpexit? Hæc de Evangelio quatenus fuit ab omni æternitate abſconditum myſterium: jam de ejus revelatione, & patefactione agendum eſt.

Nunc autem patefactum eſt ſanctis ejus] Hîc tria notentur. 1. Quòd hoc myſterium ſit patefactum. 2. Quando. 3. Quibus.

1 Dicit Apoſtolus hoc myſterium eſſe *patefactum*, non inventum, aut erutum labore noſtro, ut intelligamus nulli humano ingenio penetrabile aut acceſſibile fuiſſe hoc myſterium ſalutis humanæ. Niſi itaque idem ille Deus qui priùs abſcondidit, poſteà ultrò revelâſſet, in perpetuis tenebris jacuiſſet humanum ge-

nus;

nus; nemo nôſſet, nemo quæſiviſſet mundi Redemptorem.

Ratio cur opus fuit hac patefactione divinâ duplex aſſignari poteſt. Ex parte rerum revelatarum, & ex parte intellectûs humani. Res revelatæ, ſcilicet myſteria ſalutis noſtræ in Chriſto, ſunt ſupernaturalia, & dependent à mera voluntate & diſpenſatione divinâ. Incarnatio Dei, expiatio peccati per mortem ejus, gratuita ſalus per fidem in hoc Mediatore, hujuſmodi ſunt omnia, quæ nulli mortalium in mentem venire potuiſſent, niſi Deus ipſe manifeſtâſſet ſe velle hoc modo humanum genus liberare; pendent enim hæc à liberrima Dei voluntate, non ab ulla connexione cauſarum naturalium.

Iam quod attinet ad intellectum humanum, ſic obſcuratus eſt tenebris peccati, ut in ſpiritualibus non cœcutiat, ſed cœcus planè ſit. *Animalis homo non percipit quæ ſunt Dei*, 1.Cor.2.14. Opus eſt itaque patefactione divinâ. Præclarè Auguſtinus Hypog. 3. *Nemo glorietur ſe fidem ex proprio ſenſu genuiſſe; in ſe agnoſcat tam ante Legem, quàm ſub Lege, & poſt Legem fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu, per illuminationem gratiæ, quæ à Deo Patre eſt, unicuique revelatam ad ſalutem. Conturbatus* enim *eſt animæ oculus per infectionem in ſenſualitate, per obnubilationem in inferiori ratione, per excæcationem in ratione ſuperiori*, ut rectè Gerſon par. 3. Iam hæc omnia in compendium redigamus. Myſterium Evangelii eſt ſupra naturam; dependet ab æterna, & arcana Dei voluntate: mens humana per peccatum depreſſa eſt infra naturam ſuam; ejus oculus infectus eſt, obnubilatus eſt, excæcatus eſt: non potuit igitur hoc myſterium à nobis percipi, niſi fuiſſet à Deo patefactum. Hinc illud unicum obſervemus;

Summæ eſſe ſtultitiæ extruere religionem Chriſtianam ex principiis philoſophicis; cùm doctrina ſalutis per voluntariam Dei patefactionem reveletur, non per humani ingenii acumen inveniatur. Hîc itaque turpiſſimè errârunt Scholaſtici doctores, & qui illorum veſtigiis inſiſtunt Papiſtæ, dum pro fidei Chriſtianæ articulis, multa obtrudunt, quæ non ex revelatione divinâ, ſed ex diſcurſu cœcæ rationis didicerunt. Hujuſmodi ſunt illa dogmata de libero arbitrio, de juſtitia inhærente, de operum meritis, & alia quamplurima quæ petuntur ex Ethicis Philoſophi, non ex Epiſtolis Pauli. Hîc itaque locum habere debet illud Apoſtoli, *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam.* Nam *ex Philoſopherum ingeniis omnes hæreſes animantur*, ut verè Tertullianus adverſ. Marc. lib. 1. Hęc de patefactione ipſa. De tempore jam dicendum, Quando patefactum fuit. *Obſerv.*

Sed ſecundo in loco dicit Apoſtolus, *Nunc eſſe patefactum hoc myſterium.*

Hoc temporis Adverbio monet Coloſſenſes de præſenti occaſione, & opportunitate, quam voluit Apoſtolus ut arriperent. Quaſi

ſi diceret, Illud quod fuit retroactis ſeculis abſconditum, non potuit ab illis cognoſci & recipi ad ſalutem, ſed quod gratuito Dei favore Nunc per Apoſtolos vobis patefactum, & revelatum eſt, & debet, & poteſt Nunc à vobis agnoſci, ac recipi.

Obſerv. 1. Omnibus Chriſtianis hoc incumbit, ut utantur temporis beneficio, & opportunitate, juxta illud ad Hebræos, 3. 15. *Dum dicitur hodie ſi vocem ejus audieritis ne obdurate corda veſtra.* Si enim reſpuamus Evangelium, major erit noſtra condemnatio, quia fuit nunc nobis patefactum, quàm illorum qui præteritis ſeculis vixerunt, in quibus erat abſconditum.

Obſerv. 2. In eo quod dicit *nunc eſt patefactum*, obſtruit illorum ora qui clamitant doctrinam ſalutis eſſe obſcuram & tenebricoſam. Fuit quidem Evangelii myſterium abſconditum, ſed nunc patefactum eſt, & ingerit ſe in oculos omnium: *Si obſcurum ſit Evangelium noſtrum, iis qui pereunt obſcurum eſt*; 2. Cor. 4. 3. Fatemur quoſdam particulares locos in Scripturis eſſe obſcuros; ſed dogmata omnia ad ſalutem neceſſaria, perſpicuè & clarè patefacta ſunt toti mundo ab Apoſtolis. Sic ſenſerunt omnes Patres, quicquid contrà obganniunt Sophiſtæ. Pauca teſtimonia è multis ſeligemus.

Clemens Alex. in Protrep. appellat Scripturam *Solem animæ. Nullis*, inquit, *celatum eſt verbum, lux eſt communis omnibus. Nullus eſt in verbo Cimmerius.*

Auguſtinus lib. 2. de doctrin. Chriſtian. cap. 9. *In iis quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moréſque vivendi.*

Chryſoſt. hom. 3. de Lazar. *Philoſophos*, ait, *obſcurè ſcripſiſſe: at Apoſtoli*, inquit, *& Prophetæ, omnia è contrà fecerunt; manifeſta claráque quæ prodiderunt, expoſuerunt omnibus veluti communes orbis doctores, ut per ſe quiſque diſcere poſſit ea quæ dicuntur, è ſola lectione.*

Hiſce Patrum teſtimoniis Gerſonis illud adjungemus, part. 1. *Senſus literalis Scripturæ ſatis expreſſus eſt in iis quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem.* Ex his collige quanto ſcelere ſe obſtringunt Prælati Pontificii, qui falſo obſcuritatis prætextu, quaſi ſalutis myſterium non eſſet patefactum, eripiunt populo libros Evangelicæ doctrinæ, & illorum loco ſua deliria & traditiones obtrudunt. ſed nos dicimus in doctrina Apoſtolorum patefactum nunc eſſe ſalutis myſterium, non licitum eſſe, aut Evangelium occultare, aut nova ſalutis myſteria procudere.

Sanctis ejus] Hiſce in verbis docet quibus fuit patefactum Evangelium.

Alii per *Sanctos* intelligunt eos quos Deus in Chriſto conſecrandos decrevit, id eſt, Electos. Alii reſtringunt ad Apoſtolos & Evangeliſtas, aliósque Prophetico ſpiritu imbutos, quibus hoc

myſte-

myſterium fuit à Deo immediatè patefactum, ut illi eſſent Miniſtri ejus in illo revelando toti terrarum orbi. Putant hos καλ' ἐξοχὴν appellari Sanctos. Si primum ſenſum & interpretationem ſequamur, intelligere debemus non quamlibet patefactionem, ſed efficacem & ſalutiferam in cordibus audientium, quæ gignat non nudam cognitionem Chriſti, ſed fiduciam ſimul in Chriſto cognito. Hoc enim modo ſolis Sanctis patefactum eſt Evangelium, juxta illud Eſaiæ 53. 1. *Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt?* Quibus conſonum eſt illud Servatoris, Mat. 13. 11. *Vobis datum eſt nôſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum.* Audire, datum & conceſſum eſt omnibus; ſed nôſſe ad ſalutem, ſolis Sanctis & Electis. Hinc duas doctrinas eliciemus.

Paucitas verè credentium, & ex animo amplectentium veritatem Evangelicam, non præjudicat ejus dignitati aut veritati: nam licèt ubique ſeminetur, radices tamen agit ſolummodò in cordibus Electorum, in quibus Spiritus ſanctus potenter operatur. *Non enim eſt omnium fides. Sed qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Ioan. 8.47. Quia ipſe *aperit cor* Electorum, *ut intendant* Evangelio. Act. 16. 14. *Niſi Spiritus ſanctus cordi adſit audientis, otioſus eſt ſermo loquentis*, inquit Gregorius. *Multi audiunt* (inquit Auguſtinus) *ſed illis ſolis perſuadetur quibus intus loquitur Deus.* 1

Sapientia ſalutaris ſolummodò in ſanctis & piis reperitur: impiis & impuris prædicantur myſteria ſalutis, ſed non patefiunt ad ſalutem: nam *audiendo non audiunt, & intelligendo non intelligunt. Animum malevolum non ingreditur ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ fugiet fictum.* Sapient. 1. Sapientia vera in Dei myſteriis ſemper habet comitem ſanctitatem, improbitas verò inſipientiam. 2

Sed uti dictum eſt, alii per *Sanctos* hoc in loco intelligunt ſanctos Apoſtolos, quibus peculiari quadam ratione patefactum fuit illud myſterium abſconditum.

Si admittamus hanc expoſitionem, tum intelligere debemus extraordinariam, & immediatam patefactionem à Spiritu ſancto: nam Spiritus ſanctus myſterium ſalutis patefecit ſanctis Apoſtolis immediatè, ut mediante illorum Miniſterio patefieret omnibus aliis. *Paracletus autem Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit.* Ioan. 14.26. Vt habeamus itaq; plenam Apoſtoli ſententiam, utraque interpretatio conjungenda eſt; primariò ſanctis Apoſtolis, ſecundariò aliis Sanctis: immediatè Apoſtolis, mediatè omnibus Dei ſervis patefactum eſt hoc myſterium.

Vers.27. *Quibus voluit Deus notum facere quæ ſint divitiæ glorioſi hujus myſterii inter gentes: Chriſtus ſcilicet in vobis ſpes gloriæ.*

De abſcondito & patefacto ſalutis myſterio diximus ex verſu

ſupe-

ſuperiore: jam progrediendum eſt cum Apoſtolo, qui in hoc verſu tria agit.

1. Rationem adjungit cur illud myſterium à tot ſeculis abſconditum, ſit nunc patefactum Sanctis ejus.

2. Novis encomiis obiter adornat hoc ſalutis myſterium, nimirum Opulentiæ & Gloriæ.

3. Speciatim explicat, quæ ſint divitiæ, & quæ ſit gloria hujus myſterii ſalutiferi; ipſe ſcilicet Chriſtus in nobis habitans per fidem.

Quod ad primum; Adjungit Apoſtolus rationem hujus diſpenſationis divinæ, ut antevertat tacitam objectionem. Quæri enim potuit, ſi doctrina Evangelii ſit doctrina ſalutis, cur tot ſeculis mundo non innotuit? Cur jam ſolis Electis, & Spiritu Chriſti ſanctificatis efficaciter innoteſcit? Hujus diſcriminis cauſam non aliam affert Apoſtolus quàm voluntatem Dei. *Patefactum eſt hoc myſterium quibus voluit Deus illud notum facere.* Eadem igitur Dei voluntas in cauſa eſt & Occultationis, quâ fuit abſconditum à ſeculis præteritis; & Revelationis, quâ nunc patefactum eſt Evangelium Sanctis ejus.

Quidam nugantur, ſeculum illud rude non fuiſſe aptum tantis myſteriis; in hac autem ſenili ſuâ ætate mundum evaſiſſe ſapientiorem, & magis capacem doctrinæ ſalutiferæ. Sed hæc ratio falsâ nititur hypotheſi: nam gratia Dei non ſolet invenire, ſed facere homines aptos ad ſuſcipiendam gratiam. Alii putant Deum peperciſſe illis antiquis ſeculis, non revelando illis doctrinam ſalutis, quia præſcivit eos fuiſſe illam repulſuros. Sed & huic rationi repugnat experientia; nam præviſio contumaciæ & infidelitatis humanæ non impedit promulgationem Evangelii; imò ſinit Deus illud prædicari multis *quibus eſt odor mortis ad mortem*; 1. Cor. 2. 16. Cur itaque tam diu à tot nationibus abſconditum fuit ſalutis myſterium, cur poſtea revelatum, aliam cauſam aut quærere, aut aſſignare non oportet, extra voluntatem divinam, *Qui præteritis ætatibus ſivit omnes gentes ingredi vias ſuas*; Actor. 14. 16. Hinc diſce,

1 Temerarium eſſe illud Scholæ pronuntiatum, Ad divinam providentiam pertinere, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem. Cùm enim revelatio Mediatoris ſit ad ſalutem conſequendam abſolutè neceſſaria, neque proviſum fuerit tot generationibus de revelatione & cognitione hujus Mediatoris; aut illorum ſententia falſa eſt, aut Dei providentia imperfecta. Nam *nemini ſalus concedenda, niſi cui divinitus revelatus fuit unus Mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus*; ut verè Auguſtinus de Ciuit. lib. 18. cap. 47.

2 Et illud Scholæ etiam vacillat, *Nullus eſt qui ſi fecerit quod in ſe eſt, quin Deus revelabit ei ea ſine quibus non eſt ſalus.* Durand.

2. &

2.lib. Et aliud huic affine,lib.3.*Bene viventi ſecundum legem naturæ,Deus ſubveniet in neceſſariis ad ſalutem.* In duobus errant hęc axiomata Scholaſticorum. Primùm,in eo quod ſupponunt; ſcilicet hominem in corruptis naturalibus, poſſe bene vivere,aut poſſe conari ad gratiam. Secundò, in eo quod ponunt; ſcilicet hiſce operibus & conatibus naturæ deberi revelationem gratiæ ſalutiferæ. Multò doctiùs Proſper, *Impietatis eſt*, inquit, *docere ipſam gratiam qua ſalvamur, aut bonis meritis rependi, aut malis arceri*; Ad Capit. Gallor. reſponſ.8.

Vltimò, ut Dei voluntas ſola cauſa erat nobis nota cur Evangelium,multis ſeculis abſconditum, poſtea erat toti mundo patefactum; ſic eadem voluntas Dei cauſa eſt cur efficaciter Sanctis innoteſcat, quod ſine fructu pulſat aures reproborum. Sic hoc in loco Paulus, *Patefactum eſt Sanctis ejus, quibus voluit Deus notum facere.* Sic ipſe Servator, Matth.11.25. *Gloriam tibi tribuo Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & intelligentibus, & revelâſti ea parvulis. Etiam Pater quia ità placuit tibi.* Hæc Dei voluntas de efficaci illuminatione Electorum Practica eſt, & reſpicit ſuppoſitum, ut loquuntur Scholaſtici; operatur igitur illud quod approbat. At aliter ſe habet in infidelibus: vult enim Deus ut illi quoque recipiant ſalutiferam doctrinam quæ illis offertur; ſed vult voluntate Approbante, non voluntate Practicâ & Operante. Vnde Proſper ad Capit. Gal. reſpon. 5. *Aliud actum eſt cum eis quorum exteriores aures corporali voce pulſatæ ſunt: aliud in eis quorum interiorem ſenſum Deus aperuit, & in quorum corde poſuit fidei fundamentum, dilectionisque ſerverem.* Atque hæc de cauſa occultationis & patefactionis hujus ſalutiferi myſterii, divino ſcilicet beneplacito. 3

Quæ ſunt divitiæ glorioſi hujus myſterii inter gentes] 2

Iam novis encomiis adornat myſterium Evangelii omnibus Gentibus oblati, ſed Sanctis efficaciter patefacti: illi enim aſcribit πλοῦτον, & δόξαν· eſt myſterium dives vel opulentum; eſt myſterium glorioſum.

Primò,quod ad *divitias* hujus myſterii attinet, in hac vocatione Gentium Deus explicavit theſauros ſuos ſpirituales, & obtulit hominibus ingentes & admirabiles divitias, ſcilicet miſericordiæ, bonitatis, gratiæ ſuæ; ut eſt 2. ad Epheſ. 7. oſtendit ſeculis τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ. Nec ſolùm offeruntur ex parte Dei; ſed nos etiam hinc nacti ſumus divitias maximè expetendas, ſapientiæ, juſtitiæ, ſanctificationis, redemptionis, ſi ſumus in numero Sanctorum ejus. De hiſce divitiis loquitur Chriſtus, Apocalyp.3.18. *Conſulo tibi ut emas à me aurum igni exploratum, ut dives ſias; & veſtimenta alba, ut induaris, nec appareat dedecus nuditatis tuæ.* Hiſce divitiis refertum eſt hoc myſterium Evangelii.

1 Hinc discе, Absque gratia Evangelica totum mundum in miseria, inopia, & mendicitate versari: non sentiunt fortasse cœci homines hanc suam spiritualem mendicitatem, sed isto stupore non levatur inopia; ut est Apoc. 3. 17. *Dicis, dives sum, & ditatus sum, & nullius egeo: Neque nôsti te esse ærumnosum, & miserabilem, & pauperem, & cæcum, & nudum.* Talis est eorum omnium conditio, qui nondum participes facti sunt harum divitiarum quas Evangelium in apricum protulit.

2 Hinc videmus, quas divitias sitire nos oporteat, & inexplebili cupiditate perquirere; non istas lutosas è luto terræ erutas, sed has cœlestes, & spirituales è cœlo demissas. Hæc enim gratia, quæ in Evangelii mysterio continetur, est illa *pulchra margarita, quâ semel conspectâ, prudens negotiator vendit illico omnia quæ habebat, ut emat eam*; Matth. 13. Quemadmodum igitur insanus haberetur Regis aut divitis cujuscunque hæres, si contemptis paternis thesauris, de fimo stabuli paterni thesauros sibi corraderet: sic meritò dementiæ suspicionem incurrunt, qui, neglectis hisce divitiis quas cœlestis Pater in Evangelio nobis pollicetur, toti sunt in corrogandis terrenis divitiis, quæ præ illis alteris pro stercoribus ducendę sunt; Philip. 3. 8.

3 Non incommodè ex eo, quòd tantæ divitiæ continentur in mysterio Evangelii, deducitur dignitas Ministerii Evangelici: quid enim honorificentius cogitari potest hoc munere Ministrorum, quod illis potestatem facit tantas ac tales divitias dispensandi? Quisquis igitur hos spernit, indè arguitur ipsum Deum spernere, & instar porci margaritam Evangelicam conculcare. Atque hæc de divitiis hujus mysterii.

Sed quasi hoc parum esset, addit Apostolus mysterium hoc salutis nostræ non modò esse Opulentum, sed valde *Glorioſum mysterium*; Τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης, &c. Et sanè observandum est Apostolum non solùm hoc in loco, sed ubique ferè cùm loquitur de divitiis hujus mysterii Evangelici, aliquid etiam de *gloria* ejusdem adjungere. Sic ad Rom. 9. 23. *Vt notas faceret divitias gloriæ suæ, &c.* Et ad Ephes. 1. 18. *Optat illis oculos illuminatos, ut sciant quæ sit spes vocationis Evangelicæ, & quæ opes gloriæ hæreditatis cœlestis in Sanctis.*

De gloria mentionem facit Apostolus, ut offendiculo contemptus obviam eat: nam carnalium hominum judiciis contemptibilis videtur doctrina Evangelii; exaggerat itaque splendidis hisce elogiis ejus dignitatem, ut omnes indè intelligant, nihil esse in Evangelio quod jure contemnatur; imò omnia in eo esse tam glorioſa, ut meritò omni honore afficiatur.

Hoc mysterium salutis in Evangelio comprehensum, rectè dicitur glorioſum duas ob causas; quarum una consideratur ex parte Dei, altera ex parte Nostri.

Ex

Ex parte Dei; quia nihil tàm illuſtrat gloriam divinam, quàm hæc patefactio gratiæ Evangelicæ in Chriſto. Vnde ille hymnus Angelicus, Luc.2.14. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, in hominis benevolentia.* Nam cùm vera gloria oriatur ex manifeſtatione virtutis, omnes virtutes divinæ reſplendent in gratuita Gentium vocatione ad ſalutem per Evangelium.

Reſplendet divina veritas, miſericordia, juſtitia, ſapientia; quod copiosè oſtendi poſſet, ſi in animo eſſet in hunc locum cõmunem excurrere. Sed ut in una virtute inſiſtamus, nimirum in miſericordia divina, de qua bene dixit Orator, Offic.2. *Maximè gloria paritur, ſi quando accidit ut ei ſubveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri urgerique videtur.* Cui adjicere poſſumus, hanc gloriam præcipuè comparari, cùm quis exerceat hanc beneficentiam, nullo alterius merito provocatus, nullo mercedis intuitu invitatus. Vt hæc itaq; accommodemus ad inſtitutum noſtrum;

Totum humanum genus potentiſſimi hoſtis (Diaboli nimirum) tyrannide oppreſſum jacuit; at Evangelii myſterium docet nos ereptos & liberatos, divinâ miſericordiâ opitulante, nullo noſtro merito præcedente; maximè ergò illuſtrat gloriam Dei, & rectiſſimè hoc reſpectu dicitur *Glorioſum myſterium.*

Iam ex parte Noſtri dicitur etiam Glorioſum myſterium; quia veram & æternam gloriam pollicetur fidelibus, imò per fidem ponit eos in præſenti poſſeſſione gloriæ. Hoc nomine præfertur Legi Moſaicæ, 2. ad Corinth. 3.7. *Si mortis miniſterium fuit glorioſum, quomodo non magis miniſterium Spiritus erit glorioſum?* Et ad Hebræos 12.18. *Non acceſſiſtis ad montem tractabilem, & ignem accenſum, ac turbinem, & caliginem; ſed acceſſiſtis ad montem Sion, & civitatem Dei vivi, Hieruſalem cæleſtem, & myriades Angelorum.* Ad hanc gloriam ſanctos & fideles vocat & perducit Evangelium; quocircà optimè nuncupatur *myſterium glorioſum.*

Hoc attributo taxantur duo hominum genera; unum illorum, qui ſic interpolare & corrumpere niſi ſunt doctrinam Evangelii, ut in eo *divitias* & *gloriam* divinæ miſericordiæ vix queas agnoſcere. In hoc graviſſimè peccant Pontificii, qui dum meritis, & ſatisfactionibus ſuis, dum libero arbitrio aliiſque nugamentis aſcribunt vim peccata abluendi, & ſalutem procurandi, obſcurant illam gloriam divinæ miſericordiæ, & bonitatis gratuitæ, quæ facit hoc myſterium glorioſum. Non eſt enim Deo glorioſum hoc Evangelii myſterium, ſi nobis licitum ſit in operibus noſtris gloriari, quòd illorum meritis ſalutem conſequamur. *Reprehen.*

Perſtringuntur etiam & illi, qui in profeſſione Evangelii nihil aliud aut curant aut quærunt, quàm pacem externam, mundanos honores & id genus commoda temporalia. Eſt quidem fructuoſum, honorificum, & glorioſum hoc Evangelii myſterium; ſed alios fru-

ctus, alios honores, aliam denique gloriam pollicetur. Non pecuniæ fructus, ſed juſtitiæ; non mundi honores, ſed cœli; non gloriam vanitatis, ſed æternæ beatitudinis apportat. Hanc itaq; gloriam quærere oportet in hoc glorioſo myſterio: juxta illud Chriſti monitum, Mat. 6.33. *Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Videtis quòd divitiarum & gloriæ theſaurus propoſitus ſit nobis in Evangelio: jam in quo ſitæ ſunt hæ divitiæ, & hæc gloria, & quomodo ad nos deriventur deinceps dicendum eſt.

Ὅς ἐστι χριστὸς ἐν ὑμῖν, ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης] Vocabulum, ὅς, ad πλοῦτον referre oportet, non ad μυστήριον celebravit verbis præcedentibus πλοῦτον, id eſt, divitias, vel opulentiam hujus myſterii Evangelici; jam ad Exegeſin ſubjungit ὅς πλοῦτος, quę divitię, vel quę opulentia ipſe Chriſtus eſt, dum in vobis inhabitans ſpem æternæ gloriæ vobis affert. Sunt itaque hîc duo notanda.

1. Quòd ipſe Chriſtus eſt nobis theſaurus ſpiritualium divitiarum, quæ offeruntur in Evangelio.

2. Quod Chriſtus hoſce theſauros nobis largitur, quatenus eſt in nobis; nam ſic eſt Spes gloriæ.

Non opus eſt, ut multis oſtendamus nos habere in Chriſto reconditos theſauros omnium ſpiritualium bonorum quę in Evangelio offeruntur. Nam hoc nomine dicuntur *imperveſtigabiles Chriſti opes*, Epheſ. 3. Et 2. ad Coloſ. diſerte affirmat Apoſtolus, *in Chriſto reconditos eſſe omnes theſauros ſapientiæ & cognitionis.* Ratio hujus rei manifeſta eſt, quia ſcilicet Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ; à Capite autem tanquam à fonte dimanat omnis vita & motus gratiæ ſpiritualis ad membra inferiora. Neque ſolùm gratiam omnem inhærentem habemus à Chriſto derivatam; ſed gratiam acceptationis divinæ ad vitam æternam habemus etiam quatenus in Chriſto Capite cenſemur, & illius perfectiſſimâ juſtitiâ veſtimur. In Chriſto igitur ſitæ ſunt omnes noſtræ divitię. In Chriſto ſita ſpes noſtræ gloriæ.

Sed quia clarum & perſpicuum eſt, omnes non fieri participes harum divitiarum; igitur ſecundo in loco adjungit Apoſtolus, quomodo Chriſtus fiat hominibus theſaurus ſalutarium bonorum, quomodo in Chriſto habent ſpem gloriæ; ſcilicet quatenus eſt in illis, eatenus habent ſpem gloriæ. Chriſtus autem dicitur Eſſe vel Habitare in aliquo, quando Spiritu ſancto fidem in corde humano excitante, conſequitur quis veram ejus notitiam, & vivam fiduciam ex cognitione manantem. Qui ergò verè credit illa omnia quæ ſpectant ad naturas, ad unionem naturarum, & ad officia Chriſti; utpote illum eſſe verum Hominem, & verum Deum, Mediatorem, & Redemptorem humani generis, & cætera quæ in verbo revelantur; quique inſuper per afflatum ejuſdem Spiritus plenam habet perſuaſionem Chriſtum eſſe talem ſibi,

qualis

qualis est in seipso, id est, esse suum Deum, suum Mediatorem, suum Redemptorem & Salvatorem; qui, inquam, hæc credit, in eo manet Christus, & ille in Christo, & hujus Spiritus & fidei operatione omnes Christi divitiæ illi communicantur. Sic Ioa. 15. Christus ostendit nos planè mortuos esse quoad vitam spiritualem, si ab illo sejungamur. *Ego sum vitis, & vos palmites: is qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum; qui non manserit, abjectus extra vineam, statim ut palmes arescet.* jam vero manemus in Christo, fidei & Spiritus vinculo colligati.

Quandoquidem dum Christus extra nos est, non possumus fieri participes spiritualium bonorum; operam demus, ut per fidem illum ad nos domum deducamus: nam, ut verè Cyprianus, *fide, non complexu in hac vita Christo conjungimur.* *Usus* 1.

Cùm nec in nobis ipsis, nec alibi extra unum Christum spem gloriæ obtinendæ invenire possumus, nec in Angelis, nec in Sanctis; multò minùs in operibus propriis illam quæramus. *Usus* 2.

Ne quæras operum vestes: confusio vultus
Illa tui; sordent sanguine cum sanie.

Vt præclarè Gerson in poemate quod appellat Testamentum Peregrini; par. 2.

Atque hæc de illis tribus, quæ initio à nobis proposita sunt, dicta sufficiant; scilicet,

De causa Occultationis & Revelationis salutiferi mysterii hujus.

De laudibus ejusdem; quòd sit Opulentum mysterium, quòd sit Glorioſum.

De illo denique, per Quem, & in Quo nos participes facti sumus omnium bonorum spiritualium, nempe per Christum, & in Christo, mediante Spiritu, & Fide per Spiritum donatâ.

Vers. XXVIII.

Quem nos annuntiamus admonentes omnem hominem & docentes omnem hominem in omni sapientia, ut sistamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.

MVlta argumenta ab Apostolo adhibita fuere, ad confirmandos Colossenses in recepta Evangelii doctrina; jam novum adjungit, ductum à labore suo ad provehendam hanc doctrinam. Quasi diceret, Quod vobis Epaphras prædicavit, idem Evangelium & ego toti mundo annuntio; quod non facerem, nisi pro certo haberem hanc esse unicam salutis doctrinam: nolite igitur ab ea dimoveri. Sed ut verborum explicationem ingrediamur; tria hîc facit Apostolus.

1. Ostendit subjectum principale prædicationis suæ; *Quem*

nos annuntiamus &c.

2. Exponit etiam modum prædicationis ſuæ; *Admonentes omnem hominem &c.*

3. Declarat denique ſcopum prædicationis ſuæ; *Vt omnem hominem ſiſtamus &c.*

1 *Quem nos annuntiamus*] Quem, ſcilicet Chriſtum, Dei Imaginem, Caput Eccleſiæ, Fontem plenitudinis, unicum humani generis Mediatorem & Redemptorem, in vobis per fidem habitantem, & ſpem æternæ gloriæ vobis conciliantem; hunc, inquam, Chriſtum nos annuntiamus.

Diſcrimen itaque hîc ponit Apoſtolus, inter ſuam doctrinam, & iſtam Pſeudoapoſtolorum. Illi, in ſalutis negotio procurando, Angelos cum Chriſto conjungebant, Opera Legalia cum Fide; ſed Paulus Chriſtum per ſe ſufficere docebat ad explendum munus Mediatoris & Redemptoris; ac fidem in Chriſto, non obſervationem Legis Moſaicæ ſalutem nobis apportare. Hujus itaq; loci hæc doctrina eſt;

Doctr. Chriſtum illi ſoli annuntiant verè, & utl oportet, qui in illo ſolo docent omnem ſpem ſalutis humanæ repoſitam: qui per illum ſolum agnoſcunt divitias gratiæ divinæ ad nos derivari. Talem Chriſtum annuntiarunt Apoſtoli. Sic enim loquitur Petrus, Act. 4. 12. *Non eſt in alio quoquam ſalus, nec aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Sic Paulus, Gal. 5. 4. *Evacuati eſtis à Chriſto, quicunque in Lege juſtificamini, & à gratia excidiſtis.*

Refut. Hinc patet, Papiſtas à ſanitate Evangelicæ doctrinæ aberrare, qui, in opere Mediationis, cum Chriſto Angelos & Sanctos conjungunt; in opere Iuſtificationis, cum Chriſti perfectiſſima obedientia ſuas miſcent juſtitias; in opere Reconciliationis, cum Chriſti ſanguine Miſſas, Indulgentias, proprias ſatisfactiones conglutinant. Non Chriſtum, ſed ſui cerebri figmentum annuntiat, qui illum facit ex dimidia tantùm parte Mediatorem & Servatorem hominum. Nam hoc eſt errare in principali ſubjecto prædicationis Evangelicæ.

2 *Admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni ſapientia.*]

Iam ſuæ prædicationis modum deſcribit Apoſtolus. Tria autem ſunt hîc obſervanda.

Primo in loco obſervandum eſt, quòd Miniſterium Evangelicum ad duo officia revocat; Admonendi, & Docendi. Vocabulum νουθετεῖν, quod hoc in loco uſurpatur ab Apoſtolo, latiùs mihi patere videtur quàm Latinum hoc vocabulum *admonendi*. Eſt enim *mentem bonam alicui indere*; quod fit, non ſolum admonendo, ſed increpando, conſolando, multiſque aliis modis. Omnis itaque Miniſtri opera & induſtria, quæ ſpectat ad affectus ritè ordinandos,

dinandos, & in id conducit, ut ſalutifera doctrina radices agat in cordibus hominum, pertinet ad hanc νουθεσίαν. Sive igitur corripiantur delinquentes, ſive excitentur negligentes, ſive recreentur dejecti & mœrentes, ſive quocunque modo voluntas & affectiones reformentur, id omne ſpectat ad primam hanc Miniſterii partem, ſcilicet νουθέτησιν. Vnde Clemens, Pædag. lib. 1. cap. 8. ἡ νουθέτησις διττὰ δὴ νοσούσης ψυχῆς, ὃν χρὴ μεταλαμβάνειν συμβουλευτικὴ, καὶ ὧν ἡ καὶ ἀπαγορευτική. Hæc igitur pars Miniſterii potiſſimùm verſatur in hominum moribus reformandis. Neque eſt idcirco hæc opera contemnenda, quia nota ſunt & protrita ut plurimùm quæ dicuntur à Miniſtris in exhortationibus ac reprehenſionibus: nam ſapienter Seneca; *Etiam aperta monſtrare plurimùm prodeſt. Interdum enim ſcimus, nec attendimus. Licèt nil doceat admonitio, excitat tamen & continet memoriam, nec patitur elabi. Sæpè animus etiam aperta diſſimulat. Ingerenda eſt itaq; illi notitia rerum notiſſimarum.* Hæc Seneca, Epiſt. lib, 14. epiſt. 95.

Altera pars prædicationis Evangelicæ in docendo cernitur. Διδάσκειν autem refertur ad intellectum, quemadmodum νουθετεῖν ad affectum ſeu voluntatem. Eſt igitur Miniſtri non modò pravos affectus & mores corrigere; ſed etiam cœcum intellectum illuminare. Debet enim eſſe, & *inſtar ſalis*, ad ſiccandas affectionum putredines; & *inſtar lucis*, ad diſcutiendas mentis tenebras: alterum fit monendo & corripiendo; alterum docendo & erudiendo.

Doctrina autem duplex eſt, Legis, & Gratiæ: ad Miniſteriale officium pertinet utramque explicare, eóſque etiam locos omnes qui ad plenam utriuſque intelligentiam requiruntur, atque oppoſitos errores refellere. De doctrina Gratiæ nemo dubitat, quin proprium ſit Miniſtri Evangelici, omnia illius myſteria recludere; ſed de doctrina Legis etiam patet, quòd ſpectat ad eundem in vera Legis cognitione populum Dei erudire. Eſt enim Lex dictatum Divinæ mentis, & regula voluntatis atque operationis humanæ: unuſquiſque autem tenetur illud ſcire, ad cujus normam debet vitam ſuam componere.

Sed hîc in docendo facilè erratur, niſi cautiones quædam adhibeantur. Cavendum itaque eſt in proponenda Legis doctrina, ne hominum mentes in ea ſiſtantur, quaſi poſſent ſalutem in ejuſdem obſervatione invenire; ſed per Legis ſeveritatem ad Chriſti miſericordiam ſunt producendi: *Lex enim eſt Pædagogus ad Chriſtum.*

Illud etiam obſervandum, ut doctrina Legis aliter accommodetur fidelibus & verè pœnitentibus, aliter improbis & contumacibus: proponenda eſt piis tantummodò ut regula ſanctæ vitæ, in qua ambulandum eſt ut Deo pareant, non ut ſeipſos indè juſtificent: proponenda eſt impiis, non modò ad illorum vitam dirigendam, ſed ad terrorem incutiendum, ad demonſtrandam juſtam

illorum damnationem, ni reſipiſcant, & ad Chriſtum Mediatorem confugiant. Atque hæc de duplici officio Admonendi & Docendi. Iam, ſecundo in loco, quò ſe extendat hoc officium conſideremus.

Omnem hominem] Hoc ingeminat Apoſtolus tres (ut mihi videtur) ob cauſas.

1. Vt oſtendat ſe habere Apoſtolicam authoritatem, & proinde jure ſuo poſſe admonere & docere non modò ipſos Coloſſenſes, ſed illos etiam doctores, qui puritatem doctrinæ Evangelicę corrumpere ſatagebant.

2. Vt omne Gentium diſcrimen ſublatum oſtenderet, & Evangelium non uni Nationi, ſed ex æquo patere omnibus. Vnde ad Rom. 1. *Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.*

3. Vt ſtudium ſuum, & animum declararet intentum, non hujus aut illius ſaluti, ſed omnium. Vt enim medicus artis ſuæ finem non ſibi proponit hujus aut illius individui curationem, ſed omnium quotquot poteſt ſanare: ſic medicus animarum operam ſuam (quantum in ſe eſt) omnibus præſtat.

Uſus. Hoc exemplum imitandum eſt omnibus verbi Miniſtris, qui etſi non habent officium Apoſtolicum omnes nationes erudiendi; habere tamen debent animum Apoſtolicum, omnes ſibi commiſſos ad Chriſtum perducendi. Hunc animum oſtendere debent admonendo & docendo omnem hominem illorum Miniſterio ſubditum. Nec pauperes ſpernere oportet, nec magnates ità pertimeſcere, ut deficiant ab hoc impoſito docendi, & admonendi munere. *Quicunque Dei præcepta non facit, & corripi non vult, etiam propterea corripiendus eſt, quia corripi non vult.* Auguſt. de Corrept. & gr. cap. 5.

2. *Cor.* 10. 4

In omni ſapientia] Hoc ultimum eſt, quod obſervare oportet in Modo Apoſtolicæ prædicationis; ſcilicet illum nihil celâſſe, ſed omnem hominem in omni ſapientia erudiviſſe. Quod autem dicit, *in omni ſapientia*, non eſt extendendum ultra limites præſentis materiæ; ſed applicandum eſt tantummodò ad omnem ſapientiam ſalutarem, vel ſaluti neceſſariam.

Non enim profitetur ſe doctorem ſecularis ſapientiæ, quæ lumine rationis comprehenditur; ſed cœleſtis & ſpiritualis, quæ cernitur lumine fidei, & in Evangelii doctrinâ continetur. Quicquid itaque ad ſalutem per Chriſtum obtinendam erat cognitu neceſſarium, id omnibus palam expoſuit Apoſtolus. Hunc eſſe ſenſum Pauli conſtat ex collatione aliorum locorum, in quibus etiam profitetur hanc eandem induſtriam ſuam in erudienda Eccleſia. Actor. 20. *Vos ſcitis quomodò nihil ſubtraxerim vobis utilium; quò minùs annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos: teſtificans Iudæis, atque Gentibus, in Deum pœnitentiam & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Et ſtatim addit,

dit, *Conteſtor vos hodierna die quia mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quò minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Hinc multa Corollaria deduci poſſent.

1. Summa ſapientiæ Chriſtianæ in hoc ſita eſt, ut à ſolo Chriſto pendeamus; atque ut intelligamus Dei conſilium de ſalute noſtra per illum procurandâ: qui hoc probè tenet omni ſapientiâ inſtructus cenſetur.

2. Quicquid ad ſalutem in Chriſto conſequendam neceſſarium eſt, id Apoſtoli omnibus promulgârunt; ergò occultę traditiones (de quibus multa ſalutantur Papiſtæ) non ſunt partes ſapientiæ hujus ſalutiferæ. Ratio manifeſta eſt. Nam ſapientia ſalutifera omnibus palam prædicata fuit ab Apoſtolis: ſed hæ traditiones (ut illi volunt) non omnibus, ſed Prælatis tantùm, vel quibuſdam perfectioribus concreditæ fuerunt: illarum itaque cognitio non eſt Chriſtiano neceſſaria ad ſalutem. Si Patres conſulamus, etſi traditiones aliquas concedunt, quod attinet ad ritus externos & adiaphoras Eccleſiæ conſuetudines; tamen quod ad ſalutis & fidei negotia ſpectat, omnes docent doctrinam Scripturæ, ab Apoſtolis prædicatam, & poſteà ſcriptis conſignatam, ſufficere. *Nobis* (inquit Tertullianus) *curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Evangelium*; de Præſcrip. Et Auguſtinus ſuper Ioan. cap. 11. tract. 49. *Electa ſunt quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur.* Plura non addo, quia hunc errorem non ſemel perſtrinximus.

3. Non eſt idoneus Miniſter Evangelii, qui non eſt διδακτικὸς, imò qui non novit populum Dei in omni ſapientiâ erudire. Sic enim Paulus (ad Tit. 1. ver. 9.) in Paſtore Evangelico requirit *ſanæ doctrinæ* non modò ſcientiam, ſed *tenacitatem, quo poſſit alios in ſana doctrina inſtituere, & contradicentes convincere.* Qui hoc aut nequeunt, aut nolunt facere, aſpiciant quo reatu aſtringantur, qui *dum fratribus verbum prædicationis ſubtrahunt, morientibus animabus vitæ remedia abſcondunt*; ut loquitur Gregorius in Paſtorali.

Atque hæc de Subjecto primario, atque etiam de Modo prædicationis Apoſtolicæ: in quo hæc tria complexus eſt Apoſtolus. Principales partes Evangelicæ prædicationis, nempe Admonitionem & Doctrinam. Perſonas quas docere oportet, Omnes ſcilicet homines. Denique Materiam quam populo tradere oportet, Omnem ſcilicet Sapientiam ſalutiferam. A Modo, ad Scopum ſive Finem Evangelici Miniſterii tranſeundum eſt.

Vt omnem hominem ſiſtamus perfectum in Chriſto Ieſu] En metam & ſcopum Pauli, atque adeò omnium verbi Miniſtrorum; nimirum, ut quoſvis adducant ad ſalutarem cognitionem Chriſti, in quo habent ſuam perfectionem Chriſtiani. Sed hîc perſpicuitatis causâ duo ſeorſim explicabimus. Primum erit de Intentione 3

ne Pauli: ſecundum de Perfectione Chriſtiani; nimirum qua in re ſita ſit.

Queſt. Quod ad primum, quæritur utrùm hæc Pauli intentio non ſit inordinata vel frivola, cùm certiſſimum ſit, maximam hominum partem ad Chriſtum non adduci Miniſterio Evangelico. Multi enim licèt vocentur, pauci tamen veniunt, nimirum qui eliguntur: cur itaque intendit, quod ſit nunquam futurum?

Sol. Neque inordinata, neque inanis eſt intentio & opera Apoſtoli, eò ſpectans, ut omnes adducat ad Chriſtum, quamvis pauci reapſe adducantur. Non eſt inordinatum, hoc Pauli deſiderium, duas ob rationes. 1. Quia eſt charitatis regulæ conſentaneum: nam juxta regulam charitatis, de quolibet præſumendum eſt bonum, donec conſtet contrarium: at non conſtat Miniſtris de ullo homine particulari, quòd non ſit ſalvandus; debent ergò de cujuſcunque ſalute bene ſperare, & omnia facere quæ ad procurationem ejuſdem conducunt. 2. Non eſt inordinatum hoc deſiderium, quia eſt revelatæ voluntati divinæ conſonum. Dei enim revelata voluntas abſque omni perſonarum reſpectu ſalutem offert omnibus in prædicatione Evangelii: nemo excluditur, quem ſua infidelitas non excluſit. Iuxta illud 1. Timoth. cap. 2. verſ. 4. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quod igitur ipſe Deus declarat ſe velle in oblatione Evangelii, id etiam ejus Miniſtri velle debent in prædicatione ejuſdem.

Queſt. Sed hîc alia ſuboritur quæſtio, Si Deus vult omnes ſalvari quibus mittit ſalutiferum Evangelium, cur non omnes ſalvantur; cùm Dei voluntas nec in ſe, nec in mediis per quæ agit poteſt impediri, quin ſemper producat effectum intentum?

Sol. Reſponderi ſolet ex Auguſtino, Cùm Deus dicitur velle omnes homines ſalvos fieri, ſit diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum; ut ſit ſenſus, quòd de ſingulis generibus hominum vult Deus aliquos ſalvos fieri. Sed huic loco magis accõmoda mihi videtur receptiſſima Scholæ diſtinctio de voluntate Beneplaciti, & voluntate Signi. Reſpondemus igitur, voluntatem Beneplaciti ſemper efficaciter impleri, quia in Deo eſt formaliter, & eſt abſoluta ejus & practica voluntas, ſi ſit de bono futuro: ſed voluntas Signi non ſemper impletur, quia non eſt formaliter in Deo, neque eſt abſoluta illius, & practica voluntas, ſed quoad nos declarativa, vel approbativa, ſi ità loqui liceat. Deus igitur dicitur velle illorum omnium ſalutem voluntate Signi, quibus proponit & offert Evangelium, quod eſt Medium ordinarium ad ſalutem efficiendam. Nobis autem non eſt inquirendum in arcanam Dei voluntatem; ſed noſtræ omnes actiones dirigendæ ſunt ſecundum voluntatem revelatam: debemus igitur velle, & intendere illorum omnium ſalutem, quibus Deus concedere dignatur Evangelium ſalutiferum.

Neque

Neque inanis est opera Ministrorum, dum illos ad Christum trahere conantur, qui nunquam venient. Primò, quia dum funguntur suo officio, proprias conscientias exonerant. Secundò, quia licèt in improbis non sortitur effectum optatum hæc opera Ministrorum, consequitur tamen suum finem in omnibus prœordinatis ad salutem. Vltimò, quia hinc improbi & incredvli convincentur in die Iudicii, & absque omni excusatione relinquentur; suis enim concupiscentiis abducti, non paruerunt vocationi. Atque hæc de Intentione Pauli.

Iam de Perfectione Christiani dicendum est. Duplicem perfectionem agnoscunt Scholastici; unam Viæ, alteram Patriæ. Priorem præcipuè hoc in loco respexit Apostolus; ad hanc enim primùm conantur Ministri Evangelici homines perducere, ut illà mediante perducantur ad secundam. Hæc etiam perfectio Viæ dupliciter consideratur: *Perfectus* enim dicitur, cui nihil deest illorum, quæ sunt ad statum salutis necessaria; & sic omnis fidelis est perfectus. Dicitur etiam *perfectus* cui nihil deest in gradibus gratiarum & virtutum; & sic nemo perfectus est. Quilibet enim Christianus semper potest & debet crescere ac progredi in gratia & sanctitate.

Sed qua in re sita est hæc perfectio Christiani? Illud videtur innuere Apostolus, cùm addit (*in Christo Iesu*); *ut sistamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* Cùm igitur nostram imperfectionem & corruptionem agnoscentes, confugimus ad Christum, & fide apprehendimus illius perfectionem, ac Spiritu sancto renovamur in similitudinem ejusdem; tum demum sumus perfecti in Christo Iesu. Hoc igitur dicit Apostolus, Se per prædicationem Evangelii laborare, ut omnium cordibus imprimatur viva fides, & sincera pietas.

Hinc colligimus Ministerium esse veluti manum ipsius Dei ad homines refingendos, & perficiendos in vita spirituali. Quod fit paulatim & sensim, si de perfectione quoad gradus loquamur: *Nam nemo in hac vita perfectè perfectus; non enim adhuc sanata est, sed quotidie sanatur piorum infirmitas:* ut Prosp. de Vit. contemp. 3. 9. Hinc illud Pauli; *Filioli mei, quos parturio usque quò formetur Christus in vobis*; Gal. 4. 19. *Observ.* 1.

Hinc etiam apparet, Monachos superbè sibi solis vendicare statum perfectionis, qui omnibus verè Christianis competit. Ridiculum enim est putare Christianum bonum, non esse in statu perfectionis acquirendæ, nisi sint etiam Franciscanus, aut Dominicanus; cùm Paulus omnes homines exhibere voluit perfectos in Christo, neque tamen vel uni suasit vitam Monasticis votis & regulis adligatam. Sed audiamus gravem Theologum Ioannem Gersonem, qui passim contundit hanc superbiam Monachorum. Contra alter. Matthæi de Grabbon, Part. 1. hasce conclusiones *Observ.* 2.

tuetur

tuetur contra fraterculum quendam. 1. *Religio Chriſtiana poteſt abſque voto obligante ad conſilia, perfectè, imò perfectiſſimè obſervari.* Quod probat exemplo Chriſti, Apoſtolorum, & Sanctorum in Primitiva Eccleſia, qui nec votis, nec regulis Monaſticis erant alligati. 2. *Religiones hujuſmodi factitiæ, impropriè, abuſivè, & forſan arroganter dictæ ſunt ſtatus perfectionis; quia conſtat homines imperfectiſſimos tales religiones profiteri.* 3. *Religio Chriſtiana perfectiùs poteſt & debet obſervari à Prælatis Eccleſiæ, quàm à Monachis.* Et Part. 3. multis argumentis oſtendit, perfectionem Chriſtiani non in voto cœlibatus, paupertatis, aut regularis obedientiæ conſiſtere; ſed in præceptorum divinorum obſervatione. Vnde Clemens Alex. Strom. 7. dicit, *Perfectionem tam in Conjugali, quàm in Monaſtica vita reperiri.* Concludimus itaq; perfectionem hanc de qua loquitur Apoſtolus, non in Monaſticis obſervantiis, ſed in fide, charitate, ac ſanctitate conſiſtere: in quibus qui firmior, ferventior, & robuſtior eſt, is etiam perfectior judicandus.

VERS. XXIX.

Ad quod etiam laboro, decertans ſecundum efficacitatem ipſius operantem in me potenter, vel, *in virtute.*

AMplificat ſuum Miniſterium duplici argumento. A labore ſuo maximo, quem innuit ſub vocabulis *laborandi* & *decertandi*. A Chriſti adjutorio efficaciſſimo, quod exprimit, addendo, *ſecundum efficacitatem ejus operantem in me potenter*. Vtrumq; facit ad confirmandos Coloſſenſes in doctrina Evangelii. Si enim Paulus hanc doctrinam omni diligentia propagavit, decet etiam & Coloſſenſes pari conſtantiâ eandem retinere. Si Chriſtus hanc doctrinam divino auxilio provexit, decet etiam Coloſſenſes eandem tanquam Dei vocem ſuſcipere.

Ad quod etiam laboro; κοπιῶ] Græcum hoc vocabulum non ſimpliciter laborare, ſed vehementer, & ad laſſitudinem uſque ſignificat. Primùm igitur à labore annexo oſtendit Miniſterii ſui & difficultatem, & dignitatem: difficultas enim, quę ex parte operis naſcitur, auget illius dignitatem.

Quot, quantóſque labores Paulus ſubierit in prædicatione Evangelii, ex Actis Apoſtolorum perſpicere poſſumus. Nemo plures Gentes obivit prædicando, nemo cum hoſtibus Evangelii acriùs conflixit diſputando, nemo denique in ullo opere Miniſterii vehementiùs ſe exercuit laborando. Vnde non eſt veritus profiteri, ſe abundantiùs omnibus aliis Apoſtolis laborâſſe, 1. Cor. 15. 10. Hunc igitur Pauli laborem refero ad illas actiones, quibus Evangelium ſtuduit promovere. Sed adjungit Apoſtolus, *Labore decertans.*

ἀγωνιζόμενος]

Ἀγωνιζόμενος] Hoc referendum arbitror ad pericula & paſſiones Pauli, quas in functione officii ſui Apoſtolici ſæpe coactus eſt ſuſtinere: ducitur enim Metaphora ab illis athletis, qui certant in ludis ſolennibus, qui multa patiuntur dura & aſpera in iſtis certaminibus.

Si quis catalogum illarum paſſionum quas Paulus ſuſtinuit videre velit, inſpiciat 2. ad Corinth. 11. 23. &c. ubi gloriatur *ſe in vulneribus, carceribus, mortibus ſæpe fuiſſe: ſe flagellatum, lapidatum, naufragum ter fuiſſe: ſe in periculis fluminum, latronum, Iudæorum, Gentilium, ſe in vigiliis, fame, ſiti, frigore, & nuditate vitam tranſegiſſe.* Cum hiſce omnibus adverſariis Paulus certavit, eóſque omnes ſuperavit patiendo. Vnde 2 ad Timoth. 4. 7. triumphum canit; *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, quod ſupereſt repoſita eſt mihi juſtitiæ corona.* Hinc diſce,

Quòd qui ocium, voluptates, divitias, aut honores ſibi proponunt, non ſunt apti ad Miniſterium Evangelicum. Si enim pecudum paſtores vitam laborioſam ingrediuntur, adeò ut Iacobus verè dixerit de hac ſuâ vitâ paſtoritiâ, *Die noctúque æſtu urgebar & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis*; Geneſ. 31. Tum quantò magis oportet animarum Paſtores nullum laborem detrectare, à quibus Deus exiget quicquid per illorum inertiam perierit? *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*; 1. Tim. 3. 1. *Opus, non dignitatem; laborem, non delicias* (inquit Hieronymus.) *Nam mali Prælati ſunt, qui locum regiminis ad fructum voluptatis tenent, non ad uſum laboris.* Gregor. Moral. lib. 11. cap. 10. 1

Miniſtri ità debent eſſe animo comparati; ut non modò in verbo laborare, ſed pro verbo ſub cruce laborare poſſint. Crux enim omnium piorum peculium eſt, ſed maximè Miniſtrorum. Vnde Chriſtus ad Apoſtolos Ioan. 16. 2. *Tempus veniet cùm quiſquis trucidabit vos, putabit ſe cultum præſtare Deo*; & verſu ultimo, *In mundo preſſuram habebitis.* Dixit quidam, *Regium eſt audire malè, cùm facias bene:* ſed rectiùs dixero, Sacerdotale eſt pati malè, cum facias bene. Hinc Paulus ſcribens ad Timotheum utrumque conjunxit; ἔργον ποίησον εὐαγγελιστοῦ en laborem in agendo: κακοπάθησον en robur in patiendo. Qui hæc duo didicit, is novit cum Paulo κοινῇ συναγωνίζεσθαι, laborem in verbo, preſſuras & pericula pro verbo ſuſtinere. Non poſſunt hæc divelli: nam vocationi ſuæ deerit, quiſquis pro veritate pati formidat. *Patientia ità Dei rebus propoſita eſt, ut nullum præceptum obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare extraneus à Patientia poſſit:* Tertul. de Patien. Eſt enim omnium virtutum clypeus. Hæc de labore: jam de adjutore. 2

Secundum efficacitatem ipſius operantem in me potenter] id eſt, Secundum efficacem operationem Chriſti. Hoc eſt illud alterum

argumentum quo ſuum Miniſterium amplificat, & ſimul modeſtiam, & humilitatem ſuam declarat. Dixerat ſe laborare & decertare, ut omnem hominem perfectum exhiberet in Chriſto: jam addit ſe hoc feciſſe, non humanis aut ſuis viribus fretum, ſed divino Chriſti auxilio roboratum & operatione adjutum.

De hac Chriſti ἐνεργείᾳ tria conſiderabimus, Principium hujus ἐνεργείας vel operationis, Modum, & Effectum.

Omnis operatio fluit ab aliquo principio; rectè igitur quæritur primo in loco, quodnam ſit principium hujus efficaciſſimæ operationis, ſecundum quam Paulus dicit, ſe laboráſſe & decertáſſe tam conſtanter & fortiter.

Reſpondemus, ipſum Chriſtum, vel Spiritum Chriſti, eſſe hujus operationis principium effectivum; ſic enim ipſe Chriſtus promittit, Lucæ ult. 49. *Ecce mittam promiſſum Patris mei in vos: vos autem manete in urbe Hieruſalem, uſque quò induamini virtute ex alto*, id eſt, uſque quò Spiritus ſanctus è cœlo in vos illabatur, qui erit fons & principium virtutis & roboris ſpiritualis in vobis omnibus. Hinc illa Pauli gloriatio, ad Philip. 4. 13. πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ.

Secundo in loco inquirendum eſt, quomodo Spiritus ſanctus efficit in Miniſtris hanc ſufficientiam ad implendum opus Miniſterii. Non modò per concurſum & auxilium potentiæ ſuæ; ſed per influxum, & impreſſionem gratiæ ſuæ. Creat enim in animis Miniſtrorum piorum novas vires, & qualitates quaſdam ſupernaturales, quibus mediantibus idonei ſunt ad faciendum, & patiendum ea omnia quæ Miniſtris Evangelicis incumbunt. Sic Paulus diſertè profitetur, 1. Cor. 15. *Gratiâ Dei ſum quod ſum; & gratia ejus, quæ in me collata eſt, non fuit inanis; ſed ampliùs quam illi omnes laboravi, non ego tamen, ſed gratia Dei quæ mecum eſt.* Et 2. ad Cor. 3. 5. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt, qui nos fecit idoneos Miniſtros novi Teſtamenti.* Quomodo fecit? Per Spiritum ſuum tanquam per principium effectivum; per gratiam Spiritus tanquam per principium formale.

Vltimò, de effectis Spiritus & gratiæ hujus corroborantis dicendum. Quandoquidem igitur requiritur in Miniſtro, ut & agat, & patiatur ea omnia quæ ſunt ad Evangelii profectum neceſſaria; dicimus hujus Spiritus & gratiæ effecta in duplici eſſe diſcrimine. Alia eò ſpectant ut Miniſtrum habilem reddant ad actiones ſuæ vocationis; hujus generis ſunt, illuminatio mentis, ſanctificatio voluntatis, amor, & cura gregis, multæque aliæ dotes, quibus Paulum ornavit & locupletavit hæc Chriſti operatio intus agens in illius animo. Alia eò pertinent ut Miniſtrum faciant fortem & alacrem ad quidvis patiendum pro Evangelio; hujus generis ſunt, fortitudo, conſtantia, patientia, zelus gloriæ divinæ, ac reliquæ omnes virtutes quibus anima fulcitur & ſuſtentatur in perpeſ-

ſione

ſione afflictionum. Poſſumus etiam tertium genus effectuum adjungere, quod ſpectat ad ſucceſſum Evangelii provehendum, & ad conciliandā ipſis Apoſtolis extraordinariam authoritatem; nimirum virtutem miraculorum, quam nonnulli Interpretes putant deſignari cùm dicit Apoſtolus, *ſecundum efficacitatem ipſius* ἐνεργουμένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει· hoc enim accommodant ad δύναμιν miraculorum. Ex hiſce igitur omnibus apparet, Paulum & egiſſe & ſuſtinuiſſe omnia in profectum Evangelii, non propriis viribus, ſed *ſecundum operationem Chriſti agentem in illo*.

Neminem oportet ſuo ingenio aut viribus fretum Miniſterium aggredi, ſed ſuppliciter petere auxilium gratiæ divinæ: nemo enim per ſe idoneus tanto muneri; ſed (ut piè Cyprianus de Nativ. Chriſt.) *Spiritus humilium mentibus ſe infundens, dilatat humani intellectus angustias, & aperit interiores oculos, ut videantur invisibilia.* Sic nemo etiam fortis & firmus à ſe ad patiendum pro Evangelio. Sed ut *Credere*, ſic etiam *Pati pro Evangelio, à Deo datur hominibus*; Philip. 1. 29. *Coroll.* 1.

Neminem oportet deterreri ab officio Paſtorali propter illas injurias & contumelias quæ ſolent Miniſtris inferri: aderit enim Spiritus Chriſti corroborans ad ea omnia ſubeunda etiam cum gaudio. *In mundo afflictionem, ſed in me pacem habebitis*, inquit Chriſtus Ioan. 16. Erit de me interius quod conſolando reficiat, quamdiu erit de mundo exterius quod ſæviendo premat. *Coroll.* 2.

Non Chriſti Spiritu corroborantur, ſed rapiuntur Diabolico, qui cùm premuntur afflictionibus, non patientiam, ſed vindictam meditantur. Atque hîc operæ pretium eſt perpendere, quantum diſcrimen ſit inter Paulum, Petrum, reliquóſque Apoſtolos, & Pontifices Romanos. Apoſtoli contra Tyrannorum perſecutiones armati erant à Deo fortitudine, animi conſtantiâ, patientiâ: at iſti clamitant ſe armatos proditione, cæde, fulmine. Nam Bellarminus docet, Deum non providiſſe de omnibus neceſſariis Eccleſiæ ſuæ, niſi dederit Pontifici poteſtatem transferendi Regna, Reges deponendi, ſubditos à juramento fidelitatis abſolvendi, ſi quando contigerit Regem aliquem Eccleſiæ infeſtum eſſe. *Coroll.* 3.

Non igitur deeſt Eccleſiæ Deus, licèt Pontifici non dederit poteſtatem tollendi Reges: quia Eccleſiæ dedit poteſtatem & voluntatem patiendi pro juſtitia; & quia hiſce paſſionibus Sanctorum adaugetur religio Chriſtianorum; juxta illud Tertulliani in Apologet. *Plures efficimur quoties metimur à vobis: ſanguis Chriſtianorum ſemen eſt Eccleſiæ.*

Vltimò, hinc patet omnem operam Miniſtrorum irritam eſſe quoad auditores, ni adſit hæc Chriſti efficacia operans potenter non minùs in illorum animis, quàm in animis horum. *Paulus plantat, Apollos rigat, ſed Deus dat incrementum*; 1. Cor. 3. 6. *Spiritus ſanctus operetur oportet intrinſecus, ut valeat aliquid medicina* *Coroll.* 4.

dicina quæ adhibetur extrinſecus: niſi hic cordi adſit audientis, ocioſus eſt ſermo loquentis, ut præclarè Auguſtinus.

Primum jam Caput abſolvimus, in quo totius Apoſtolicæ diſputationis fundamenta jacta ſunt, Chriſti titulis explicatis, & doctrinâ redemptionis noſtræ per Chriſtum fixâ & ſtabilitâ; jam in ſequenti Capite aggreditur Apoſtolus illos ſeductores, qui conabantur Coloſſenſes à Chriſto abducere.

Finis primi Capitis.

CAPITIS SECUNDI EXPOSITIO.

DE toto hoc Capite univerſim quædam præmittemus; dein more ſolito particularem contextus explicationem aggrediemur. In hac univerſali diſquiſitione tria breviter oſtendemus. Scopum Apoſtoli in hoc Capite: Statum atque ſummam controverſiæ diſceptatæ: Oeconomiam ſive diſtributionem totius Capitis in partes ſuas.

Quod ad Scopum Apoſtoli attinet, eò collimat in tota hac diſſertatione, ut Coloſſenſes aliósque Chriſtianos firmos & ſtabiles retineat in Evangelica veritate, quæ in ſolo Chriſto omnes ſalutis noſtræ rationes collocat; útque eoſdem muniat contra impoſturas ſeductorum, qui vel doctrinam Philoſophicam, vel cæremonias Moſaicas, vel denique traditiones ſuas adinventas in ſalutis negotio cum Chriſto permiſcebant. In præcedenti igitur Capite (ut prudens Medicus) ſalutiferæ doctrinæ alimentum illis commonſtravit; in hoc noxios, & ſaluti humanæ infeſtos cibos, vitandos præſcribit. In illo, ut bonus Agricola, bonum ſemen in agro Eccleſiæ Coloſſenſis ſeminavit; in hoc, ut cautus Agricola, monet ne obdormiſcant, & zizania interim ab impoſtoribus ſparſa pro tritico accipiant. Hic eſt ergò ſcopus hujus Capitis, ut in vera doctrina retineantur, & confirmentur, atque contra novas corruptelas muniantur.

Iam verò ex his quæ dicta ſunt facile eſt ſummam totius diſputa-

ſputationis ad duas Theſes revocare. Prior hęc eſt; In ſolo Chriſto juxta Evangelicam doctrinam habemus omnem ſalutis ſufficientiam. Poſterior; Quicquid traditionum, cæremoniarum, Philoſophicarum ſpeculationum, extra Chriſtum obtruditur in negotio ſalutis, id totum inane eſt, & impoſtorium. Haſce Theſes ſic tractat Apoſtolus per totum hoc Caput, ut non unam priùs abſolvat dein pergat ad alteram, ſed mixtim & alternatim, ſæpe variatis vicibus, modò hanc, modò illam ponat, probet, & illuſtret. Eo autem conſilio mihi videtur hanc methodum ſecutus Apoſtolus, ut dum utramque crebrò verſat & repetit, tam hanc quàm illam altè infigat animis Chriſtianorum.

De partitione Capitis hujus in ſua membra reſtat ut ultimo in loco dicamus. In quatuor igitur partes totum hoc Caput aptè dividi poſſe videtur.

1. In Exordium ſeu Præfatiunculam, ſeptem primis verſibus comprehenſam.

2. In Propoſitionem cauſæ tractandæ, verſu octavo breviter delineatam.

3. In Confirmationem ſententiæ Apoſtolicæ, ad verſum uſque 16. protenſam.

4. In Concluſionem quæſtionis amplificatam, & illuſtratam (ut fieri ſolet in Epilogis), ad finem uſque.

De Exordio.

INtroſpiciamus jam in Exordium (uti dixi) ſeptem primis verſibus comprehenſum: illud autem ex tribus conſtat partibus.

1. Propoſitione narratoriâ, in qua oſtendit & factum & animum ſuum erga Coloſſenſes, verſu primo.

2. Aitiologiâ, in qua multas rationes affert facti, & propoſiti ſui; à primo ad ſextum.

3. Illatione hortatoriâ, in qua ſuadet ut pareant veritati, nec ſinant inanem eſſe hanc tantam Apoſtoli de illorum ſalute ſolicitudinem; verſu ſexto & ſeptimo.

De artificio hujus Exordii illud auſim dicere, nihil ab Ariſtotele, Cicerone, reliquíſque eloquentiæ magiſtris ſcriptum de conformandis Proœmiis, quod in hoc brevi Exordiolo non obſervetur. Nam legitimo Exordio tria ab illis requiruntur; ***Vt tale ſit quod reddat auditorem Attentum, Docilem, Benevolum.*** Attentos auditores facimus, cùm de rebus magnis & inuſitatis, aut ad eos ipſos qui audiunt pertinentibus nos dicturos oſtendamus. Hæc omnia præſtat Apoſtolus: quid enim majus aut excellentius ***myſteriis Dei, theſauris Chriſti?*** Quid impoſtorum θεολογίᾳ, & veteratoriis artibus aut admirabilius, aut periculoſius? Quid denique propriùs ſpectabat Coloſſenſes, quàm illud ſpirituale ſo-

latium, & *opulentia intelligentiæ*, quam iiſdem in hoc veſtibulo ſuæ orationis pollicetur. Hæc igitur ad Attentionem ſufficiunt.

Iam ad Docilitatem quod attinet; jubent Rhetores, ut in Exordio ſummam cauſæ tractandæ, & ſemina probationum quaſi obiter ſpargamus: eſſe enim debet εὐσυνοπτος τῷ ὅλῳ λόγῳ, ut ſapienter Ariſtoteles in Rhetor. 3. 14. Hoc facit Apoſtolus verſu 3. & 4. In priore fundamentum ponit ſuæ defenſionis: in poſteriore convellit oppoſitum, impoſturæ nomine illud criminando.

De artificioſa benevolentiæ conciliatione non opus eſt multis; paſſim elucet in ſingulis ſententiis. A ſua perſona benevolentiam ſibi conciliat, dum refert quos labores pro illis ſuſceperit, quàm benevolo animo in eos affectus ſemper fuerit; ab Adverſariorum perſona, dum illorum impoſturas & fraudes commemorat; ab ipſorum Coloſſenſium perſona, dum illorum ordinem, fidei ſoliditatem prædicat, & conſtantiam ac progreſſum in hiſce bonis efflagitat; ultimò, ab ipſis rebus, dum ſe pro Chriſti theſauris pugnare docet, Adverſarios pro carbonibus auri loco ſuppoſitis, id eſt, pro deliramentis & impoſturis ſuis.

Quamvis hæc technologica non ſunt valde conjuncta cum inſtituto noſtro, volui tamen obiter illa perſtringere duas ob cauſas. Vna fuit, ne contemnamus libros ſacros, & Scriptores eorundem tanquam expertes eloquentiæ & humanioris literaturæ. Verum eſt enim illud Ambr. Epiſt. l. 8. ep. 63. *Scriptores divinorum librorum, quamvis non ſecundum artem ſcripſerint, ſed ſecundum gratiam, quæ ſupra artem eſt: ii tamen qui de arte ſcripſerunt, in eorum ſcriptis artem invenerunt.* Et illud etiam Auguſt. 4. de Doct. Chriſt. cap. 7. *Sacræ literæ habent, ſed non oſtentant eloquentiam.* Nam Deus, vocis, mentis, & linguæ artifex, utcunque ſermones ſuos fuco carere voluit; utili tamen & ſolido artificio eos prorſus deſtitutos noluit. Vide Rupert. lib. 7. de operibus Spiritus ſancti fusè hoc probantem. Altera cauſa cur levi brachio attigimus hoc artificium orationis Apoſtolicæ fuit, ne ſcilicet homines inertes & indocti, cùm ſcribunt aut prædicant quicquid in buccam venerit, nullo ſtudio adhibito, aut artificio, adblandiantur ſibi, quaſi inſiſtant veſtigiis Apoſtolicis. Illi Spiritus ſancti afflatu extra ordinem adjuti, ordinariis artium præſidiis non eguerunt; at nos, quibus non licet hanc opem miraculi plenam expectare, à ſtudio, ab induſtria, ab artibus, oportet tam in ſcribendo quàm concionando ſubſidium petere. Sed hiſce omiſſis accedamus ad contextum.

CAP.

Cap. II. Vers. I.

Velim enim vos ſcire quantum certamen ſuſtineam pro vobis, & iis qui ſunt Laodiceæ, & quotquot non viderunt faciem meam in carne.

IN hoc verſiculo continetur prima Exordii pars, Propoſitio ſcilicet narratoria; in qua factum animúmque ſuum benevolum erga Coloſſenſes, Laodicenſes, alióſque omnes Chriſtianâ fide imbutos demonſtrat. Cohærent autem hæc verba cum duobus ultimis primi Capitis verſiculis, ut apparet ex illis verbis, θέλω γὰρ, quæ aſpectum habent ad præcedentia, hoc modo. Dixerat ſe in id eniti & decertare, ut quoſvis erudiret, & perfectos ſiſteret in Chriſto Ieſu; jam quod de omnibus univerſim dictum fuit, ſpeciatim & nominatim applicat Coloſſenſibus. Quaſi diceret, Audiviſtis quantâ curâ & ſolicitudine, quantis certaminibus apud alios diſſeminavi Evangelium, diſſeminatum propugnavi, ſeductores oppugnavi: volo inſuper ut intelligatis, veſtri me non oblitum fuiſſe, quos licèt viderim nunquam nec adierim; tamen pro vobis etiam eadem certamina ſuſtinuerim, parem habuerim animi curam & ſolicitudinem. Hæc eſt horum verborum cohærentia cum ſuperioribus.

In ipſorum verborum explicatione tria hæc penſitabimus.

1. Quid ſpectet Apoſtolus toties repetendo & inculcando labores & certamina ſuſcepta pro Eccleſiis; nimirum utilitatem illarum, quod innuit dicendo, *Velim enim vos ſcire.*

2. Quodnam & quale fuit hoc certamen quod Apoſtolus ſubivit.

3. Pro quibus hoc certamen ſuſceptum fuit: quod oſtenditur ſpeciatim & definitè, *pro vobis & Laodicenſibus*; tum indefinitè, *& quotquot non viderunt faciem meam &c.*

Velim enim vos ſcire] Oſtendit Apoſtolus quid ſibi velit commemorandó hæc ſua certamina; non ſcilicet inanem gloriolam indè ſibi venatur, ſed reſpicit fructum & utilitatem redundantem ad Coloſſenſes ex hac ſcientia certaminum ſuorum.

Fructus autem hic multiplex eſt.

Primò, cùm intelligit populus quantis laboribus & certaminibus illorum ſalus quæritur à Paſtore, hinc oritur fructus mutui amoris & benevolentiæ; valde enim ingratus eſt, qui amantem, & ſalutis ſuæ omni diligentiâ ſatagentem non redamat: ut itaque accendantur corda populi amore Miniſtrorum ſuorum, utile eſt

ut ſciant, quid faciant, quid ſuſtineant illorum causâ.

Secundò, hinc germinat fructus mutuæ ſolicitudinis & diligentiæ; ſi quid enim viri ſpiritualis ſit in illis, excitantur ad curam propriæ ſalutis, quam ab alio vident tam enixè curari.

Vltimò, hinc emergit fructus conſtantiæ conſimilis, & patientię; animantur enim pii milites exemplo ducum ſuorum; & audacter (cùm occaſio tulerit) pugnam illam ineunt, quam à Paſtoribus fortiter & feliciter depugnatam animadvertunt. Huc præcipuè ſpectant omnes hiſtorię Eccleſiaſticæ, quæ facta, & παθήματα Martyrum omnibus proponunt contemplanda, ut indè præparentur illorum animi ad eandem crucis tolerantiam. Haſce igitur utilitates ſpectavit Apoſtolus, ut innuit dicendo, *Velim vos ſcire quantum certamen ſuſtineam &c.*

Duo documenta hinc elicimus.

1. Non jactantiæ deputandum eſt, ſi Miniſtri apud populum quandoque labores & ærumnas ſui Miniſterii liberiùs deprædicent: nam hoc Paulus ſæpe fecit, hoc ſcire populo valde expedit, hoc fit in ordine ad illorum bonum ſpirituale.

2. Qui non ſciunt, aut ſcire & agnoſcere nolunt labores, vigilias, certamina Miniſtrorum pro ſua ſalute, obſtant ſibi & commodo ſuo; nam ex hac ſcientia multiplicem fructum percipiunt, ut antea declaratum eſt. Hæc de primo.

2 *Quantum certamen ſuſtineam*] Cur ſua certamina ſciri voluit à Coloſſenſibus audiſtis; jam ſecundo in loco quale, & in quibus ſitum fuit illud certamen exponemus. Eraſmus & vetus Interpres, vertunt ἀγῶνα *ſolicitudinem*, parùm accommodatè: poteſt enim quis ſolicitus eſſe de ſuis vel alienis negotiis, etiamſi nemo ſit qui illi obſtet & adverſetur; at ἀγῶνα ἔχειν non dicitur niſi is cui lucta & contentio eſt cum adverſario. Omne certamen requirit ſolicitudinem; ſed omnis ſolicitudo non ſemper præſupponit certamen. Amplectimur igitur Bezæ interpretationem.

Quæſt. Sed quale fuit hoc certamen? Cum quibus? Quo propoſito ſuſceptum?

Sol. Fuit certamen tam animi quàm corporis; Cum Satana, cum impoſtoribus membris Satanę, cum variis afflictionum generibus; Suſceptum pro Chriſti membris in fide ædificandis, confirmandis, & retinendis.

Certamen animi ſitum eſt vel in Affectibus vel in Actibus. Contrarii affectus certabant in animo Apoſtoli, orti ex cauſis contrariis. Nam quandoque gaudebat, & exultabat, & bene ſperabat, conſpectâ fide, charitate, & reliquis virtutibus piorum; Rom. 16. 19. Quandoque mœrebat, dolebat, & timebat, conſpectis illorum diſſidiis, erroribus, vel calamitatibus; *Quis affligitur quin ego affligar &c.* 2. Cor. 11. 29. *Timeo ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit &c.* 2. Cor. 11. 3. Quod ad Actus pertinet, Apoſtoli mens nun-

quam

quam penè vacabat à certamine. Certamen orationis erat illi aſſiduum contra Satanam, ejúſque ſatellites, pro ſalute fidelium; Rom. 16.20. Et 2. Theſ. 1.11. *Oramus ſemper pro vobis, &c.* Certabat inſuper ſcribendo & prædicando cum Pſeudoapoſtolis, illorum errores detegendo, & refellendo; cum omni hominum impietate, illam deprimendo, & demoliendo, ut eſt 2. Cor. 10. 4. &c. Certabat denique cum infirmitatibus ipſorum fidelium, eos corripiendo, inſtruendo, conſolando, ut paſſim eſt videre in ſcriptis Paulinis. Hæc erant Animi certamina quibus quotidie Paulus deſtinebatur. Sed nec Corpus Apoſtoli ſuis certaminibus caruit; cum fatigationibus, vigiliis, fame, ſiti, jejuniis, frigore, cruciatibus luctabatur; 2. Cor. 11.23. &c. Sive igitur exantlatos labores, ſive toleratos dolores ſpectemus, utroque modo inclaruit Apoſtolus diverſis certaminibus corporeis.

Si jam illud quæratur, Cui bono hæc tot Apoſtoli commemorata animi corporiſque certamina? Reſpondetur, propoſuiſſe ſibi Apoſtolum non aliam metam, quàm Eccleſiæ bonum; ut enim homines adduceret ad Chriſtum, perfectos ſiſteret in Chriſto, conſtantes & perſeverantes teneret in fide Chriſti, ac tandem perduceret ad Regnum Chriſti, prædicta certamina ſuſtinuit. Sic ipſe profitetur 2. Timoth. 2. 10. *Ideò omnia ſuſtineo propter Electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur quæ eſt in Chriſto Ieſu, in gloria cæleſti.* Ex his variæ Theſes colliguntur Miniſtrum ſpectantes.

Bonus Paſtor affici debet bono vel malo gregis ſui perinde ac ſuo. Nam *Paſtor in gregis ſui vulnere vulneratur*, ut loquitur Cyprianus de Lapſis; Atque idem in gregis ſui ſanitate recreatur. *Cum ſingulis pectus meum copulo, mœroris & gaudii vices participo*, inquit idem Pater. *Theſ.* 1

Miniſter bonus nunquam minùs ocioſus quàm cùm ocioſus. Imperita plebecula putat illud Poetæ in Miniſtros torqueri poſſe, ἀέργοις αἰεν' ἑορτή· feriari enim nos arbitrantur totos dies, nec aliquid negotii habere poſtquam templo pedem extulerimus; ſed, ſi ſumus quales eſſe debemus, incumbit nobis certamen orandi, meditandi, ſtudendi, penè dixerim perpetuum, certè quotidianum ac aſſiduum. *Theſ.* 2

Ità animatos eſſe oportet Miniſtros, ut non modò orare pro grege ſuo, ſed crucem, imò mortem ſubire parati ſient, ſi res poſtulaverit. 2. Cor. 12. 15. *Libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar pro animabus veſtris.* *Theſ.* 3

Eò debent ſpectare Miniſtri in omnibus ſuis curis, laboribus, & certaminibus, non ut ipſi gloriolam inanem, vel terrenam aliquam utilitatem, ſed ut populus ſalutem conſequatur. Nam rectè Clemens: *Theologi officium eſt opem ferre, ut ſerventur ii qui ſervari cupiunt*, οὐχὶ σωθῆναι τὰ λεξείδια καθάπερ τὰ ὑφάσματα. Hæc omnia *Theſ.* 4

ex Pauli exemplo oriuntur documenta Miniſtros ſpectantia.

Documenta populum ſpectantia.

1. Ea eſt populi ad ſpiritualia ineptitudo, ut abſque ingentibus Miniſtrorum certaminibus ad Deum adduci non poſſint, nec in vera religione retineri: proinde ſubmittere ſemet oportet illis, quorum curâ & operâ providetur illorum ſaluti.

2. Debito honore proſequi Miniſtros oportet, qui illorum causâ tot curis anguntur, tot vigiliis macerantur, tot certaminibus conteruntur. Nam ſi terrenæ militiæ duces in honore ſunt apud omnes, quantò magis ſpiritualis militiæ ductores honorare oportet? juxta illud Apoſtoli, *Agnoſcatis illos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, ut habeatis &c.* 1. Theſ. 5. 12.

3. Taxantur, quibus volupe eſt certare & digladiari cum Miniſtris ſuis, ob res nihili, qui pro illis obeunt tot laborioſa certamina: quid enim indignius, quàm ut à grege ſuo divexetur & dilaceretur, qui indies gregem propugnat contra hoſtes ſpirituales? Hæc de Apoſtoli certamine.

3 *Pro vobis & iis qui ſunt Laodiceæ, & quotquot non viderunt faciem meam in carne*] Dictum eſt cur Apoſtolus certamen ſuum commemoret, quale hoc certamen fuerit; reſtat ut ultimo in loco Perſonas expendamus pro quibus ſuſceptum erat: deſcribuntur autem (uti dictum eſt) tum nominatim, tum indefinitè.

Pro vobis & iis qui ſunt Laodiceæ] Hîc profitetur diſertè certamina ſua prædicta ſuſcepta fuiſſe pro Coloſſenſibus & Laodicenſibus: ubi explicandum, cur hoſce nominatim exprimit, cur conjungit.

Exprimit, ut occurrat tacitæ objectioni; potuit enim illis in mentem venire ut dicerent, Suſtinuiſti tu quidem graves labores, certâſti præclara certamina: ſed pro Romanis, Corinthiis, Galatis, aliiſque quibus præſentibus præſens Evangelium prædicâſti; nobis vox tua audita nunquam, ne facies quidem viſa. Antevertit haſce illorum cogitationes Paulus, ac oſtendit ſe orationis, ſolicitudinis, ac ſcriptionis etiam certamina pro illis ſuſtinuiſſe, licèt apud eos prædicationis munere non functus fuerit. Quinimò in hac ipſa Epiſtola pro illis deſcendit in arenam, cum ſeductoribus decertaturus.

Sed cur Laodicenſes etiam conjungit? Quia hæc Epiſtola (Paulo ità jubente cap. 4. ver. 16.) recitanda erat publicè in Eccleſia Laodicenſium; facere itaque voluit & illorum mentionem, ne ab Apoſtolo ſeſe neglectos ſuſpicarentur: veriſimile eſt etiam Eccleſiam Laodicenſem, propter vicinitatem, eodem modo à ſeductoribus appetitam & oppugnatam fuiſſe quo Coloſſenſem; ut itaque doctrinam hujus Epiſtolæ ad ſe ſpeciali quodam modo pertinere intelligerent, eos nominatim compellat.

Et

Et quotquot faciem meam non viderunt in carne] id eſt, quotquot non viderunt me corpore præſentem, nec audiverunt vivâ voce prædicantem: nam de fama ac ſcriptis Epiſtolis Paulus notiſſimus erat omnibus Eccleſiis. Adjungit hanc indefinitam clauſulam Apoſtolus (ut vult Oecumenius) ne illos in ſocordiæ ſuſpicionem vocare videatur, tam vehementer excitando ad conſtantiam & perſeverantiam in veritate doctrinæ Evangelicæ. Non hoc facit quòd de illorum ſolida fide dubitet, ſed quòd natura amantium ità fert, ut magis ſoliciti ſint de amicis abſentibus quàm præſentibus: ut itaque innuat hanc ſuam abſentiam cauſam eſſe potiùs hujus ſolicitæ curæ, quàm ullam de illorum fide diffidentiam, dicit ſe ità affectum eſſe in reliquos omnes quibus adeſſe non poterat. Nam quod Poeta de avi & pullis ſuis, id multò veriùs dici poteſt de Paſtore & populo ſuo. Hæc avis, ſi vel tantillùm relinquat implumes pullos, cogitat & timet ſerpentium allapſus multò vehementiùs, quàm cùm iiſdem aſſidebat; Hor. Epod. od. 1. Sic Paſtor, ſi cogatur abeſſe à grege ſuo, multò magis ſolicitus eſt, quàm cùm illis invigilat, ne fides illorum labefactetur, ne mores corrumpantur, ne ſalus quoquo modo periclitetur.

Documenta.

1. Inter Dei ſervos eſt alius aſpectus amorem concilians, quàm carnis & oculorum; nimirum aſpectus animorum. Charitas enim non ex locali præſentia, ſed ex Spiritus unitate æſtimat amicitiam & affinitatem. Eſt itaque mutua quædam benevolentia & ſolicitudo inter pios de profectu ſuo ſpirituali, quamvis nunquam viſos, & de facie prorſus ignotos.

2. Fidi Miniſtri cura & ſolicitudo non levatur, ſed augetur, ſi quandoq; contigerit illum divelli à grege ſuo. Nam qui corpore abeſt, ſpiritu ſemper adeſſe debet gregi, atque illos interim precibus ſuis juvare, ac aliis omnibus modis pro virili.

3 Oportet etiam cum Paulo in id eniti, ut ex operibus omnes intelligant ſe nec immemorem nec negligentem eſſe populi ſibi commiſſi. Atque hæc de prima parte Exordii, Propoſitione ſcilicet narratoriâ.

VERS.

VERS. II.

Vt conſolationem percipiant illorum corda, ipſis compactis in charitate, & in omnem opulentiam certò perſuaſæ intelligentiæ, in agnitionem myſterii Dei, & Patris, & Chriſti.

PRimam Exordii partem abſolvimus, quæ conſtabat ex Propoſitione narratoriâ; nam in ea narravit Apoſtolus quantum certamen ſuſtinuerit, ut Coloſſenſes, Laodicenſes, reliquóſque Chriſtianos quos nunquam inviſerat, in veritate Evangelica ſtabiles retineret, contra omnes machinationes & fraudes ſeductorum.

Ad ſecundam hujus Proœmii partem deventum eſt; quæ continet perpetuam Aitiologiam facti & propoſiti Apoſtolici. Rationes enim multas congerit quibus evincitur, & Apoſtolum optimè illis conſulere ſuadendo conſtantiam in doctrina recepta, & illos ſibi & ſaluti ſuæ rectè conſulturos, ſi pareant, id eſt, ſi perſeverent: hæc enim inter ſe connexa ſunt.

In hoc verſiculo petitur ratio à fructu triplici veræ & Evangelicæ doctrinæ. Certat igitur Apoſtolus ut in ea permaneant. Atq; expedit illis in ea permanere. Cur? Primò, ut conſolationem percipiant illorum corda; hic primus fructus. Secundò, ut compingantur, & quaſi conglutinentur in charitate; hic ſecundus. Tertiò, ut nanciſcantur auctiorem, certiorem, & evidentiorem intelligentiam; ubi ad extremum per appoſitionem declarat qualem intelligentiam vel ſcientiam intelligit; non rerum mundanarum, ſed *Dei Patris & Chriſti.*

Vt conſolationem percipiant illorum corda] Poſſunt hęc verba referri ad Apoſtolum certantem pro Coloſſenſibus, & enixè perſuadentem ut perſeverent in doctrina recepta; nam ex hoc certamine pro illis ſuſcepto dupliciter conſolationem percipere poterant.

1 Quia indè videbant curari ſe, & vehementer amari ab Apoſtolo; jam verò ſolatii pleniſſimum eſt hominibus in periculo conſtitutis, ſi intelligant ſe interim curari ab aliis, præſertim ab his qui poſſunt illis opem ferre. Quod ipſum vocabulum indicat; nam παρακαλεῖν eſt animum laborantem erigere compellatione vel acclamatione noſtrâ; quemadmodum in duellis & certaminibus fieri ſolet, ubi vocibus favere, & acclamare ſolemus amicis quibus victoriam optamus. Sic igitur Apoſtolus Coloſſenſes cum ſeductoribus dimicantes conſolatur, bene illis optando, monendo, acclamando, inſtruendo.

2 Percipiebant conſolationem ex hoc certamine Apoſtoli, quia indè clarè videbant doctrinam quam ab Epaphra hauſerant, ab Apoſtolo itidem comprobari; ac contrariam rejici & damnari.

Cùm

Cùm enim Epaphras non erat unus ex Apoſtolis, poterant ſubdubitare de doctrinæ certitudine ab illo traditæ; præſertim multis novam doctrinam magnâ ſapientiæ ſpecie introducentibus: hic igitur ſcrupulus eximitur illorum cordibus, cùm Apoſtolus à Spiritu ſancto immediatè edoctus, ſuo calculo eandem doctrinam confirmat, ac certat pro eâdem retinendâ.

Sed poſſunt & debent etiam hæc verba referri ad ipſam rem quam Coloſſenſibus perſuadere conatur Apoſtolus; perſeverantiam ſcilicet in hac vera doctrina. Nam ex hac perſeverantia illorum corda perceptura ſunt eximiam conſolationem.

1. Quia doctrina ſalutis per ſolam fidem in Chriſto Ieſu, turbatis conſcientiis tranquillitatem & pacem affert. Quemadmodum enim harmonicæ modulationes adhiberi ſolent ad mœſtos animos recreandos & erigendos; ſic gratuitæ promiſſiones Dei in Chriſto ad corda & conſcientias hominum refocillandas & pacificandas. Vnde illud Apoſtoli, *Iuſtificati fide pacem habemus apud Deum.* Hinc omnis ſolida conſolatio paſſim ab Apoſtolo in doctrina gratiæ fundata oſtenditur; 2. Theſ. 2. 16. *Dedit conſolationem in gratia.* Et ad Philip. 2. 1. *Si qua conſolatio in Chriſto.* Qui itaq; hanc doctrinam amplectuntur, conſolationem indè lucrantur.

2. Conſolationem percepturi ſunt perſeverando in doctrina Evangelica, quia doctrina novatorum (ſtabiliendo neceſſariam obſervantiam cæremoniarum, & introducendo Angelorum cultum, & alias traditiones inanes & incertas) hominum corda mentéſq; variis ſcrupulis & anxietatibus divexabat: hiſce autem carere magna pars eſt conſolationis ſpiritualis.

Obſervationes.

Cùm doctrina Evangelica oppugnatur, ſpectat ad quemlibet Miniſtrum qui Eccleſiæ ſolatium reſpicit tueri commilitonem ſuum, & reprimere audaciam Hæreticorum; id ni fecerit, & populo Dei, & gloriæ divinæ deeſſe cenſebitur. Vt igitur Paulus Epaphram vindicat à ſeductorum calumniis, & populum Coloſſenſem confirmat in veritate Evangelii; ſic nos debemus, eâdem occaſione oblatâ. Nam veritate Evangelii periclitante omnes concurrere oportet tanquam ad commune incendium reſtinguendum. *Obſerv.* 1.

In ſalutis negotio hominum commenta & placita miſcere non debemus cum doctrina divinitus traditâ, ſi velimus ſolatium percipere ex Evangelio. Vt enim aqua non miſcetur igni, ſed eâ affuſâ ignis extinguitur: ſic doctrinæ hominum non poſſunt agglutinari ſalutifero Dei verbo; ſed hiſce aſſutis, verbi calor (id eſt, ſpiritualis efficacia ad corda exhileranda) ſuffocatur. Vnde illud Apoſtoli ad Galatas cap. 5. ver. 4. contra νομοδιδασκάλους, qui docebant opera Legis in juſtificatione cum fide Chriſti copulanda; *Facti eſtis inanes & ſeparati à Chriſto, quicunque per legem juſtificamini.* *Obſerv.* 2.

Omnem Evangelii conſolationem eripiunt cordibus hominum Pontificii, dum ſeductorum veſtigiis inſiſtunt, atque Evangelicæ doctrinæ admiſcent doctrinam ſuam de Indulgentiis, de Miſſis expiatoriis, de operibus meritoriis, in quibus remiſſionis peccatorum, juſtificationis, glorificationis conſequendæ ſpem reponunt; gratiâ Chriſti interim neglectâ, aut dicis causâ retentâ. Dignum tamen eſt obſervatione, quòd licèt multi cùm ociosè diſputant, obtrudunt Deo & hominibus Miſſas, Indulgentias, merita, & cætera hujuſmodi; tamen cùm ſeriò luctatur illorum conſcientia cum divina juſtitia, omnes coacti confugiunt ad ſolum Chriſtum, & reapſe fatentur, corda ſua conſolationem percipere non poſſe, ſi diſcedatur ab hac doctrina. Proferamus quædam teſtimonia. Anſelmus in Meditationibus; *In ſola Chriſti morte totam fiduciam tuam conſtitue; huic morti te totum commitie; hac morte te totum contege, eique te totum involve. Si Dominus te voluerit judicare, dic, Domine mortem nôſtri Ieſu Chriſti objicio inter me & te & judicium tuum; aliter tecum non contendo. Ipſius meritum affero pro merito meo, quod habere debuiſſem, & heu non habeo.*

Pariſienſis in lib. de Rhetor. divina; *Cavendum eſt in luctacum Deo, ne fragili fundamento innitaris; quod ille facit qui de meritis ſuis confidit. Nam ut ille qui ſolis meritis ſuis innititur, Dei auxilio ſeipſum privat; ſic qui de ſeipſo totaliter diffidit, & ſoli gratiæ innititur, Dei adjutorium ad ſe trahit.*

Gerſon coram tribunali divino ſolius Chriſti meritis fidendum docet part. 1. Serm. de nuptiis Chriſti & Eccleſiæ. Et in tractatu de diſtinct. verarum viſionum à falſis. Et part. 2. in Serm. de verbo Dom. Et part. 3. de conſolat. Theolog.

Ipſe Bellarminus lib. 5. de Iuſtific. cap. 7. *Propter incertitudinem propriæ juſtitiæ, tutiſſimum eſt fiduciam totam in ſola Dei miſericordia reponere.* Sed quorſum hæc? Vt intelligatis, ſi velimus ut corda noſtra recipiant veram & ſolidam conſolationem, perſeverandum eſſe in ea doctrina quæ jubet in ſolo Chriſto ſpem ſalutis reponere; explodendam illam quæ admiſcet merita, cæremonias, Indulgentias &c.

Ipſis compactis in charitate] συμβιβαδίντων. Συμβιβάζω eſt compingo, ad cohærentiam adduco; quemadmodum fabri lignarii trabes duas compingunt, ità ut indiſſolubili nexu inter ſe cohæreant. Hoc itaque vocabulo oſtendit alterum fructum pullulantem ex illorum perſeverantia in veritate doctrinæ Evangelicæ, quam ab Epaphra didicerant; nimirum mutuam charitatem, & indiſſolubilem animorum concordiam. Hæc autem animorum confœderatio, non modò Fructus eſt conſtantiæ & ſtabilitatis in vera fide, ſed etiam Conditio eſt ſine qua non habetur ſupradicta conſolatio: primus igitur fructus non habetur ſine ſecundo.

1 Fructus eſt; quia intellectus dux eſt voluntatis: ut itaque diſ-

cordia

cordia intellectus trahit ſecum diſcordiam voluntatum; ſic concordia intellectus (præſertim in rebus fidei) trahit ſecum concordiam voluntatum. Hoc paſſim obſervare licet in ſacris Scripturis. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*; Act. 4. 32. Nimirum ex unitate in doctrina fidei reſultabat hæc unitas animorum: unitas enim fidei eſt retinaculum firmiſſimum ad unitatem animorum. Hoc Nazianzenus optimè oſtendit orat. 10. de reconcil. ad Monac. *Nihil*, inquit, *concordiam tam fortiter conciliat inter eos quibus Dei negotia cordi ſunt, quàm conſonantia de Deo; & nihil magis ad diſcordiam facit, quàm diſſonantia de illo: ſiquidem qui in rebus aliis modeſtiſſimus eſt, in his ſit ferventiſſimus &c.* Eſt itaque charitas fructus unanimitatis in fide; quæ ſic confœderatorum piorum voluntates, quòd licèt intervenerint leves quædam offenſiones, tamen ut rami ejuſdem arboris vi ventorum diducti & divulſi illicò coeunt; quia firmantur in una & eadem radice: ſic animi fidelium; quia in ejuſdem fidei radice connectuntur. Ob hoc itaque vult illos perſeverare unanimes in fide, ut etiam in charitate compacti cohæreant. Eſt itaque fructus perſeverantiæ in doctrina Evangelica concordia animorum.

Sed etiam Conditio eſt, ſine qua non obtinetur ſupradicta ſpiritualis conſolatio. Conſolatio enim extra Chriſtum non habetur; ſed quiſquis vivit charitatis expers, extra Chriſtum eſt; juxta illud Ioannis, *Qui manet in charitate, in Deo manet.* Et, vice versâ, qui abjecit charitatem à Deo abjectus eſt. Nam ut nullum membrum refici poteſt & nutriri, ſi diſſolvatur illius continuitas cum reliquo corpore; ſic nemo poteſt percipere influxum illum à Chriſto ſolatii pleniſſimum, ſi diſſolvatur unanimitas quæ eſſe debuit cum reliquis fratribus. 2

Theſes dogmaticæ.

Stultum eſt ſperare ſolidam concordiam inter eos qui in capitibus religionis & Chriſtianæ fidei fundamentis diſcordant. Quod enim Iehu Achabo dixit de pace quærenti, *Quæ pax, cùm adhuc fornicationes, & veneficia matris tuæ multa vigent?* ſic invicem qui ſectantur religiones contrarias, alii alios exagitant; *Quæ pax, cùm tot vigent fornicationes & veneficia matris tuæ?* id eſt, cùm tot ſint errores & corruptelę in ea Eccleſia quã tu pro matre agnoſcis. *Theſ.* 1

Laborandum eſt piis Principibus ut in illorum ditionibus vera & unica religio ſtabiliatur, ſi vel ſaluti ſubditorum, vel paci & concordiæ publicæ proſpectum velint; quicquid obganniunt Pſeudopolitici. Non poſſunt enim retinere ſubditos συμβιβασθέντας ἐν ἀγάπῃ niſi habeant eoſdem conſpirantes in religione. Quàm verum hoc ſit, parùm abfuit quin edocti fuiſſemus internecione Regis, Procerum, Prælatorum, atque adeò totius Regni. *Theſ.* 2

Qui volunt in vita frui ſpiritualibus ſolatiis, conſervare debent vinculum charitatis, & fidei conſenſum cum fratribus. Fac enim *Theſ.* 3

hæc adeſſe, omnia erunt amoris, tranquillitatis, & conſolationis pleniſſima; fac abeſſe, ſuſpicionibus, ſimultatibus, calamitatibus implentur, & fœdantur omnia. Atque hæc de ſecundo fructu, perſeverantiæ & unanimitatis in recepta veritate.

Et in omnem opulentiam certò perſuaſæ intelligentiæ] Tertius hic fructus eſt percipiendus à Coloſſenſibus, ſiquidem permanſerint in Evangelica veritate. Non modò enim evadent firmiùs compacti in charitate, ſed creſcent inſuper abundantiùs in ipſa fide. Fides autem illorum augebitur tripliciter; καὶὰ πλοῦτον, κατὰ πληροφορίαν, κατὰ σύνεσιν· id eſt, ſecundum opulentiam, ſecundum certitudinem, ſecundum intelligentiam vel perſpicacitatem. Opulentia reſpicit Materiam fide comprehenſam; certa perſuaſio, & intelligentia Modum comprehendendi.

Quod ad primum; ſecundum opulentiam augetur fides Chriſtianorum, cùm illi qui principia tantùm, & quaſi elementa ſalutis didicerunt (Deo benedicente, & divino Spiritu animos illorum magis magiſque colluſtrante) ad ulteriora progrediuntur, & ex illis principiis deducunt multas alias propoſitiones particulares, & ſic quaſi ditantur novâ quadam ſupellectile in cognitione religionis. Nam ut in aliis ſcientiis principia pauca ſunt, ſed in illis paucis latent virtute concluſiones innumeræ, quæ poſtmodùm eruuntur intellectu circa illa principia negotiante: ſic in hac ſcientia Theologica, teneris, & jam primùm accedentibus ad fidem Chriſtianam, innoteſcunt pauca quædam fundamenta ſcitu abſolutè neceſſaria; ſed poſteà meditatione aſſiduâ, auditione, & maximè internâ operatione & magiſterio Spiritus colligitur theſaurus copioſus ſacræ ſcientiæ, ad omnem uſum ſalutarem. Qui igitur in doctrinâ Evangelii conſtanter perſeverant, πάντα πλοῦτον indè lucrantur; nam *Dominus qui jecit fundamenta hujus ſpiritualis ædificii, miſerando illud indies ædificat, donec ad faſtigium perducat*; Aug. de Præd. Sanct. lib. 1. 7. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet*; Philip. 1. 6.

Hinc Doctrinæ emergunt variæ.

Doctr. 1 Ipſi Laici contenti eſſe non debent cognitione elementari in religionis negotio; ſed contendere eos oportet à principiis facilioribus ad particularem & opulentam cognitionem eorum quæ habent difficiliores explicatus, & altiorem ſcientiam requirunt. Sic Apoſtolus ad Hebr. 6. 1. *Omiſſo qui in Chriſto rudes inchoat ſermone, ad perfectionem feramur.*

Doctr. 2 Cùm opulentia hæc requiratur, certum eſt & media ad eam comparandam neceſſaria requiri. Qui vult theſaurum, terram fodere oportet; qui vult opulentiam in cognitione rerum divinarum, ſacras Scripturas perſcrutari, Miniſtros ſedulò audire, reliquáque omnia præſtare oportet quæ ſunt à Deo ordinata ad hanc opulentiam acquirendam. Hæc de opulentia Fidei.

Ad

Ad πληροφορίαν jam venio; quo vocabulo denotatur firma illa & certa adhæſio rebus creditis; orta ex interna operatione Spiritus, irradiante intellectum, inclinante voluntatem, denique (ut ità loquar) fortiter ſigillante ipſum animum charactere rerum creditarum.

Hanc πληροφορίαν tandem conſequuntur qui ſtabiles permanent in doctrina fidei: nam ut arbores ſimùl atque ſatæ ſunt, non tam firmiter terræ inhærent quin ventis incurſantibus huc atque illuc agitentur; ſic inchoata fides piorum fluctuat multis dubitationibus: ſed ut eædem arbores tractu temporis altiùs infigunt radices ſuas; ſic fides etiam agit in animum quotidie altiores radices, & tandem Spiritus beneficio illam acquirit firmitatem, ut non poſſit vel ſeductorum verſutiâ, vel Tyrannorum violentiâ, vel ulla Diaboli machinatione expugnari.

Apud Gerſonem memini me legiſſe narratiunculam huic rei illuſtrandæ valde accommodatam. Refert enim ille ſe noviſſe hominem pium, pulſatum & vexatum crebris dubitationibus, etiam in fidei Articulo; qui tamen ad extremum, in tantam lucem veritatis & certitudinis introductus eſt, ut nulla reſideret vacillatio in ipſius animo, neque plùs dubitaret ea de re, quàm de vita ſua. Quinetiam addit, hanc certitudinem non ex nova aliqua ratione aut demonſtratione ortam fuiſſe; ſed ex humiliatione, & captivatione intellectus, atq; admirabili quadam Dei illuminatione à montibus æternis. Tales illuminationes fieri, & talem πληροφορίαν imprimi fidelium animis non credent mundani; experiuntur tamen pii, qui conſtantes perſeverant in Evangelio. Requirit hanc certam perſuaſionem in doctrina fidei Apoſtolus, ad Epheſ. 4. ver. 14. *Ne ſimus ampliùs pueri, qui fluctuemus & circumferamur &c.*

Theſes.

Non debet fides Chriſtiani hominis ab aliis pendula eſſe, ſed certa ipſi credenti, per efficaciam Spiritus: ità ut ſi Prælati Eccleſiaſtici, imò ſi totus mundus à ſana fide deſciſceret, teneretur tamen quivis Laicus firmiter adhærere receptæ fidei. *Si nos, aut Angelus è cælo evangelizet vobis præter id &c.* Gal. 1. 8. *Theſ.* 1

Hinc apparet graviter errare Romanenſes, qui certitudinem fidei noſtræ in ſcrinio pectoris Pontificii putant deliteſcere; non in proprio uniuſcujuſque pectore: at certo certius eſt, Papæ determinationem non imprimere πληροφορίαν poſſe in corde meo; at operatio Spiritus, & poteſt, & ſolet in omnibus verè credentibus. *Vnctio quam vos accepiſtis manet in vobis; unctio docet vos de omnibus, quæ verax eſt, & non mendax;* 1. Ioan. 2. 27. *Theſ.* 2

Injuſta eſt etiam illorum querela, qui dicunt non poſſe jam perveniri ad certitudinem in rebus fidei, quia Chriſtiani diſtrahuntur in varias ſectas, & omnia replentur diſſidiis & controverſiis. Hoc non obſtante, πληροφορίαν habent pii de veritate Evangelica. Rectè *Theſ.* 3

Clemens Strom. 7. *Volentibus licet invenire veritatem ex diligenti Scripturarum indagatione.* Et Lactantius Inſtitut. lib. 7. cap. 2. appoſitè ad id quod in manibus habemus; *Non cogitando aut diſputando veritatem aſſequimur, ſed audiendo & diſcendo ab eo qui ſolus & ſcire poteſt & docere.* Hoc eſt (ut ego interpretor) à Spiritu ſancto, loquente ad extrà in Scripturis, ad intrà in corde cujuſque. Hæc de πληροφορίᾳ.

Vltimo in loco animadvertendum quod Apoſtolus adjungit, eos ſcilicet habituros non modò πληροφορίαν, ſed πληροφορίαν συνέσεως, id eſt, σύνεσιν πεπληροφορημένην, *intelligentiam plenè perſuaſam.* Non itaque ex ſolo imperio voluntatis per gratiam emollitæ, inclinatur mens ad firmiter inhæreſcendum rebus creditis; ſed ità ſimul illuſtratur intellectus lumine ſupernaturali, ut clarè contempletur certam & indubitatam earundem veritatem. Sic Pariſienſis tractatu de Fide cap. 1. *Nulla potentia poteſt aliquid contra ſe, vel ſupra ſe.* Intellectus igitur humanus per ſeipſum non poteſt credere: quare neceſſe eſt ipſum illuminari fortiore lumine, atque fortiore illuminatione. In hoc igitur lumine concipit intellectus & propoſitionem quæ creditur, & ſimul videt rationem formalem cur credatur. Hæc autem ratio non eſt Medium demonſtrativum, aut ſcientificum; ſed Authoritas divina. Nam fides infuſa monſtrat intellectui à Deo manâſſe illam doctrinam quæ creditur. Hoc optimè declaratur à Gerſone in tractatu de erroribus circa fidem. *Ad aſſentiendum Catholicæ veritati, cuicunque requiritur fides infuſa, quæ monſtrat & oſtendit rationem credendi, hanc ſcilicet, quòd Deus talem veritatem tradidit.* Hoc eſt itaque habere plenè perſuaſam intelligentiam, & ipſam veritatem, & Authorem ejus concipere. Hanc illuminatam intelligentiam ſemper cum fide conjunctam eſſe apparet ex Scripturis. Ad Epheſ. 1. 17. *Pater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis per agnitionem ipſius,* πεφωτισμένους τὰς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας &c. Et 1. Pet. 2. 9. *Vocavit vos è tenebris* εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς.

Theſes.

Theſ. 1. Non eſt divina ſed belluina fides, quæ nullam habet σύνεσιν conceptionem ſive comprehenſionem illarum rerum quæ creduntur: qualem in carbonario dilaudat Staphylus, qui profitetur ſe credere quod credit Eccleſia, & Eccleſiam credere quod ipſe tenet, ignorans interim quid aut Eccleſia, aut ipſe teneat. Sed vera fides habet πληροφορίαν συνέσεως· hæc implicita & cæca, ne micam quidem intelligentiæ.

Theſ. 2. Quicunque aſſentitur fidei doctrinis ſolummodò propter authoritatem docentium, vel multitudinem credentium, vel tale aliquid externum motivum, expers interim interni luminis in quo mens conſpicit rationem formalem credendi; is non habet habitum infuſæ fidei, ſed levem opinationem in rebus

fidei.

fidei. *Nemo enim credit aliquid verum, tantùm quia vult credere illud eſſe verum.* Pieus Mirand. tom. 1. pag. 94.

Hinc colligimus turpiter errare Pontificios, qui dicunt nos non poſſe aliter credere doctrinæ fidei in Scripturis revelatæ, quàm quia Eccleſia illam comprobat ſuffragio ſuo. Notum eſt Hermani blaſphemum dictum; Scripturas tantum valere, quantum valent Æſopi fabulæ, niſi accedat Eccleſiæ teſtimonium. Sed ſi πληροφορία πίστεως oriatur ex interno lumine, & ſecretâ perſuaſione Spiritus, tum omnes Electi agnoſcent vocem Chriſti in Scripturis, reclamante licèt Eccleſiâ Romanâ, aut quavis aliâ viſibili. Non igitur aſpernamur vocem externam Eccleſiæ, nec Miniſterium ejus minimè neceſſarium putamus; ſed tuemur plenè perſuaſam intelligentiam in rebus fidei oriri ex interno lumine, & Spiritus teſtimonio, ſine quo ſi millies inculcet Eccleſia hoc vel illud eſſe credendum, nemo tamen credet.

In agnitionem myſterii Dei, & Patris, & Chriſti] Hæc verba per appoſitionem (ut loquuntur) cohærent cum ſuperioribus: explicat enim quæ & qualis ſit illa plenè perſuaſa intelligentia quam acquirent; non rerum humanarum, aut Philoſophicarum, non Iudaicarum fabularum; ſed cognitionem myſterii Dei, & Patris, & Chriſti. Duo expendenda. Quid intelligat per *myſterium*, cur illud myſterium dicatur *Dei, & Patris, & Chriſti.*

Myſterium interpretatur Chryſoſtomus reconciliationem noſtram & acceſſum ad Deum Patrem per filium incarnatum, non per Angelos. Hugo Cardinalis dicit, hoc myſterium nihil aliud eſſe quam mortem Chriſti ſalutiferam; ſed nimis anguſtæ ſunt hæ interpretationes. Sub myſterii igitur vocabulo comprehendit Apoſtolus totam doctrinam Evangelicam, quæ per Apoſtolos revelata fuit, in ſalutem humani generis. Evangelium autem optimâ ratione dicitur myſterium; quia invium eſt humanæ rationi, quæ nunquam vel leviter cogitaſſet de hoc modo ſalutis acquirendæ qui in Evangelio proponitur; ſed fatigâſſet ſe fruſtrà ſalutem quærendo in vanis humani ingenii figmentis.

Sed cur dicitur Evangelium, vel Evangelica doctrina, *myſterium Dei, & Patris, & Chriſti?* Duas ob rationes.

1. Quia Deus trinus & unus fuit author & conditor doctrinæ Evangelicæ; Chriſtus autem à Patre miſſus, præco & promulgator ejuſdem. Fluxit igitur ab illis tanquam à cauſis efficientibus, & proinde ritè dicitur Evangelium Dei & Chriſti.

2. Quia Deus, & Pater, & Chriſtus, ſunt præcipua objecta doctrinæ Evangelicæ. Nam Evangelium patefecit nobis majeſtatem, voluntatem, naturam denique & attributa Dei; docuit inſuper hunc Deum Paternum affectum erga nos gerere, adoptatos utique jam in filios ejus, per & propter Chriſtum filium ejus incarnatum; 1. Galat. 4. 5. ultimò, depingit nobis Chriſtum

Mediatorem nos Deo unientem & reconciliantem, una cum omnibus ejus officiis, operationibus, cæteriſque ſpectantibus ad plenam Chriſti cognitionem. Ab hac itaque triplici doctrina, de Natura Dei, de Paterno ejus affectu in humanum genus, & Chriſto Mediatore, Evangelium tanquam à nobiliori parte dicitur Myſterium Dei, & Patris, & Chriſti.

Theſes.

Theſ. 1 Vt Lex non à ſolo Patre, ſed etiam à Filio lata fuit (dicente Apoſtolo ad Gal. 3. 19. *Ordinatam fuiſſe in manu Mediatoris*;) ſic Evangelium non ſoli Filio attribuendum, ſed Patri, imò toti Trinitati. Eſt enim myſterium Dei & Chriſti Effectivè. Delirabat igitur Marcion, qui alium Deum Legis, alium Evangelii authorem putabat. Quem ſic refellit Tertullianus 5. in Marcion. *Segregas alii Deo Legem, & alii Deo Chriſtum, ſi potes aliquam umbram à corpore ſeparare. Ab eodem promulganda fuit libertas Evangelii, à quo fuit ſervitus Legis; nam alienos ſervos nemo manumittit* ibid. Inſaniebat etiam Ioachim Abbas, qui docebat triplicem doctrinam à tribus Perſonis dimanare: doctrinam ſcilicet Legis veteris à Patre dimanáſſe; doctrinam ejus Evangelii quod conſignatum habemus ſacris literis, à Filio; tertiam doctrinam à Spiritu ſancto expectandam, quam appellat Evangelium æternum. Sed ſi Evangelium quod habemus, tam Dei quàm Chriſti ſit; aut Spiritus ſanctus Deus negatur, aut illi etiam Evangelium hoc aſcribatur neceſſe eſt, nec novum ab illo expectandum.

Theſ. 2. Vt Evangelium à Deo & Chriſto prodiit; ſic ubiq; differit de Deo, & Chriſto, illiſq; beneficiis quæ à Deo Patre per Chriſtum obtinemus. Quæ ad hæc capita referri non poſſunt, Hæreticorum, Scholaſticorum, aliorúmve quorumcunque doctrinæ, non ſunt habendæ pro myſteriis Theologicis, ſed pro figmentis humanis. Hoc ab illis perpendi oportuit, *qui Platonicum, & Ariſtotelicum Chriſtianiſmum procuderunt*; ut loquitur alicubi Tertullianus. Quos *non Evangeliſtas, aut Theologos, ſed Sophiſtas, & Matæologos jure appellari* ſcribit Gerſon; quia, relictis utilibus & intelligibilibus de Deo & Chriſto documentis, transferunt ſe ad ſpeculationes Logicas, Mathematicas, Metaphyſicas &c. 2. Lect. ſuper Marcum. Atque hæc de myſterio Dei, & Chriſti, cujus plenam agnitionem pollicetur Apoſtolus Coloſſenſibus permanentibus in fide recepta.

VERS. III.

In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.

IN extremis verbis verſiculi ſuperioris Chriſti mentionem fecerat Apoſtolus; eâ autem occaſione arreptâ, excurrit in laudes Chriſti, ità tamen ut extra metas propoſiti ſui non currat. Nam hæc digreſſiuncula ſolidiſſimam rationem continet cur non ſit illis

lis diſcedendum ab Evangelica doctrinâ quam Epaphras illis prædicaverat; ſumptam ſcilicet à perfectione ejuſdem, utpote quæ ad ſalutem plenè ſufficiat. Hoc itaque fundamento poſito, viam ſternit ad pugnam cum ſeductoribus.

Sed hîc primò obſervandum, verba hæc, Ἐν ᾧ, referri à nonnullis ad totum complexum de agnitione myſterii *Dei, & Patris, & Chriſti*; hoc ſenſu, In cognitione hujus myſterii, id eſt, Evangelii, ſiti ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ noſtræ ſalutiferæ. Sed ab aliis referuntur ad ultimum illud verbum *Chriſti*; in quo Chriſto Doctore noſtro, & Authore Evangelii (inquiunt) tanquam in fonte uberrimo ineſt infinita copia ſapientiæ & ſcientiæ. 1

Magnum eſt diſcrimen inter has duas interpretationes. Prior enim vult Apoſtolum loqui de ſapientia, & ſcientia noſtra quam nos aſſequimur Chriſto, vel Chriſti myſterio ritè cognito; Objectivè igitur volunt eſſe in Chriſto, id eſt in Chriſti cognitione, omnes theſauros, hoc eſt, omnem plenitudinem & perfectionem ſapientiæ noſtræ; juxta illud Apoſtoli, *Nihil decrevi ſcire niſi Ieſum Chriſtum*; 1. Cor. 2. 2. Poſterior autem vult illum loqui de ſapientia & ſcientia in Chriſto habitualiter inhærente, Subjectivè igitur omnem ſapientiam & ſcientiam in Chriſto reſidere, ex hoc loco concludunt. Non auſim hanc ſententiam rejicere, cùm nihil habeat falſitatis, nec diſcedat ab ipſis verbis: ſed priorem arbitror Apoſtolum potiùs ſpectâſſe; nec tam de ſapientia quâ ipſe Chriſtus ſapiens eſt, quàm de illa locutum cujus apprehenſione nos ſapientes efficimur.

Et illud etiam notandum, vocabula hæc *Sapientiæ* & *Scientiæ* non eodem modo exponi ab omnibus. Quidam nihil diſcriminis inter illa poni volunt, ſed adhibita ac geminata fuiſſe tantummodò amplificandi causâ; quaſi dixiſſet Apoſtolus, In Chriſto cognito habere nos abſolutiſſimam & perfectiſſimam cognitionem. Alii nomen σοφίας dicunt deſignare cognitionem Dei, vel rerum divinarum; γνώσεως, rerum humanarum, vel creaturarum denotare ſcientiam. Sed tertiam ſententiam præfero: quæ ſapientiam exponit cognitionem illorum dogmatum quæ pertinent ad fidem; ſcientiam verò cognitionem illarum rerum quæ ſpectant ad vitam Chriſtianorum. Sapientia igitur res credendas, Scientia res agendas complectitur. Vtraque hæc cognoſcuntur Chriſto, ſive myſterio Chriſti bene intellecto. 2

Vltimo in loco obſervandum, quòd dicitur hos theſauros in Chriſto, vel Evangelio Chriſti agnito, non ſimpliciter ſitos vel collocatos, ſed *abſconditos*. Quo verbo innuitur, quod pretioſum & magnificum eſt in Chriſto, vel Evangelio Chriſti, non prominere, aut protinus in oculos incurrere hominum carnalium; ſed ità latere, ut conſpiciatur tantummodò ab illis quibus Deus oculos dedit aquilinos, id eſt, ſpirituales ad videndum. Sic ipſe 3

Chriſtus

Chriſtus Mat. 11.25. *Gloriam tibi tribuo quòd abſconderis &c.* Et Apoſtolus 1. Cor. 1.23. oſtendit Chriſtum hominibus carnalibus non theſaurum eſſe, ſed offendiculum & ludibrium; *Prædicamus Chriſtum crucifixum Iudæis &c.* Poſitâ itaque hac ſententiâ quæ objectivè vult in Chriſti myſterio eſſe omnes theſauros, Documenta indè eliciamus.

Docum. 1. Plenè ſapit qui Evangelium didicit; prorſus inſanit qui cognitionem ſalutarem alibi quærit: nam hîc omnes theſauri.

Docum. 2. Qui ſcientiam ſecularem, aut res ſeculi præponit ſtudio & cognitioni huic ſacræ, is theſauro quiſquilias præfert: nam Evangelii myſterium theſaurus eſt; reliqua omnia σκύβαλα.

Docum. 3. Non mirum errare totum penè mundum tam in fide quàm in vita: in credendis errant, quia non ab Evangelio petunt regulam fidei, ſed ab humana authoritate; in agendis, quia non hinc petunt regulam vitæ, ſed ab improborum conſuetudine: at in hoc tam ſapientiam quam ſcientiam quæſitam oportuit.

Docum. 4. Si cognitionem ſalutiferam percipere velimus ex Evangelio, non ociosè & perfunctoriè illi attendendum eſt, ſed in eruendo hoc theſauro laborandum & ſudandum: hic enim theſaurus non in promptu poſitus, ſed abſconditus eſt.

Docum. 5. Non fidendum induſtriæ aut perſpicaciæ noſtræ; ſed Deus aſſiduè implorandus, ut velit acuere aciem oculorum noſtrorum, & hunc abditum theſaurum nobis viſendum præbere; *Aperi oculos meos &c.* Pſal. 119.18.

Hactenus in expoſitione horum verborum ſecuti ſumus illam ſententiam, quæ hæc verba, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ &c.* exponit Objectivè, de illa perfecta cognitione quam nos habemus Chriſto ritè cognito. Sed quia, ut antè dictum eſt, à nonnullis exponuntur de illa perfecta ſapientia quam Chriſtus habet in ſe Subjectivè, horum interpretationem atque ſententiam diſcutiemus, & quod malè inferunt refutabimus. Hanc autem ſententiam ſequuntur tum Scholaſtici, tum Vbiquitarii; nam ex hoc loco ambo deducunt, omniſcientiam competere Chriſto etiam ſecundum humanam naturam. Sed Scholaſtici, etſi verbo à noſtris Theologis diſſentiunt, re tamen conſpirant. Nam hanc quam appellant omniſcientiam, includunt nihilominùs certis limitibus: unde patet eos non omniſcientiam abſolutam, quæ proprietas eſt divinæ naturæ; ſed quandam (ut ità dicam) ſimilitudinariam, & ſecundum quid dictam, Chriſti animæ aſcribere. Sed Vbiquitarii multò audaciùs ipſam omniſcientiam divinam realiter communicatam docent humanæ Chriſti naturæ, quemadmodum & omnipotentiam; Iacobus Andr. Colloq. Mompelg. tract. de Perſo. Chriſti, ubi & hunc locum affert. Nos Scholaſticorum ſententiam declarabimus, Vbiquitariorum refutabimus, ſed breviſſimè.

Scholaſtici præter ſapientiam Chriſti increatam, ponunt in illo multiplicem ſcientiam creatam. Alexander Halenſ.par.3.queſt. 13. memb. 1. & 2. in anima Chriſti ſtatuit ſcientiam quadruplicem. Primam appellat Scientiam per gratiam unionis; ſecundam, Scientiam per gratiam comprehenſionis; tertiam, Scientiam naturæ integræ; quartam, Scientiam experientiæ.

Aquinas par.3.qu.9.ar.1.primam omittit. Nam ex parte unionis non putat in Chriſti anima novam aliquam ſpeciem ſcientiæ ponendam; tantùm concedit illam ſcientiam comprehenſionis multò clariorem & excellentiorem eſſe in Chriſti anima propter hanc unionem, quàm in ullo alio beatorum ſive Angelorum ſive hominum. Triplicem igitur tribuit Chriſti animæ ſcientiam, beatam ſcilicet, infuſam, acquiſitam. Iam verò (ut ad rem accedamus) quærunt an Chriſti anima ſecundum hanc creatam ſapientiam omnia ſciat; an Deo æqualem ſcientiam habeat de rebus omnibus: & reſpondent affirmando. Sed cùm explicare conantur ſententiam ſuam, dicunt ſcientiam Dei conſiderari dupliciter: in reſpectu ad ipſum Deum; & in reſpectu ad creaturas. Quod attinet ad ſcientiam Dei de Se, Chriſti anima non ſcit, neque poteſt ſcire omnia quæ Deus novit. Non enim ſcit omnia quę Deus poſſit facere; hoc enim cognito comprehenderet divinam virtutem quę eſt incomprehenſibilis. Quod autem attinet ad ſcientiam Dei de creaturis, dicunt Chriſtum in Verbo ſcire omnia quę ſunt, erunt, vel fuerunt dicta, facta, vel cogitata ab ullo mortalium; quia eſt judex futurus omnium. Dicunt inſuper illum nôſſe omnem eſſentiam & potentiam & actum cujuſcunque creaturę; quia eſt Dominus omnium. Concludunt igitur, ſi de ſcientia creaturas ſpectante loquamur, Chriſti animam quantum ad Numerum ſcitorum, habere ſcientiam æqualem Deo; quia novit omnes creaturas ſicut & Deus: ſed quantum ad Medium ſciendi, & Modum ſciendi, habet ſcientiam longè inferiorem; quia Deus ſcit omnia per ſeipſum tanquam per cauſam; anima Chriſti non per ſeipſam, ſed per Verbum; Deus ſcit omnia modo clariori & altiori. Sed hæc univerſalis ſcientia creaturarum, non eſt illa omniſcientia quæ eſt divinæ naturæ proprietas; quia omnes creaturæ ſimul ſumptę, quę ſunt, fuerunt, ſive erunt, non ſunt actu infinitę. Secundum Scholaſticos igitur, Chriſti anima, ſive humana natura, non eſt capax omniſcientię, quemadmodum nec omnipotentię.

Iam ut cum Vbiquitariis congrediamur; illi quemadmodum cęteras proprietates divinitatis, ſic omniſcientiam realiter communicatam putant Chriſti humanę naturę; & hoc loco abutuntur ad ſtabiliendum errorem ſuum, *In eo ſunt omnes &c.*

Reſpondemus, ex hoc loco nihil concludi poſſe pro abſoluta illa omniſcientia animę Chriſti, multas ob cauſas. Primò,

quia

quia multò veriſimilius eſt Apoſtolum loqui de ſapientia noſtra ſalutifera quam habemus Chriſto ritè cognito, quàm de ſapientia ipſius Chriſti. Secundò, quia ſi detur illum loqui de ſapientia & ſcientia, quâ Chriſti anima prędita eſt; poſſumus hoc interpretari de illa ſumma plenitudine ſcientię creatę & infuſę, in qua nihil deeſt quod requiratur ad perficiendam animam Chriſti, quamvis non adſit omniſcientia, cujus propriè dicta creatura capax eſſe non poteſt. Tertiò, ſumamus ex hoc loco evinci omniſcientiam Chriſti: non tamen obtinebunt illicò illam eſſe in anima vel humana Chriſti natura; non enim Apoſtolus dicit in *Qua* anima vel natura, ſed in *Quo* Chriſto ſunt omnes theſauri: ſunt igitur in Chriſto, quia in λόγῳ, non quia in natura humana. Sic Ambroſius in Perſona Chriſti collocat theſauros omniſcientiæ, non in natura humana: dicit, *In auctore rerum omnium æquum eſſe ut ſit ſcientia rerum omnium.* At Verbum, non humana Chriſti natura creavit omnia. Sic Aquinas in Commentariis, ad Verbum non ad animam refert hanc omniſcientiam. *Quicquid* (inquit) *de Deo poteſt ſciri, id totum in ſe Verbum cognoſcit abundanter; quicquid poteſt cognoſci de creaturis, cognoſcit in ſe ſupereminenter: & ideò in Verbo ſunt omnes theſauri.*

Vindicavimus hunc locum à calumniis Vbiquitariorum: jam paucis argumentis illorum errorem refellamus; ídque ex illorum placitis.

1 Concedunt utramque naturam in Chriſto ſuas habere & retinere proprietates, ità ut unius naturæ proprietas nunquam fiat proprietas alterius naturæ; ſic Iacobus Andr. Colloq. Mompelg. At quod realiter communicatur alteri, id fit alterius: omniſcientia igitur realiter communicata humanæ Chriſti naturæ, non remanet proprietas ſolius divinæ; quia in alia natura reperitur.

2 Proprietates divinæ naturæ eſſentialiter non communicantur naturæ humanæ; hoc enim poſito, natura humana divina evaderet, fatente ipſo Chemnicio tractatu de duabus naturis, cap. 22. neque formaliter, habitualiter, vel ſubjectivè; cùm enim proprietates divinitatis non ſint accidentia, ſed ipſa Dei eſſentia, non poſſunt alteri inhærere: ſed alius modus præter eſſentialem & accidentalem fingi non poteſt: ergò non communicantur animæ humanæ proprietates divinitatis; inter quas ipſi Adverſarii omniſcientiam reponunt. Sed dicunt communicari per unionem hypoſtaticam. At hoc non facit ad propoſitum: nam per gratiam unionis hypoſtaticæ non transferuntur proprietates naturarum ab una ad alteram; ſed in concreto propter identitatem ſuppoſiti, proprietas unius naturæ alteri aſcribitur: ut cùm dicimus Deum paſſum fuiſſe, vel crucifixum, vel natum ex Virgine; Chriſtum

stum hominem omniscium, omnipotentem, mundi creatorem: veræ sunt hujusmodi prædicationes, non quòd divina natura quoquo modo admittat in se proprietatem passibilitatis; aut humana proprietatem omnipotentiæ & omniscientiæ: sed quia ille homo qui passus est erat Deus; Deus qui est omnipotens, erat etiam homo in unitate personæ.

Qui dicit Christi humanam naturam esse omniscium, idque omniscientiâ illâ quæ proprietas est divinitatis; is ponit unam & eandem scientiam animæ humanæ, & naturæ divinę: at ipsi Adversarii nostri damnant Monothelitas, qui ponunt in Christo eandem voluntatem Deitatis & humanitatis: cur non & ipsi damnandi, qui ponunt eandem scientiam utriusque? 3 *Chem. de duab. nat. c. 23.*

Illa Leonis regula quæ habetur Epistolâ decimâ, *utramque* scilicet *naturam agere quod cujusque proprium est cum communione alterius*, probatur ab ipsis Vbiquitariis: at si omniscientia communicetur naturæ humanæ Christi, tum natura humana agit quod proprium est divinitatis; nam omnia comprehendit infinitâ virtute hujus communicatæ omniscientiæ. 4

Vt verbo concludamus; In humana Christi natura inest omnis plenitudo infusæ & creatæ scientiæ, quæ requiritur ad salutis nostræ administrationem; in natura ejus divina reperitur omniscientia absoluta: & per consequens, *In ipso sunt omnes thesauri* Creatæ & Increatæ *scientiæ.*

Vers. IIII. V.

Hoc autem dico ne quis vobis imponat probabilitate sermonis. Etsi enim corpore absens sum, spiritu tamen sum vobiscum, gaudens ac cernens vestrum ordinem, & soliditatem vestræ in Christum fidei.

IN hisce duobus versiculis rationes duas ponit cur tantopere laboret in Colossensibus confirmandis. Prior ducitur à periculo illis impendente; *Ne quis vobis imponat &c.* altera ab affectu amoris Apostolico cordi inhærente; *Etsi enim corpore absum &c.*

Hoc autem dico] Hæc verba referuntur à nonnullis ad versum proximè præcedentem, de omnibus thesauris sapientiæ in Christo reconditis; quod ideò Apostolus affirmavit, ne alibi putarent salutis media quærenda esse, seducti ab impostoribus. Ab aliis referuntur ad ea omnia quæ præcesserunt in hoc Capite; quasi Apostolus dixisset, Velim vos scire me certamen cum falsis istis doctoribus in hunc finem suscepisse, ne vos illorum sophisticis præstigiis deludamini. Ad summam rei nihil interest: nam hic sensus est; ideò Apostolum propugnare veram doctrinam de salute nostra in solo Christo repositâ, ne vanis hominum figmen-

tis adhæreſcant Coloſſenſes, ſalutiferâ hac doctrinâ neglectâ.

Documenta.

Docum. 1 Chriſtum, & Chriſti beneficia prædicare, & plenè docere, eſt omnibus ocioſis & ſuperſtitioſis hominum inventis viam præcludere: nam Chriſto ritè cognito, contemptui habentur egena iſta elementa. Hoc perſpicuè docetur 3. ad Philip. ver. 8. *Duco omnia damnum eſſe propter eminentiam cognitionis Chriſti Ieſu &c.*

Docum. 2 Vbi ſapientiæ theſauri in Chriſto ſolo reconditi ignorantur, ibi populus facilè delabitur in errores, in cultus ſuperſtitioſos, in omnem denique foveam perditionis. Nam ut mulierculę quę liberis carent, catellis & aviculis ſeſe oblectare ſolent; ſic miſeræ animulæ expertes cognitionis Chriſti, ſolatium fruſtra quærunt in humani ingenii nugamentis.

Docum. 3 Hîc itaque videmus cur in Papatu tantum tribuitur Miſſis, Indulgentiis, Peregrinationibus, operibus ſatisfactoriis, mortuorum invocationibus, & id genus aliis; quia ſcilicet in Chriſto omnes ſapientię & ſcientiæ theſauros reconditos non agnoſcunt: hoc enim poſito, ruit illud ſuperſtitionum Chaos, de quo Chriſtus & Apoſtoli ne cogitârunt unquam, niſi illud abominando.

Ne quis vobis imponat probabilitate ſermonis] En periculum in quo erant Coloſſenſes; circumventionis nimirum à falſis doctoribus: en etiam inſtrumentum, quo conabantur hoc periculum illis creare; ſcilicet πιθανολογίαν.

Παραλογίζεσθαι, *eſt ratione falsâ quæ ſpeciem habet veritatis imperitum circumvenire.* Vnde Ariſtoteles comparat paralogiſmum auro adulterino, vel fuco, quæ mentiuntur illarum rerum veritatem, quam reverà in ſe non habent. Sub hoc igitur vocabulo complecti voluit Apoſtolus, quicquid quoquo modo ſub ſpecie religionis introducitur contra ſimplicitatem doctrinæ Evangelicę. Quamvis enim impoſtores pulchris rationibus videbantur ſtabilire Angelorum cultum, cæremoniarũ obſervationẽ, & nugas quaſdam Philoſophicas; non tamen legitimis argumentis ex Dei verbo deductis id efficiebant, ſed paralogiſmis, & præſtigiis ſophiſticis.

Iam verò hi paralogiſmi ſeductorum naſcuntur vel ex Malitia, vel ex Inſcitia. Ex malitia, cùm veritatem agnitam oppugnant homines improbi, vel ut ſibi gloriam & utilitatem quęrant, vel ut veris doctoribus moleſtiam & invidiam creent. Sic Scribæ & Phariſæi Chriſtum oppugnabant atque doctrinam ejus, ut ſuas ſtabilirent inanes traditiones, útque in honore eſſent apud imperitam plebeculam.

Hi impoſtores ſunt omnium mortalium miſerrimi; nam, ut ſcribit Cyprianus 1. epiſt. lib. 2. *Animæ illorum omnium in die Iudicii de ipſorum manibus expetentur, qui per ſuas impoſturas perditionis authores & duces aliis extiterunt.*

Alii ſunt qui paralogiſmis fallunt populum ex inſcitia ſua,

nam

nam & ipſorum animi irretiti ſunt iiſdem laqueis, quibus alios irretire conantur. Hi autem paralogiſmi apud eos plerunq; regnant, in quibus zelus præpoſterus viget ſcientię expers. In hunc catalogum referre poſſumus eos qui pio quodam affectu erga Sanctos Dei atque ipſam ſanctitatem inflammati, eò tandem provecti ſunt cæco quodam zelo, ut Sanctos colendos & invocandos putarent & urgerent; ac bonis & ſanctis operibus ipſum regnum cœleſte ex condigno acquiri contenderent; atque hos ſuos paralogiſmos pro ſana doctrina ubique venditarent ſummâ animorum contentione.

In hunc etiam numerum & illi aggregandi, qui incenſi juſto odio contra cultum omnem ſuperſtitioſum, quia Deus non vult coli mandatis hominum; abripiuntur cæco quodam zelo, ut contendant omnes ritus, omnes Eccleſiæ etiam de rebus adiaphoris ordinationes, ejiciendas & exterminandas.

Sed cavendum ne vel ab iſtis, vel ab his nobis imponatur: utrique enim, paralogiſmis decepti, conantur alios iiſdem irretire. *Bonum eſt mel cum favo, ſapor ſcilicet devotionis cum moderamine diſcretionis.* Atque hæc de periculo Coloſſenſibus impendente, in quo depellendo verſatur Apoſtolus. *Gerſon.*

Probabilitate ſermonis, ἐν πιθανολογίᾳ] Hoc eſt illud Inſtrumentum vel Medium, quo utebantur ſeductores ad fallendum. Sub hoc vocabulo comprehendit Apoſtolus Rhetoricas & blandas inſinuationes, ſophiſticas & intricatas argutias, quibus vel influere in hominum animos, vel irrumpere tentabant. Vt verbo expediam; quicquid ſpecioſo fuco ità humanæ rationi adblanditur, ut à Chriſto illum abducat, ad hanc pernicioſam πιθανολογίαν referendum eſt. Hanc deceptricem probabilitatem Apoſtolus damnat 1. Cor. 2. 4. Non ergò in ſe damnatur πιθανολογία: eſt enim magna virtus orationis: ſed in abuſu, cùm agit apparentibus ſed falſis rationibus, & ad imponendum hominibus adhibetur.

De inſinuante illa πιθανολογίᾳ ſcitè Tertullianus adverſus Valentinum; *Habent artificium impoſtores quo priùs perſuadeant, quàm edoceant: veritas autem docendo perſuadet, non ſuadendo docet.* De illa ſophiſtica Prudentius olim conqueſtus eſt; *Fidem minutis diſſecant ambagibus, --Vt quiſque linguâ eſt nequior, --Solvunt ligántque quæſtionum vincula --Per ſyllogiſmos plectiles. --Væ captioſis Sycophantarum ſtrophis, --Væ verſipelli aſtutiæ.*

Sed quomodo poteſt tanta eſſe probabilitas in illis in quibus nihil veritatis? Nam, ſi Philoſopho credimus, quæ vera ſunt, ſunt etiam ἐνθυμηματικώτερα & πιθανώτερα falſis; Rhetor. 1. 6. *Dub.*

Sunt quidem in ſe, & naturâ ſuâ; ſed quoad imperitos, & externam apparentiam, multa falſa videntur probabiliora multis veris: id autem contingit, quia veris falſa magnâ ſimilitudine conjuncta ſunt; unde accidit ut ab imperitis non diſtinguantur, acceden- *Solut.*

te præsertim impostorum arte, quæ solet falsis veritatis colorem obducere.

Observationes dogmaticæ.

Observ. 1. In rebus Theologicis non temerè fidem adhibere oportet, rationibus quamvis verisimilibus, quibus non substernitur fundamentum ex verbo petitum; nam sæpissimè miram habent πιθανολογίαν, cùm interim nullam habeant veritatem. Illud itaque Tertulliani retineatur, *De tuo fundamento fidem ædifica*; de Anima.

Observ. 2. Vt Spiritus Christi agnoscendus illorum internus doctor, qui Evangelium incorruptè prædicant; sic tortuosus serpens illorum magister est, qui sophisticis argutiis & πιθανολογίᾳ hac fucatâ hominibus imponunt. Nam iste in Paradiso primus hac πιθανολογίᾳ usus est, in decipienda muliere.

Observ. 3. Meta Sophistarum res divinas tractantium hæc est, Vt suas opiniones, non ut Dei verbum explicent; ut homines decipiant, non ut ædificent; ut ipsi victoriam obtineant, non ut veritas vincat; juxta illud Clementis, Strom. 1. Τῆς ἐρίδος ἀρχὴ μὲν τὸ δόξαν, ἔργον δὲ τὸ ἀγώνισμα, καὶ τέλος ἡ νίκη. Atque hæc de Impostoribus; & de telo illorum, falsâ scilicet & fucatâ πιθανολογίᾳ.

VERS. 5. *Etsi corpore absens sum, spiritu tamen sum vobiscum, gaudens ac cernens vestrum ordinem, & soliditatem vestræ in Christum fidei.*

Hæc est altera ratio solicitudinis Apostolicę pro Colossensibus, sumpta ab interno ejus affectu in eos; & inclusam in se habet tacitam Anticipationem. Nam dicere potuerunt, Longè à nobis remotus es; ignarus insuper rerum nostrarum: non es itaque de nobis solicitus, neq; si velis, potes ea præscribere quę conducunt ad statum Ecclesiæ nostrę. Vtramq; objectionem tollit; priorem distinguendo, Remotus sum à vobis, sed Corpore, non Animo & Affectu; alteram negando, Non sum ignarus rerum vestrarum; nam cerno vestrum ordinem & fidem: possum itaque vobis consulere æquè ac si adessem. Sed ut ordine progrediamur, in verborum explicatione duo oportet observare. 1. Qualiter afficiatur, sive Modum affectus Apostolici erga Colossenses. 2. Quare sic afficiatur, sive Causam ejusdem affectus. Modus consistit in duobus: tum in perpetua cogitatione de illis, & contemplatione rerum &c. tum in gaudio propter illos. Iam verò causam cur tam sæpe cogitet de illis, cur gaudeat in hac contemplatione duplicem assignat; ordinem scilicet illorum, & fidem solidam.

Etsi corpore absum, spiritu tamen sum vobiscum] Hîc ostendit se nunquam ab illis tam longè abesse, quin mente, curâ, & cogitatione interst Colossensibus;

1 Quia nunquam ex animo deponit illorum memoriam: hoc enim proprium est amantis, non disjungi animo ab illis quos amat, quamvis sejungantur locorum intervallo.

Sed

Sed Ambrosius, atque nonnulli etiam ex modernis Interpretibus exponunt hæc verba, *Spiritu sum vobiscum*, non modò de cogitatione & memoria illorum; sed de extraordinaria quadam Spiritus præsentiâ per virtutem divinam Apostolo concessâ; qualem habuit Elizeus, qui ea quæ procul gesta fuerunt à servo suo mente intuebatur æquè ac si illi adstitisset. Quod colligitur ex illis Prophetæ verbis, *Nonne abierat animus meus tecum, cùm converteret se vir à curru suo obviam tibi?* 2.Reg.5.26. Mansit domi suæ Propheta, & tamen dicit animum suum abiisse cum servo; quia illius factum tam clarè videbat quàm illi qui præsentes intererant. Atque huic interpretationi suffragantur illa verba, *& cernens vestrum ordinem, &c.* 2

Non est itaque negandum, quin quod Prophetis fuit concessum, & Apostolo etiam concedi potuit; cui cùm omnium Ecclesiarum solicitudo incubuit, verisimile est & statum Ecclesiarum notum fuisse, non modò ex incerta hominum relatione, sed ex Spiritus divini revelatione; quo scilicet posset meliùs consulere & prospicere necessitatibus Ecclesiarum. Amplectimur itaque & conjungimus utramque interpretationem, dicentes Apostolum, & animi sui cogitatione, & Spiritus etiam revelatione, fuisse cum Colossensibus, quamvis Corpore abesset.

Gaudens ac cernens] id est, gaudens quia cerno; copula enim valet particulam causalem. Hunc autem affectum animi sui exprimere voluit Apostolus ne suspicarentur illum diffidere illorum constantiæ, ex eo quòd tam vehementer illos accendit ad perseverantiam: imò hoc facit quia valde desiderat ut in eâdem permaneant, ut hoc gaudium illius simul permaneat; quemadmodum etiam agit cum Philippensibus: *Fratres mei charissimi, gaudium & corona mea, sic state in Domino*; Phil.4.1.

Videmus qualiter animus absentis Apostoli affectus fuerit; ità scilicet ut semper cogitaret de Colossensibus, ut cerneret statum illorum, ut gauderet in hac cogitatione & contemplatione.

Corollaria.

Fidus Minister nunquam totus abesse debet à grege suo: curâ itaque, cogitatione, oratione suâ apud Deum adsit illis, cùm corpore adesse non potest. *Coroll.* 1.

Verum Ministri gaudium ex eo oritur, quòd populus permaneat & crescat in bonis spiritualibus; non exinde, quòd ipse ditetur in temporalibus. *Coroll.* 2.

Idem status populi qui præbet Ministro occasionem gaudii, præbere simul debet occasionem majoris solicitudinis; nam Paulus ex eo quòd gaudebat conspecto illorum statu præsenti, enixiùs laborabat ne de eodem dejicerentur fraude impostorum. Novit enim Diaboli malitiam, *Qui tunc maximè sævit, cùm hominem ex suis laqueis liberatum videt; tunc plurimùm accenditur, cùm extingui-* *Coroll.* 3.

tur; Tertul. de pœnit. 7. Hæc de Apoſtoli animo & affectu erga Coloſſenſes; jam ad cauſas veniamus.

Cernens veſtrum ordinem & ſoliditatem veſtræ in Chriſtum fidei] Prior cauſa cur Paulus tam lubenter cogitabat, tam vehementer gaudebat de Coloſſenſib. eſt ordo ſive τάξις illorum; altera fidei ſoliditas: propter quæ meritò laudantur. Illud autem obiter monendum, hanc laudationem eſſe artificioſiſſimam & validiſſimam ſuaſionem ad perſeverandum in rebus laudatis. Qui enim laudat quod facis, primò oſtendit illud eſſe bonum; non enim aliter eſſet laudabile: ſecundò, oſtendit eſſe tibi facile; quia illud jamdiu feceris: ultimò, innuit turpe eſſe & dedecoroſum ſi deſiſtas; quia laus parta non amittitur, quin contrarium dedecus incurratur. Sed res ipſas expendamus.

Veſtrum ordinem] Ordinis nomine tria denotare mihi videtur: compoſitos ſingulorum mores; & benè ordinatam Eccleſiæ illius diſciplinam; & conſenſum ac concordiam illorum. Morum probitas ad ordinem refertur paſſim in Scripturis; quemadmodum è contrà, qui ſunt improbis moribus dicuntur ἀτάκτως, id eſt, inordinatè ambulare. *Subducatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante*; 2. Theſ. 3. 6. Cùm igitur laudat ordinem illorum, illud innuit, ſingulos in ſua vocatione ſobriè, juſtè, & piè incedere. Quinetiam publica diſciplina ad hunc ordinem eſt etiam referenda; utpote quæ illum procreat, & conſervat. Hæc enim docet prælatos benè præeſſe, ſubditos ritè parere; & cogit negligentes ac refractarios facere officium ſuum. De hac loquitur Apoſtolus ad Corinthios 1. 14. 40. *Omnia fiant decenter*, & κατὰ τάξιν. Hanc commendat Timotheo ſuo, Epiſt. 1. cap. 3. Iam igitur laudat Coloſſenſes quòd vigeat apud eos hæc Eccleſiaſtica diſciplina; quæ ſi negligatur, omnia fœda erunt confuſione, ſeditione, erroribus, ac flagitiis. Conſenſum denique, & coadunationem in religione ſub ordinis vocabulo complectitur; nam τάξις militare vocabulum eſt, & denotat cohortem militum inſtructam, & ordine apto conglobatam: ſic igitur Apoſtolus, cùm dicit ſe cernere illorum τάξιν, innuit ſe illos intueri tanquam bene ordinatam militum phalangem, condenſatam & cohærentem in fidei unitate; & proinde inexpugnabilem.

Theſes.

Theſ. 1 Nihil pulchrius aut utilius ordine; nihil fœdius aut perniciosius confuſione. Præclarè hac de re ſcribit Nazianzenus orat. 26. *Vbi ordo dominatur ibi pulchritudo ſplendeſcit: ubi ordinis defectus, ibi in aere exoriuntur fulmina, in terra commotiones, in mari inundationes, in urbibus ſeditiones, in corporibus ægritudines, in animabus peccata. Ordo continet cœleſtia & terreſtria; ordo eſt in intelligibilibus, ordo in ſenſibilibus, ordo in Angelis, ordo in aſtris, ordo in omnibus.* Nec mirum, cùm ipſe Deus non ſit au-

thor

thor ἀκαταστασίας sed εἰρήνης, idq; maximè in Ecclesiis Sanctorum; 1.Cor.14.33.

Cùm ordo sit *parium impariúmque, sua cuique tribuens loca, dispositio*; ordinem evertunt qui paritatem Ecclesiasticorum Ministrorum introducunt. Politia enim Cyclopica est, non Ecclesiastica disciplina, ubi ἥδιστε ἀκόσμου ἥδιον ἄλλου. Euripides. *Thes.* 2

Cùm ex ordine qui viget inter populum tantum gaudium percipiant Pastores, consequitur illos indignè vexare & summo mœrore afficere Ecclesiæ Præsules, qui contemnunt & conculcant legitimas Ecclesiæ ordinationes, contra illud Apostoli, *Obedite præpositis vestris, & subjacete iis.* Heb.13.17. *Thes.* 3

Ordo est tanquam vallus seductoribus oppositus: rarò igitur in errores præcipitantur qui ordinem obedientiæ præpositis debitum observant; è contrà, ubi ordo præcipiendi & parendi negligitur, ibi tanquam per disjectam aciem facilè perrumpitur. Hæc de ordine. *Thes.* 4

Et soliditatem vestræ in Christum fidei] Hæc est altera causa gaudii Apostolici: videbat Colossenses a seductoribus oppugnatos, videbat ab istis zizania passim disseminata; sed simul cernebat fidem Colossensium non potuisse expugnari, zizania illa non fuisse ab illis pro tritico approbata, sed spreta & rejecta: hinc illa lætitia. Hæc soliditas itaque in fide duo designat. Primum, quòd non patiebantur sibi excuti veram doctrinam; sed in ea, tanquam in sua statione, firmi & immobiles permanebant: alterum, quòd non sinebant exoticas & extraneas doctrinas huic admisceri; sed expleverunt mentes suas doctrinâ sacrâ, exclusis à negotio fidei hominum figmentis. Solidum enim id dicitur propriè, quod est *sui solius plenum*, hoc est, quod non recipit aliquid heterogeneum intra se. Est igitur illa fides solida, quæ non modò amplectitur veram doctrinam, sed quæ nullam admittit mixturam falsæ & alienæ. Quod etiam ipse Apostolus subindicat, cùm fidem restringit ad Christum, quasi diceret, quę extra Christum prædicantur pro doctrinis fidei, sunt abjicienda.

Documenta.

Non est solida fides, sed inanis fidei umbra, quando animus nutat & vacillat inter varias opiniones. Vult igitur Deus, ut firmus, & absque omni hæsitatione sit assensus noster in causa religionis & fidei. Solidam enim fidem non habet qui modò in hanc, modò in contrariam partem inclinat. Hæc inter pugnantes opiniones suspensa fides taxatur, 1.Reg.18.21. *Quousque claudicaturi estis in duabus istis cogitationibus? Si Iehova est Deus, sequimini eum; sin autem Baal, sequimini eum.* *Docum.* 1.

Est etiam & illa fides non solida sed spongiosa, quæ unà cum fide Evangelii admittit hominum traditiones, & figmenta: solida si esset, istis heterogeneis locus vacuus in ea non esset. Pulchrè in *Docum.* 2.

hanc ſententiam Tertullianus de Præſcr. *Cùm credimus Evangelio, nihil deſideramus ultrà credere. Hoc enim priùs credimus, non eſſe quod ultrà credere debeamus.* Hæc de cautis gaudii Apoſtolici.

Duas hujus Proœmii partes abſolvimus; Propoſitionem ſcilicet narratoriam, in qua declarabat Apoſtolus quæ certamina ſuſtinuerit pro Coloſſenſibus; & Aitiologiam ejuſdem, in qua multas attulit rationes facti ſui: reſtat ultima pars, quæ Concluſionem hortatoriam complectitur.

VERS. VI. VII.

Sicut igitur accepiſtis Chriſtum Ieſum Dominum, ità in eo incedite.

Radicati & ſuperſtructi in eo, ac confirmati fide, ſicut edocti eſtis &c.

DIximus Proœmium Apoſtoli ex tribus hiſce membris compoſitum: Propoſitione narratoriâ; Aitiologiâ; & Concluſione exhortatoriâ. Ad hanc ultimam deventum eſt, incluſam duobus hiſce verſiculis: in quibus primò oſtendit quid illis faciendum ſit; nimirum adhæreſcendum Chriſto prout illum acceperant ab Epaphra; ver. 6. Secundò docet quomodo adhæreſcendum. Modus autem conſiſtit in tribus: in firmitate fidei; in copia ejuſdem; in animi gratitudine propter illam.

Ordiamur à verſu ſexto; in quo docet quid velit ab illis fieri: Regulam ob oculos proponendo; *Sicut accepiſtis Chriſtum Ieſum Dominum:* Actionem vel Obedientiam ad hanc regulam exigendo; *Ità in eo ambulate.*

Sicut igitur accepiſtis Chriſtum Ieſum Dominum] Regula fidei & vitæ quam proponit Coloſſenſibus eſt doctrina Chriſti ab Epaphra prædicata, ab illis recepta; cui vult ut conſtanter adhæreſcant. Cognoſcendum eſt igitur qualem de Chriſto doctrinam ille promulgaverat. Docuerat ille proculdubiò, omnes ſalutis noſtræ rationes in ſolo Chriſto collocatas; Chriſtum eſſe Dominum fidei vitæque noſtræ; ac utramque ad Evangelium Chriſti, tanquam ad clariſſimam cynoſuram, dirigendam; cæremonias Moſaicas non eſſe cum fide Evangelii conjungendas. Hanc regulam illis præſcripſit Epaphras; ad hanc tenentur:

1 Quia illam acceperunt & comprobârunt; nam cùm dicit Apoſtolus, *ſicut accepiſtis* (ut rectè obſervat Chryſoſtomus) quaſi conſtringit illos proprio teſtimonio: innuit enim ſe non jam id agere ut novam aliquam doctrinam recipiant, ſed ut maneant in recepta; quod non facere, aut ſtultitiæ illos arguit, aut levitatis.

2 Quia licèt de neceſſitate, non ſit perſeverandum in quavis do-

ctrina recepta, utpote ſi fuerit erronea; tamen in hac permanendum, quia hac doctrinâ recepta, ipſe Chriſtus Ieſus Dominus recipiebatur; ***Accepiſtis Chriſtum Ieſum Dominum.*** Ineſt in hac loquendi formula Emphaſis magna, quam excutere oportet. Obſervandum igitur quòd non dicit, ***ſicut accepiſtis doctrinam Chriſti***, vel ***de Chriſto***; ſed ***ſicut accepiſtis ipſum Chriſtum.*** Per fidem enim non modò percipimus doctrinam Chriſti, ſed vivificum noſtrum Salvatorem recipimus, & in corda recondimus ad ſalutem noſtram. Iam verò notum eſt illud Poetæ, & ab omnibus probatum, ***Turpius ejicitur quàm non admittitur hoſpes.*** Non poterant itaque ſine ſumma turpitudine rejicere doctrinam ſive fidem receptam; quia eâdem operâ ipſum Chriſtum rejicerent.

Sed & illud notandum, quòd dicit illos accepiſſe ***Chriſtum*** τὸν κύριον· nam (ut volunt doctiſſimi Interpretes) vim facit in hoc verbo Apoſtolus. Pſeudoapoſtoli enim prædicabant Chriſtum, & illorum diſcipuli Chriſtum accipiebant: ſed nec prædicabant iſti, nec hi accipiebant ***Chriſtum Dominum***, ſed Moſis conſervum; itaque jungebant doctrinam illius cum cæremoniis à Moſe præſcriptis. Sed Coloſſenſes atque adeò omnes verè Chriſtiani receperunt ***Chriſtum Dominum*** & fidei & vitæ ſuæ: nec regulas fidei itaque, nec vitæ Chriſtianæ ab alio quovis ſibi patientur imponi. Servus enim non poteſt ſeipſum manumittere, aut novo Domino addicere in ſervitutem; quia non eſt ſui juris: non poterant itaque Coloſſenſes, aut Moſaicis cæremoniis, aut doctrinis Philoſophicis ſeſe ſubjicere; quia ***Chriſtum Dominum*** admiſerant. Ex his quæ dicta ſunt eliciamus documenta.

Documenta.

Non mutanda fides vera, etiamſi Prælati & Doctores Eccleſiæ inceperint novam procudere; quia ſicut accepimus, ſic perſeverandum eſt: fruſtra igitur Romanenſes obtrudunt nobis nova ſua placita; ſufficit reſpondere, Non ſic accepimus ab Apoſtolis. *Docum.* 1.

Non perſeverandum in omni doctrina recepta à majoribus noſtris: ſed ſi illi acceperunt Chriſtum, tum nobis permanendum in eadem doctrina; ſin Antichriſti venena imbiberint, haud tenemur nos idem facere. Fruſtra igitur & veteres ſuos errores nobis oggerunt: cum Cypriano dicimus, ***In rebus quæ ad religionem ſpectant, non hominum conſuetudinem, ſed Dei veritatem ſequi oportet.*** *Docum.* 2.

Evangelium ſumma cum reverentia ſuſcipiendum; quia illo recepto Ieſus Chriſtus recipitur. Hominum doctrinæ, quantumvis veræ, nil aliud apportant animo præter ſcientiam; ſed Evangelii doctrina apportat ſalutem, imò ipſum Salvatorem. *Docum.* 3.

Qui non habet in animo, & fidem & vitam dirigere ad regulam Chriſti, fruſtra, imò cum magno ſuo damno Chriſtianus *Docum.* 4.

eſt:

eſt: Chriſto enim illuditur, ſi non ut Dominus ab illis qui Evangelium accepêre colatur. Hæc de Regula.

Ità in eo ambulate] Exigit ab illis obedientiam ad propoſitam regulam: Cùm ambulandum dicit in Chriſto, latenter indicat Chriſtum eſſe viam Regiam ad Deum, atque ad æternam beatitudinem; *Ego ſum via, vita, & veritas.* Hoc Chryſoſtomus obſervavit, qui ſtatim infert, *in Chriſto ambulandum, quia Ipſe via eſt quæ ducit ad Patrem cœleſtem, non autem Angeli.*

Ambulare in Chriſto duo denotat: perſeverare & progredi in doctrina & fide Chriſti; vitam agere juxta hanc fidem & juxta ductum Spiritus Chriſti. Quod ad primum; habet fides ſuum motum progreſſivum: unde non incommodè dicimur ambulare, cùm in ipſa fide procedimus. *Ibunt de virtute in virtutem*, inquit Pſalmiſta Pſalm. 84. 7. Et Paulus, *Ex fide in fidem*; Rom. 1. 17. Sed ad progreſſum in curſu ſanctitatis multò ſæpiùs accommodatur hoc *ambulandi* vocabulum: unde apud Davidem crebrum eſt, *Ambulare in viis*, vel *in præceptis Dei*: & apud Apoſtolum, *Ambulare ſecundum carnem*, aut *ſecundum ſpiritum*; *Ambulare in novitate vitæ*, vel *ut filii lucis*, & in conſimilibus.

Duo itaque exiguntur: ut in fide permaneant & procedant; ut vitam juxta fidei regulam inſtituant.

Iam Corollaria deducamus.

Coroll. 1. Sicut Chriſtiani rectè dicuntur ambulare in Chriſto, quia & fidem & vitam dirigunt ad normam ab illo præſcriptam; ità Monachi in ſectarum ſuarum Conditoribus ambulant, qui perfectionem quærunt in regula ab illis adinventa.

Coroll. 2. Cùm Chriſtus ſit ſola via ad cœlum; qui ad cœlum pertendit extra Chriſtum, cæcus & miſer oberrat, nunquam eò perventurus.

Coroll. 3. Qui fide ſolitariâ putat ſe poſſe ambulare in Chriſto, is uno pede ambulare conatur, quod eſt impoſſibile: in Chriſto ambulare eſt tam ſanctitate quàm fide progredi: Spiritus enim Chriſti aut utramque, aut neutram promovet.

Coroll. 4. Vita Chriſtiani hominis eſt in motu perpetuo: à peccato & mundo recedit, ad vitæ ſanctimoniam & patriam cœleſtem procedit, per Chriſtum tanquam per viam; inclinante illum ad hunc novum motum fide & charitate, tanquam qualitatibus inhærentibus; impellente verò & dirigente Spiritu Chriſti, tanquam principali efficiente & motore, qui & ipſam fidem ac charitatem impreſſit. Atque ſic breviter explicatum habetis, quid fieri requirit Apoſtolus in hac ſua hortatoria illatione; nimirum ut Chriſto adhæreſcant: ad quod eos allicit, 1. Ipſam regulam ob oculos eorum proponendo; 2. Actionem illorum ad hanc regulam exigendo. Iam ſequitur, ut Quomodo in Chriſto permanendum ſit exponamus; quod ex verſu ſequenti addiſcemus.

Vers. 7. *Radicati & ſuperſtructi in eo, ac confirmati fide, ſicut edocti eſtis, abundantes in ea cum gratiarum actione*]

Vt Chriſto adhæreſcerent Coloſſenſes ſuaſit Apoſtolus verſu ſuperiore; jam quomodo ſit illi adhæreſcendum paulò explaciùs oſtendit. Modus autem conſiſtit,

1. In firmitate fidei adhæreſcentis Chriſto & Evangelicæ doctrinæ; *Radicati, ſuperſtructi, confirmati.*

2. In abundantia vel ſufficientia quam fides in Chriſto agnoſcit; *Abundantes &c.*

3. In gratiarum actione propter hanc abundantiam, quam habemus in fide Chriſti; *Cum gratiarum actione.*

Radicati & ſuperſtructi in eo] Fidei firmitatem duabus Metaphoris depingit. Prior ducta eſt ab arboribus; altera ab ædificiis. Ab arboribus ſumitur Metaphora radicationis; nam ut arbores firmitatem habere non poſſunt, niſi in terram, eámque non limoſam, ſed firmam, radices demittant: ſic fides noſtra ſoliditatem non habet niſi in Chriſto, tanquam in ſolo firmiſſimo, figat radices ſuas. 1

Altera Metaphora tranſumpta eſt ab ædificiis. Nam ut domus nullam habet firmitatem, niſi firmo fundamento ſuperſtruatur; ſic neque fides, niſi Chriſto ſoli innitatur. Vnde idem Servator Chriſtus laudat ejus prudentiam qui ædificavit domum ſuam ſuper petram, ejus autem taxavit ſtultitiam qui maluit ſuper arenam collocare; Mat. 7. Hiſce itaque duabus Metaphoris indicat Apoſtolus, nobis adhæreſcendum Chriſto quàm tenaciſſimè.

Ac confirmati fide, ſicut edocti eſtis] Quod figuratè anteà adumbravit, id jam proprio vocabulo exprimit, ut volunt Interpretes; ſed mihi videtur & illud, & aliquid amplius facere: nam in illis figuratis dictionibus expreſſit illam firmitatem, quam fides noſtra habet ex eo quòd in firmo ſolo radices poſuerit (ſcilicet in Chriſto,) & debito fundamento innitatur: hîc autem illam tangit firmitatem, quam nos habere dicimur ex corroboratione ipſius fidei, poſtquam fuerit in hoc ſolo radicata, & huic fundamento ſuperſtructa. Diſcrimen hoc facile eſt obſervare in arboribus: quæ ſimul ac ſatæ ſunt habent firmitatem ſuam ex eo tantùm quòd infigantur firmo ſolo; ſed cùm excreverint in magnitudinem, habent robur etiam aliud in ſe: ſic fides tenella habet ſuam firmitatem in Chriſto; ſed aucta & provecta, novas vires acquirit quoad ipſum habitum internum: vult igitur fidem illorum non modò ſuperſtrui firmo fundamento, ſed etiam indies in ſe corroborari, & invaleſcere.

Quod autem adjungit per Parentheſin (*ſicut edocti eſtis*) id facit in majorem, ut loquuntur, cautelam; nam anteà de re eadem eos monuit verſu ſuperiore; *Sicut* (inquit) *accepiſtis ſic in eo ambulate:* hîc rurſus fidei firmitatem requirit, atque in qua fi-

de

de permanendum ſit oſtendit; in ea ſcilicet quam ab Epaphra edocti erant, non in nova fide Pſeudoapoſtolorum.

Bis inculcat eandem monitionem, ut occurrat vitioſo affectui regnanti ut plurimùm inter homines plebeios. Nam doctrinam receptam faſtidire ſolent, & novos doctores cupidè appetere, qui illos à veritate ad ſua inſomnia abducunt. Vellicat igitur illas prurientes aures, cùm jubet eos in fide manere, ſicut olim edocti erant, & prohibet accedere ad novam fidem ſeductorum.

Explicavimus qualem firmitatem Apoſtolus requirit in doctrina Evangelii; jam ex hiſce quæ dicta ſunt, pullulant hæ Theſes dogmaticæ.

Theſ. 1 Non ſatis eſt incedere in Chriſto, niſi ſic in eo ſtabiliamur, & ſic penitus illi inhæreamus, ut nec alii cuiquam tanquam fidei noſtræ fundamento innitamur, neque ab hoc ullis machinis nos avelli patiamur. *Nam fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus*; 1. Cor. 3. 11. Taxantur itaque paleæ iſtæ leves, qui quavis arreptâ occaſione à Chriſto ad Antichriſtum avolant: ſed *quod fundatum & radicatum eſt, non facilè transfertur*, ut loquitur Chryſoſtomus. Illi etiam perſtringuntur, qui ſuperficie tenus Chriſto inhærent, cùm radices ſuas interim habent alibi defixas. In his numerare poſſumus illos omnes qui retinent nomen Chriſtianorum: ſpem tamen ſuam in Sanctis, in Monaſticis obſervationibus, vel in aliis cordium ſuorum Idolis collocatam præcipuè habent; non autem in Chriſto. In tales illud Prophetæ torqueri poteſt, Ionæ 2. 8. *Qui obſervant vanitates mendaces, benignitatem erga ſe derelinquant.*

Theſ. 2 Fides eſt quæ præſtat, ut in Chriſto tanquam in via ambulemus ſine errore, in radice maneamus cum fructu, ſuper fundamento ſtemus ſine concuſſione. Cavendi igitur & fugiendi ſeductores omnes qui fidem noſtram corrumpere moliuntur; nam eâdem operâ à Chriſto nos ſeparare conantur.

Theſ. 3 Cùm Paulus Chriſtianos reſtringit ad illam fidem quam edocti ſunt ab Apoſtolis, colligitur, regulam Apoſtolicæ doctrinæ, ſacram ſcilicet Scripturam, non removendam eſſe è conſpectu Laicorum. Iniquum enim eſt flagitare, ut quis juxta regulam præſcriptam agat, vel credat, & nolle tamen illi hujus regulæ ſcientiam permittere. Sed quemadmodum improbi pueri, cùm in animo habent laſcivire, excludunt pædagogum: ſic Pontificii, cùm ſuas ineptias volunt populo venditare, id inprimis curant, ut verbum Dei ab illis ſecludatur. Sed pergamus.

2 *Abundantes in ea* περισσεύοντες ἐν αὐτῇ] Firmitatem fidei deſcripſit; jam ſecundo in loco attingit illam abundantiam ſive ſufficientiam quam in fide Coloſſenſium requirit, vel potiùs quam

in

in fide ſolius Chriſti eſſe dicit. Interpretes hanc abundantiam referunt ad illud perpetuum incrementum cognitionis, quod à fidelibus requiritur in rebus fidei. Putant igitur Apoſtolum hortari illos, ut non modò non deficiant, ſed ut quotidie creſcant in abundanti cognitione doctrinæ Evangelicæ. Arbitror tamen (quod bonâ bonorum venia dictum velim) alium ſenſum ſubeſſe hiſce vocabulis hoc in loco. Expono itaque περισσεύοντες ἐν αὐτῇ, exiſtimantes vel ſtatuentes vos in illa fide quæ ſolo Chriſto nititur περισσεύειν, hoc eſt, affluere, exuberare, abundè habere omnia ad ſalutem neceſſaria. Non igitur ad incrementum noſtræ cognitionis refero hanc abundantiam; ſed ad rem cognitam, ad doctrinam ſcilicet Evangelicam de Chriſto.

Neque debet mirum aut novum videri, quòd exponimus *abundantes*, cognoſcentes vel ſtatuentes vos abundare; nam ſæpiſſimè in ſacra Scriptura verba connotant exiſtimationem vel cognitionem noſtram de illis rebus quas formaliter ſignificant. Vt 1 Cor. 4. 8. *Saturati eſtis, divites eſtis, regnatis ſine nobis*, hoc eſt, exiſtimatis vos ſaturatos, divites, regnare &c. Et ad Romanos 5. 20. *Lex ſubintravit, ut abundaret peccatum*; id eſt, ut cognoſceretur peccati magnitudo: ſic igitur expono hoc in loco *abundantes*, cognoſcentes vel certò ſtatuentes vos abundare.

Hanc interpretationem ſequor, quia maximè convenit cum inſtituto hortationis Apoſtolicæ: vult enim ut radicati maneant in fide ſolius Chriſti: at vel maximè ad hoc conducit, ut ſtatuant ſe in hac fide Chriſti περισσεύειν, ſatis ſupérque habere ea omnia quæ ſunt cognitu neceſſaria ad ſalutem.

Deinde, hoc maximè oppugnat falſorum doctorum ſententiam: nam illi in fide & doctrina Evangelii inopiam & defectum ſe reperiſſe putabant; & proinde aſſuebant Philoſophicas ſpeculationes, & Moſaicas cæremonias, aliáſque traditiones innumeras: ſed contrà Apoſtolus dicit, nos περισσεύειν ἐν αὐτῇ, habere in illa doctrina omnem abundantiam cognitionis ſalutiferæ.

Poſtremò, hoc optimè cohæret cum verbis ſequentibus, ἐν εὐχαριστίᾳ. Nam hoc maximè debet nos ad gratitudinem excitare, quòd in ſolo Chriſto Deus nobis abundè ſubminiſtravit omnia ad ſalutem neceſſaria.

Hoc ſenſu verborum poſito, diſcimus mera eſſe nugamenta quæ fabulantur Monachi de perfectione ſtatus Monaſtici: quaſi doctrina Evangelii non præſcripſerit omnibus perfectiſſimam doctrinam quoad conſecutionem vitæ æternæ; ſed hoc delegatum fuerit Dominico & Franciſco. At ſi in hac doctrina abundamus omnibus ad ſalutem neceſſariis; quod abundanti adjicitur, vanum & ſuperfluum ſit neceſſe eſt. *Coroll.*

Cum gratiarum actione] Hoc ultimum eſt in Modo quo adhæreſcimus doctrinæ Evangelicæ obſervandum. Adhæreſcere 3

debemus illi firmiter, radicati ſcilicet in ipſo Chriſto; adhæreſcere ità debemus, ut in illo agnoſcamus omnem ſufficientiam ad ſalutem; jam ultimo in loco, ità adhæreſcere debemus, ut gratitudinem animi oſtendamus propter hanc copiam gratiæ ſalutiferæ in Evangelio ac Chriſto nobis patefactam & oblatam: ídq; jure à nobis exigitur,

1. Quia beneficii magnitudo illud poſtulat: nam in Evangelio acervus & congeries beneficiorum Dei, imò totus theſaurus munificentiæ divinæ nobis exponitur & offertur; debet itaque maximè excitare ad gratitudinem.

2. Quia periculum contrariæ ingratitudinis illud efflagitat; nam ingratis Deus ſolet beneficia ſua eripere: niſi igitur privari volumus ſalutari Evangelio, debemus illud ſuſcipere cum omni gratiarum actione.

3. Quia natura veræ fidei ad illud impellit; nam vera fides amplectens Chriſtum Servatorem calefacere ſolet ipſum cor affectu gratitudinis erga Deum, & diſſolvere illud gelicidium quod in cordibus incredulorum reperitur.

Documenta.

Docum. 1. Vera fides non ſtat cum ingratitudine. Qui enim per fidem ſe ab inferni faucibus liberatum, & in gloria cœleſti conſtitutum videt, non poteſt non gratus eſſe erga authorem ſuæ felicitatis.

Docum. 2. Qui nihili faciunt Evangelium, non ſunt participes adhuc beneficiorum Chriſti; ſi eſſent, utique prorumperent in gratiarum actionem ob hanc ſalutarem lucem illis tam miſericorditer à Deo communicatam.

Docum. 3. Iuſtè Deus illos privat hoc beneficio Evangelii, qui non illud ſuſcipiunt cum gratiarum actione. Eſt enim hæc gratitudo quaſi quidam cenſus, & ſpeciale ſervitium quod in recognitionem ſui ſummi dominii Deus exigit ab omnibus ſuis beneficiariis; qui hunc pendere recuſant, quaſi fundo beneficiario jure exturbantur. Atque hæc de gratiarum actione.

Abſolvimus jam hoc Procœmium Apoſtoli: ipſam quæſtionem verſu proximè ſequente proponit; dein ſuam ſententiam confirmat, atque expugnat contrariam.

VERS. VIII.

Videte ne quis ſit qui vos deprædetur per philoſophiam, & inanem deceptionem, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.

PRocœmio finito, ſequitur ſecunda pars hujus Capitis; in qua proponitur ſtatus quæſtionis diſceptandæ, quam leviter attigerat verſu 3. & 4. Sic autem ſe habet, ſi ad propoſitionem

Dialecti-

Dialecticam revocetur; In ſalutis negotio, nec ſpeculationes Philoſophicæ, nec traditiones humanitus inventæ, nec ceremoniæ Moſaicæ; ſed doctrina Evangelii pura puta eſt recipienda. hæc eſt Apoſtoli ſententia. Sed quò magis percelleret animos Coloſſenſium, noluit hoc modo proponere; ſed figuratè per Apoſtrophen convertere ſermonem ſuum ad illos, & quaſi colloqui cum illis. Tria itaq; in hoc verſiculo facit Apoſtolus. 1. Excitat eos ad cavendas impoſturas. 2. Revocat eas impoſturas ad tres ſpecies. 3. Ponit generalem rationem vel regulam ex qua perſpiciatur eas eſſe rejiciendas.

Videte ne quis ſit qui vos deprædetur] Hîc convertit ſuum ſermonem ad Coloſſenſes, & eos cautos reddere conatur dupliciter.

1. Per hanc particulam attentionis; ***Videte ne.*** Nam multò acriùs hoc penetrat animum, quàm ſi dixiſſet ſimpliciter, Rejicienda ſunt à Chriſtianis omnia hominum aſſumenta quæ Evangelio attexuntur. Qui enim ſic loquitur, videtur cum ſolo intellectu agere; at qui cum Apoſtolo inclamat auditorem, ut videat ne decipiatur hiſce hominum commentis, is non modò inſtruit intellectum, ſed voluntatem & affectus movet ad deteſtationem falſæ doctrinæ. Nam hâc loquendi formula inſidias illis poſitas, & inſidiatorem quaſi appropinquantem digito demonſtrat: ſic enim vigiles, cùm hoſtem conſpexerint, clamare ſolent, Videte, cavete; hoſtes ingruunt.

2. Illos excitat ad ſummam cautionem, per elegantem Metaphoram deprædationis; nam συλαγωγῶν eſt prædam abigere, quemadmodum latrones ſolent homines & pecora, ubi prevalucrint in pugna, ſecum abducere. Sic Amalekitæ, direpto Siclago, homines & omnia illorum bona aſportabant; 1. Sam. 30. Hoc igitur vocabulo grande periculum illis imminere oſtendit à ſeductoribus, qui eo animo illos invadunt, ut in ſervitutem abducant, quaſi prædam in bello captam; dum abducunt ſcilicet ab Evangelio ad ſuas impoſturas. Hic itaque modus loquendi valde facit ad attentionem, & cautionem in animis illorum excitandam.

Obſervationes.

Non fides adhibenda omnibus qui docendi munus ſuſcipiunt in Eccleſia; ſed videndum, & ſerio examine perpendendum, utrùm ſana ſit eorum doctrina necne. Hoc prohibent Pontificii doctores, quia diffidunt ſuę doctrinæ; hoc Apelles Hæreticus olim prohibuit, ut eſt apud Euſeb. lib. 5. cap. 13. Dicebat enim, μὴ δεῖν ὅλως ἐξετάζειν τὸν λόγον, ***non oportere inquirere in doctrinam; ſed quemque, ut accepit & credidit, tenere oportere.*** Sed aliter hoc in loco Apoſtolus; & 1. Theſſ. 5. 21. & Actor. 17. 11. *Obſerv.* 1

Ad Paſtoris officium ſpectat, gregem ſuum non modò in ſana doctrina inſtituere, ſed contra ſeductorum inſidias parare & armare: vigilis enim locum tenet; debet itaque illos admonere de *Obſerv.* 2.

hoſte adventante, debet illis ſtructas inſidias patefacere: quod ni fecerit, *A Paſtore exigetur quicquid per inertiam non cuſtoditur*; Cyprian. de Sing. Cler.

Obſerv. 3. Doctrina Evangelii eſt quaſi ſeptum ovilis Chriſti: tutæ ſunt oves dum ſe continent intra hanc caulam; at cùm ad novas & extraneas doctrinas vagantur, tanquam palantes oviculæ, in prædam cedunt furibus, id eſt, Hæreticis & ſeductoribus: hac fraude Pontifex Romanus tot Eccleſias deprædatus eſt; nam à doctrina Evangelii illas avocavit, dein quò voluit quaſi ſua mancipia abduxit.

Per Philoſophiam & inanem deceptionem] Poſtquam Apoſtolus Coloſſenſes de cavendis impoſturis præmonuerat, impoſturarum varias ſpecies recenſet. Prima eſt quæ *Philoſophiæ* nomine deſignatur; dein appoſitivè adjunguntur verba quæ exponunt qualem Philoſophiam vult, nimirum *fallacem* & *inanem*. Sed quia ſæpe inter Theologos quæritur de uſu rationis humanæ atque Philoſophiæ in negotio Religionis: atque hinc etiam criminationes mutuæ oriuntur inter nos & Pontificios; dum nos illis intentamus crimen corruptæ Theologiæ, quòd in Articulis de juſtificatione, de libero arbitrio, multiſq; aliis Ariſtotelem potiùs quàm Paulum ſequantur; illi è contrà in quæſtione de præſentia corporis Chriſti in cœna Dominica dicunt nos niti principiis Philoſophicis, & rejicere manifeſtum Dei verbum: has (inquam) ob cauſas diſceptabimus paulò fuſiùs hac de re; atque ad hæc capita ea omnia quæ dicturi ſumus revocabimus.

1. Oſtendemus veram Philoſophiam non damnari ab Apoſtolo.

2. Exponemus quid ſub Philoſophiæ vocabulo intelligere oportet hoc in loco.

3. Declarabimus in quo uſus, in quo abuſus Philoſophiæ ſit, quod attinet ad res divinas.

1 Quod ad primum; ſive loquamur de Morali, ſive de Naturali, ſive de quacunque alia Philoſophiæ parte, ſive de tota Philoſophia quaſi de integro quodam corpore; certum eſt illam damnari non poſſe, ut ipſe Deus in crimen non vocetur. Nam Philoſophia partus eſt rectæ rationis: hoc autem lumen rationis inditum eſt humanæ menti ab ipſo Deo; juxta illud Tertulliani, *Res Dei ratio:* veram itaque Philoſophiam cenſemus, non diſciplinam Stoicam, nec Platonicam, nec Ariſtotelicam; ſed quæcunque ab his omnibus, aliiſve, in rectæ rationis lumine inventa, dicta, ſcriptáve fuerint: hoc totum ſelectum appellamus Philoſophiam. Non itaque ſomnia Philoſophantium, ſed uniuſcujuſq; decreta veritati & bonis moribus congruentia Philoſophiam conſtituunt. Nam ut errores Theologorum non pertinent ad Theologiam tanquam partes ejus, ſed tanquam peſtes;

ſic

ſic nec Philoſophorum ad Philoſophiam. Non dubitamus igitur cum Clemente Alexandrino vocare Philoſophiam, *æternæ veritatis* ἀπαύγασμα, *avulſam particulam*; Strom. 1. Qui itaque ipſam Philoſophiam exploſam cupiunt ex ſcholis Chriſtianorum, aut imperiti prorſus ſunt, atque eò ſpectant ut in communi omnium ignorantiâ lateat eorum inſcitia; aut malitioſi ſunt, atque cupiunt nos omni literarum inſtrumento ſpoliatos, quaſi rudes & inermes aſtutis & armatis hoſtibus objicere; quod Iuliani ſceleſtum propoſitum detegit & taxat Nazianzenus orat. 1. in Iulianum.

Poſſem hoc in loco Phyſicæ, Ethicæ, Dialecticæ varias utilitates commemorare: nam ex hiſce omnibus adjumenta petit non modò vita communis, ſed etiam divina Theologia, concedente Tertulliano acerrimo Philoſophorum hoſte; *Quemodo quis inſtitueretur ad prudentiam humanam, vel ad quemcunque actum ſine literis, cùm inſtrumentum ſit ad omnem vitam literatura? Quomodo repudiamus ſecularia ſtudia, ſine quibus divina eſſe non poſſunt?* Si itaque Philoſophiam damnaret & rejiceret Apoſtolus, rejiceret utique lumen rationis, & Deum ejus authorem ſummâ afficeret injuriâ. Quoties igitur à Theologis repudiatur & rejicitur quod attinet ad res humanas & externas; id non de vera & genuina Philoſophia accipiendum, ſed de erroribus & portentis Philoſophantium. Nam zizania ſeminata ſunt in Philoſophia, quemadmodum in religione noſtra: & veritas propè ab ea excluſa eſt per veneficia in illam diffuſa. Vt itaque verbo concludamus; Si Philoſophantium errores, aut difficiles nugæ, Philoſophiæ nomine inſigniantur, tum liberum nobis eſt rejicere & damnare talem Philoſophiam; ſed ſi ſcientiam veritatis, lumine rationis naturalis inventam, hoc nomine vocemus, eam non damnandam, ſed excolendam judicamus. *De Idol.*

Veram & germanam Philoſophiam non damnari perſpicuum eſt: quæramus ſecundo in loco, quænam illa ſit quæ ab Apoſtolo excludatur; ea ſcilicet, cui inuſſit ignominioſam notam κατὰ ἀπάτην. Damnata itaque hæc Philoſophia, & κατὰ eſt, & ἀναστατέα. 2

Iam verò Philoſophia, ſive ratio humana, quæ Philoſophiæ mater eſt, vacua & deceptoria ſemper reperitur cùm fertur extra proprios limites; hoc eſt, cum ſtatuere conatur de illis rebus quę non poſſunt dijudicari per κριτήρια rationis naturalis: hujuſmodi autem ſunt, quæ ſpectant ad Dei cultum, & ad hominum ſalutem. Audienda igitur Philoſophia eſt, cùm de rebus ſibi ſubjectis ſecundum rectæ rationis illuminationem pronunciat, ſed cùm de juſtificatione humana, de reconciliatione ad Deum, de modo cultus divini decernit, vel de aliis ad fidem ſpectantibus, explodenda eſt; quia in his quæ ſunt ſupra captum rationis, & pendent tantummodò ex revelata Dei voluntate, nihil ſolidi aut ve-

ri affert, ſed prodit ſe prorſus inanem eſſe & deceptoriam.

Apoſtolus alibi hujus rei cauſam attulit; quia ſcilicet *animalis homo non percipit ea quæ ſunt Dei; ſpiritu enim Dei diſcernuntur:* ſed Philoſophus quà Philoſophus, nihil aliud quàm homo animalis; & ipſa ratio non illuminata fide, ad hanc animalitatem pertinet: non poteſt itaque pertingere ad ſcientiam ſalutiferam; &, ſi conetur, miſerè in nugas evaneſcit. Hîc itaque renunciamus Philoſophiæ, & rationi humanæ; & fatemur cum Iuſtino Martyre Theologo & Philoſopho, in Paræn. ad Græcos, *Nec Poetas, nec Philoſophos idoneos eſſe authores religionis condendæ: ſed ſolum Deum per revelationem.* Quod etiam Prudentius elegantiſſimis verſiculis expreſſit, quos non pigebit adſcribere. Demonſtrat rationem non poſſe non ſuccumbere ſi ingerat ſe in divina;

Libr. 2. cont. Symmac.

Quippe minor natura aciem ſi intendere tentet
Acriùs, ac penetrare Dei ſecreta ſupremi;
Quis dubitet victo fragilem laſſeſcere viſu,
Vimque fatigatæ mentis ſub pectore parvo
Turbari, invalidiſque hebetem ſuccumbere curis?
Sed facilis fidei via &c. Vide Hilar. 1. de Trinit.

Neque debet hoc mirum videri: nam ſi bruta animalia quæ de rebus ad ſenſum ſpectantibus, utpote de cibo & potu ſuo, optimè judicant; non poſſunt tamen de humanis negotiis judicare: tum pari ratione neque homines lumine naturali de doctrina cœleſti & cultu divino pronuntiabunt, licèt poſſint de rebus humanis ejuſdem beneficio quod bonum & rectum eſt ſtatuere.

Vt itaque hæc accommodemus ad id quod in manibus eſt: Pſeudoapoſtoli ſub prætextu arcanæ cujuſdam ſapientiæ conabantur obtrudere Coloſſenſibus novas quaſdam doctrinas de cultu Angelorum, de expiatione animorum, & ejus generis alia, ex Platonicorum fortaſſe fontibus traducta. Quid ad hęc Paulus? Nolite (inquit) credere; fallax & inanis eſt Philoſophia cùm de Religione prącipit. Non à Platone & ratione humana, ſed à Deo & ejus verbo diſcere oportet, quomodo Deus Pater adiri velit, quomodo peccata noſtra expiari. Explodamus igitur & damnemus Philoſophiam hiſce de rebus edicta promulgantem.

Object. Sed objicitur, res divinas & ſpirituales notas eſſe rationi humanę, idque in lumine ejuſdem naturali: ſic enim Apoſtolus ad Romanos 1. 19. *Id quod de Deo cognoſci poteſt manifeſtum eſt in illis: ipſius inviſibilia ex rebus conditis intelliguntur &c.* Si ratio comprehendit res divinas, tum poteſt de eiſdem ſtatuere, neque idcircò κανὼν vocabitur.

Solut. Rerum ſpiritualium notitia naturalis, obſcura & infirma eſt,

per-

pertingens tantùm ad ipſum Eſſe illarum rerum; ut eſſe Deum, eſſe cultum Dei, eſſe beatitudinem animarum ratio & Philoſophia percipit; ſed quomodo ille Deus colendus, quomodo beatitudo obtinenda non percipit; dum itaque de hiſce & conſimilibus decernere conatur, κενὴ eſt & ἀναλυτική. Scientia hæc poteſt facere ἀναπολόγητον, ſed non poteſt facere idoneum doctorem, niſi accedat ſcientia infuſa per gratiam.

Accedamus ad id quod ultimo loco à nobis propoſitum fuit, nimirum ad declarandum abuſum & uſum rationis, ſive Philoſophiæ in negotio Religionis. Nam qui clamant perpetuò ſine diſcrimine de excludenda ratione humana à tractatione rerum ſacrarum, id videntur poſtulare, ut homines abſque ratione verſentur in rebus maximis, cùm ne minima quidem ritè adminiſtrentur ſi naturale illud rationis lumen extinguatur. 4

Rationis naturalis ſeu Philoſophiæ abuſus multiplex eſt in cauſa Religionis.

1. Cùm ex ſuis principiis deducere conatur ipſa Religionis fundamenta: nam quamvis principia rectæ rationis in ſe vera ſint, non tamen ex iis elici poteſt quid ſtatuendum de Trinitatis myſterio, de Chriſti incarnatione, de juſtificatione peccatoris, de invocatione Dei, ac cultu ejus; quæ omnia ex altioribus principiis ſunt deducenda, nimirum ex revelata Dei in verbo voluntate. Ratio eſt *potentia diſcurſiva à principiis ad concluſiones*; ſed non habet in ſe principia illarum rerum quæ fide apprehenduntur; impudenter itaque concluſiones ædificat ſuper arena opinionum ſuarum.

2. Cùm ſua principia, quæ ſunt vera in ordine naturæ, opponit principiis Theologicis, quæ ſunt longè ſupra naturam. Verbi causâ; verum eſt, *ex nihilo nihil fieri*; verum eſt, *ſpecies diſparatas non prædicari ad invicem, nec uniri in eodem ſuppoſito*; verum eſt, *à privatione ad habitum non dari regreſſum:* ſed hæc omnia intelligenda ſunt ſecundum curſum naturæ, & potentiam finiti agentis. Errant itaque Philoſophi, cùm hinc putant concludi poſſe, contra Creationem Mundi, contra Incarnationem Dei, contra Reſurrectionem mortuorum; quæ omnia facta vel facienda docent ſacræ Scripturæ, non per virtutem cauſarum naturalium, ſed per omnipotentiam Dei. Hîc itaque illa Thomæ regula tenenda eſt, quæſt. diſp. de fide art. 10. *Rationi naturali veræ nunquam contrariatur Theologia, ſed eam excedit ſæpe, & ſic videtur repugnare.* Non enim vera ratio dicit illa ſuperiora fieri non poſſe abſolutè; ſed non poſſe fieri virtute aliqua finita, quod etiam Theologia fatetur. In illis itaque quæ ſunt huiuſmodi, *Philoſophia Theologiæ ſe ſubmittat, ut Agar Saræ; patiatur ſe admoneri & corrigi, ſin minùs pareat, ejice ancillam.* Clem.Str.1

3. Cùm Errores ſuos per malam conſequentiam, ex veris

quandoque principiis deductos, pro legitimis concluſionibus obtrudit. Sic Stoici, Epicurei, Ariſtotelici, & quotquot Philoſophorum nomine cenſentur, non ſemper rectæ rationis dictata, ſed ſuę opinionis inſomnia docuerunt. Iam verò ſi quis conetur ſub Philoſophię nomine in Theologiam inferre hos errores, bis peccat; primùm in eo, quòd ulcera Philoſophorum ipſius Philoſophię dogmata reputet; iterum, quòd putet Theologiam etiam ſanę Philoſophię regulis ſubjiciendā. Atq; hunc abuſum mihi videntur Patres in antiquis Hęreticis acriter reprehendiſſe, atq; eâ occaſione in Philoſophiam & Philoſophos acerbè quandoque declamâſſe. Nihil apud Tertullianum frequentius: *Philoſophus gloriæ animal. Affectant veritatem, & affectando corrumpunt. Ex Philoſophorum ingeniis omnis hæreſis animatur. Omnes hæreſes ex Philoſophiæ regulis conſtant. Omnia dogmata Hæreticorum cùm frigeant, & volare non poſſint, ſedem ſibi & requiem inter Ariſtotelis ſpineta reperiunt.* Nec Lactantius in illos mitior, qui Inſtitut. lib. 3. cap. 2. & in ſequentibus paſſim exagitat Philoſophiam & Philoſophos. Sed, uti dictum eſt, hęc non ad veram & ſobriam Philoſophiam intra terminos ſuos manentem; ſed ad illam procacem & deceptoriam ſpectant, quę immiſcere ſe audet rebus ſupra captum ſuum, aut quę privatorum hominum opiniones pro ipſius veritatis decretis oſtentat. Abuſum videtis; jam uſum verę Philoſophię oſtendamus: is autem multiplex eſt.

1. Vtilis imò neceſſaria eſt Philoſophię cognitio ad claram intellectionem & perſpicuam explicationem multorum locorum, quę paſſim occurrunt in ſacris Scripturis. Quamvis enim principia Religionis noſtręà Deo petuntur, non à ratione humana, aut ſcientiâ aliquâ Philoſophicâ; tamen in libris ſacrę Scripturę multę occurrunt loquendi formulę, multa exempla, & illuſtrationes, quę non poſſunt plenè intelligi, & perſpicuè enarrari, abſque adjumentis humanę literaturę. Hujuſmodi ſunt ea loca, quę de corporum cœleſtium motu, influentiis, obtenebratione mentionem faciunt; quę ut rectè intelligantur requirunt ſcientiam Aſtronomicam. Hujuſmodi etiam ſunt, quę alludunt ad quorundam animalium proprietates, utpote luporum, ovium, leonum, urſorum, columbarum, aquilarum, quę lumen naturalis Philoſophię deſiderant. Huc etiam referri poſſunt quę ad Regionum naturam & temperaturam reſpiciunt; ut cùm ab æſtu & ſiccitate, cùm ab umbra, vel aqua, vel ventis refrigerantibus petuntur loquendi formulę, & accommodantur ſępe ad ſpiritualia illuſtranda: hæc enim non rectè explicantur niſi ab eo qui probè noverit expenderitque naturam illorum locorum; quod Geographiæ expers facere non poterit. Ne ſingula percurrendo nimis diffundatur oratio, verè dicamus, nullam eſſe partem Philoſo-

loſophiæ, aut humanæ literaturæ, quæ ab Interprete ſacrarum Literarum non advocetur quandoque, quaſi ad ſymbolum ſuum conferendum. Hîc itaque primus uſus eſt Philoſophiæ.

2. Philoſophia, præſertim illa quæ regulas & artem docet rectè diſſerendi, apprimè neceſſaria eſt, & ab omnibus adhibenda in dijudicandis & tractandis omnibus controverſiis quæ ſpectant ad Religionem. Quamvis enim ratio Religionis principia ſumat à lumine fidei, tamen hoc lumine præeunte ex hiſce principiis, ſecundum normas bonæ & neceſſariæ conſequentiæ (impreſſas ab ipſo Deo rationali creaturæ) & ſolet & debet judicare quomodo partes cœleſtis doctrinæ inter ſe cohæreant, & ſe mutuò ſtabiliant; quid cum illis conſentaneum, quid ab illis diſſentaneum ſit. Credimus ſupra rationem; ſed non temerè, aut irrationabiliter. Nam ipſa ratio concipit, & illud cui fidem adhibemus fluere, & rectè deduci ex principiis ſacræ Scripturæ. Verbi causâ; Credo reſurrectionem mortuorum. Quomodo? Ipſâ ratione oſtendente hanc doctrinam tradi in ſacris Scripturis; non crederem enim niſi id in Scripturis poſitum intelligerem. E contrà; Non credo Purgatorium. Cur? Quia ratio ex nullo Scripturæ loco, juxta regulas bonæ & firmæ conſequentiæ, colligere poteſt veritatem hujus doctrinæ. Hunc uſum rationis atq; Dialecticæ in rebus ſacris adeò non improbat Deus, ut illum ab omnibus exigat; imò in hunc finem inſevit mentibus humanis normas quaſdam judicandi, ac diſcernendi verum à falſo, certum ab incerto, conſequens ab inconſequente, ut uteremur hac luce rationis in omnibus, ac maximè in divinis. Ad Epheſ. 5. 17. *Ne eſtote imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Domini:* & 4. 14. *Ne ſimus ampliùs pueri qui circumferamur quovis vento doctrinæ, &c.* & 1. ad Theſ. 5. 21. *Omnia explorate, quod bonum eſt tenete.* Hoc laudatur in Beræenſibus, qui, auditâ Pauli prædicatione, *Scripturas illicò ſcrutantur, an res ità ſe haberent necne*, Act. 17. 11. Hæc autem exploratio atque examinatio doctrinarum fieri non poteſt, niſi adhibito rationis judicio, quæ judicat de veritate conſequentiarum per ſua principia, de veritate rerum, non innitendo principiis ſibi notis extra verbum Dei, ſed in Scriptura ſacra traditis, ut antè dictum eſt. Præclarè in hanc ſententiam Tertullianus de Reſurrectione Carnis; *Eſt quidem & de communibus ſenſibus ſapere in Dei rebus, ſed in teſtimonium veri non in adjutorium falſi; quod ſit ſecundum divinam, non contra divinam diſpoſitionem.*

3. Neceſſaria eſt Philoſophiæ cognitio, tum ad inſtructionem illorum qui nondum Chriſto nomina dederunt, tum ad oppugnationem, ſi præfractè adverſentur Religioni noſtræ. Qui in tenebris natus, ac perpetuò educatus fuit, non protinus in claram ſolis lucem extrahendus, ne tantâ luce obrui potiùs illum

con-

contingeret quàm illuminari: ſic qui in tenebris Paganiſmi ab incunabulis educati fuerunt, non poſſunt illicò ferre lucem Evangelii, ſed rationibus à lumine naturali petitis ſunt priùs excitandi ad intuendam hanc lucem. Sic Paulus agit cum Athenienſibus, Act. 17.24. Clemens Alexandrinus Strom. 1. venuſtâ ſimilitudine hujus rei rationem illuſtrat: *Quemadmodum* (inquit) *qui populum alloqui volunt, hoc faciunt ſæpenumerò per præconem publicum, ut ea quæ dicuntur exaudiantur ab omnibus: ità cum ad homines religionis Chriſtianæ ignaros habenda ſit oratio, adducendæ ſunt opiniones, & voces ipſius naturæ, quæ ab illis percipi poſſunt & intelligi.*

Iam vero quod attinet ad conflictum cum Philoſophis Religioni contradicentibus, quis non videt opus eſſe Philoſophicâ armaturâ? Eſt enim inſtar valli & ſepimenti contra illorum inſultus; eſt inſtar gladii ad illos transfodiendos: quæ licèt veritatem nihilo faceret potentiorem; tamen in hoc valde utilis eſt, quòd ſophiſticam retundit, & facit contra illam debiliorem. Nota eſt Iuliani Apoſtatæ vox, Τοῖς αὐτῶν πλησίοις ἁλισκόμεθα, *Noſtris ipſorum alis capimur.* Hanc ille emiſit querelam, cùm videret Gentiles Philoſophos ac illorum errores proſterni & profligari à Chriſtianis humanæ literaturæ, & ipſius Philoſophiæ ſubſidiis. Et ſanè hoc fuit valde honorificum Eccleſiæ Doctoribus, quòd in ſuis ipſorum caſtris cæſi ſunt ab illis hoſtes, *& iis armis oppreſſi, quibus placere ſibi, & confidere ſolebant*; ut loquitur Lactantius lib. 3. cap. 1.

4. Magnus eſt uſus Philoſophiæ, & omnis bonæ literaturæ etiam inter Chriſtianos; quòd hiſce ſtudiis præparantur, & acuuntur hominum ingenia ad tractationem & ſuſceptionem ſcientiæ altioris; quòd bene dictis Philoſophorum ornare & locupletare poſſumus diſſertationes noſtras de rebus ſacris. Nam *bene dicta Philoſophorum ſunt peculia Chriſtianorum*; Iuſt. Mart. Apol. 1. Neque enim cum illis ſentio, qui non modò Philoſophorum, ſed ſanctiſſimorum Patrum ſententias à ſacris concionibus prorſus removendas putant. Multò meliùs ſtatuere mihi videtur Proſp. præfat. ad 2. lib. de vita contemplativa; *Veritas* (inquit) *undecunque claruerit, non eſt humano ingenio deputanda, ſed Deo; nec aliquorum debet credi, ſed omnium, quæ per ſe tanta & talis eſt, ut non ſit tunc magna ſi eam magni docuerint, ſed potiùs ipſa magnos facit eos à quibus doceri vel diſci potuerit.*

5. Ad extremum, & illud adjungo, etiam ad delectationem auditorum moderatam & utilem, adhiberi poſſe quaſi condimenta quædam ex politiori literatura. Nam ſi cibos corporeos divina benignitas nobis conceſſerit, non modò neceſſarios ad famem depellendam, ſed ſuaves & jucundos, ad guſtus delectationem: cur non etiam in cibis ſpiritualibus hoc idem indultum nobis putemus?

temus? præſertim cùm hæc delectatio utilitatem habeat conjunctam. Facit enim, ut ea quæ ſunt præcipua fidei dogmata in mentem faciliùs & jucundiùs influant. Vnde Clemens; *Veritas quæ petitur ex ſacra Scriptura neceſſaria eſt ad vitam tanquam panis; quæ autem ex aliis diſciplinis petitur*, προσοψήματι ἔοικε καὶ τραγήματι. Hæc nolim ità accipi quaſi probem illorum affectatam vanitatem, qui undique corrogatis ſententiolis inferciunt ſuas conciones, Scripturarum interim prorſus immemorès; ſed ut oſtendam Philoſophiam, atque adeò omnem politiorem literaturam locum habere etiam in rebus ſacris, & utilitatem ſuam, ſi dextrè adhibeatur.

Secundum traditionem hominum] Omnes falſorum doctorum impoſturas ad tres ſpecies revocavit Apoſtolus. Prima poſita fuit in curioſis ſpeculationibus Philoſophorum ſtatuentium de cultu & voluntate Dei ex judicio rationis, non ex verbo revelato; hanc Philoſophiam quamvis ſpeciem præ ſe ferat reconditæ & ſublimis ſapientiæ; tamen ut inanem & deceptoriam Paulus damnavit & exploſit. Iam ſecundam ſpeciem falſæ doctrinæ taxat, quam vocat παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων. Deſignat autem non curioſas illas & abſtruſas ſpeculationes, quas anteà perſtrinxit ſub nomine Philoſophiæ; habebant enim iſtæ doctrinæ umbram quandam ſapientiæ: ſed ſuperſtitioſas & ſtultas obſervationes, ſitas in rebus externis; quæ nitebantur ſolâ conſuetudine & antiquitate; corroborabantur autem ut plurimùm, vel impoſtorum fictis viſionibus, vel Dæmonum ipſorum artibus & efficacia. Hujus generis erant illæ Phariſæorum traditiones de rebus leviculis, utpote de poculis abluendis, & conſimilibus nugis, in quibus tamen magnam ſanctitatem conſtitutam volebant. Hujus generis erant ritus & obſervationes Gentilium, in ſacrificiis, in nuptiis, in exequiis. Huc etiam ſpectant obſervationes, & averruncationes omnium præſagiorum, horarum, dierum, rerum inventitiarum, quæ omnia vaniſſimis & ineptiſſimis traditionibus & ritibus abundabant. Huc denique referre oportet Papiſtarum ridiculas cæremonias, & ſuperſtitioſos ritus, quos ab ipſis Ethnicis in religionem Chriſtianam traduxerunt, fatente Gerſone par. 3. de direct. cor. *Commutavit* (inquit) *Eccleſia multos Gentilium ritus, non eos penitus auferendo, ſed intentiones fidelium circa hujuſmodi in finem bonum dirigendo.* Neque abs re erit exempla quædam ponere harum ſuperſtitioſarum traditionum, idq; ex hoc eodem Pontificio authore, ne Papiſtas falſò accuſare videamur.

Cultus Sanctorum plurimum ſuperſtitionis habere videtur; ut quòd offeratur tale munus tali Sancto; ut gallus pro pueris, gallina pro puellis; quòd unus Sanctus præ aliis invocetur pro curatione alicujus certi morbi; quòd in hac quàm in alia Eccleſia vir-

tus

tus alicujus Sancti potentior & præſentior putetur. Multùm ſudat, ut hoſce ritus à ſuperſtitione liberet. Idem in libro de Erroribus circa artem magicam, *Arguunt* (inquit) *& nos Magi, ac in ſimilem cauſam trahere ſatagunt. Nonne talia, dicunt, fiunt aut tolerantur ab Eccleſia, in peregrinationibus certis, in cultu imaginum, in cereis & aquis benedictis, in exorciſmis? Nonne dicitur quotidiè, ſi novem diebus quis perduret in hac Eccleſia, ſi aquâ illâ perfundatur, ſi tali ſe voveat imagini, mox ſanabitur?* Hæc exerceri à Papiſtis, ídque ſub ſpecie cultus divini, probari autem, aut tolerari ſaltem à Prælatis agnoſcit: ut autem conetur manifeſtam hanc ſuperſtitionem excuſare, operæpretium eſt audire; *Tolerantur* (inquit) *quia nequeunt funditus erui, & quia fides ſimplicium regulatur & ſalvatur in fide majorum.* Sed quæ eſt illa regulata majorum fides hiſce de rebus? Audite; *Hæc eſt intentio Eccleſiæ, ut talia fiant, non tanquam neceſſariò efficacia, aut tanquam ſpes principalis in talibus poſita ſit, Deo poſtpoſito; ſed ut pietas fidei per iſta nutriatur & augeatur.* Sed nos, & haſce, & Monaſticas inſuper obſervationes, & omnes ritus externos qui Deo obtruduntur tanquam partes cultus divini, ad haſce damnatas hominum traditiones referemus authore Paulo, & Chriſto. *Fruſtra me colunt docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum*; Mat. 15. 9. In cauſa enim religionis illa Tertulliani regula ſemper tenenda. *Nobis nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed nec eligere quod aliquis ex arbitrio ſuo induxerit.*

Quæſt. Sed hîc quæri poteſt, An omnes traditiones atque externos ritus ab hominibus inductos explodere & ejicere oportet tanquam ab Apoſtolo damnatos, necne?

Solut. Nihil minùs; nam præpoſitis Eccleſiæ concedere oportet poteſtatem inſtituendi ritus boni ordinis & decoris causâ obſervandos, authore ipſo Apoſtolo. *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant à vobis*; 1. Cor. 14. 40. Et alibi; *Obedite præpoſitis veſtris.* De hujuſmodi ritibus vel traditionibus Auguſtini regula laudatur. *In his nulla melior diſciplina prudenti Chriſtiano quàm ut eo modo agat, quo agit Eccleſia ad quamcunque devenerit: quod enim nec contra fidem, nec contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum.* Huc ſpectant leges Eccleſiaſticæ, de tempore jejuniorum, ac feſtorum, de diſcrimine veſtimentorum, de toto denique externo ordine qui obſervatur in ſacris officiis peragendis. Hujuſmodi ritus & traditiones hominum, cùm Dei verbo non repugnant, quiſquis rejicit, perturbator eſt publici ordinis & poteſtatis à Deo conſtitutę contemptor. Sed hîc cautiones quaſdam apponere oportet.

Epiſt. 118. ad Ianuar. cap. 22.

Cautio. 1. Ne homines ritus aliquos aut opera externa præſcribant eo animo, ut in illis quęratur juſtitia, remiſſio peccatorum, vel im-

medi

mediatus Dei cultus: nam quod attinet ad haſce res, ſufficit Chriſtus, nec eget aſſumentis ullis humanis. Hujuſmodi traditiones (quales ferè ſunt omnes Papiſticæ) illo Pauli fulmine proſternuntur; *Evacuati eſtis à Chriſto qui in Lege juſtificamini*. Quantò magis Chriſto exciderunt, qui ſalutem & juſtificationem quærunt in humanis mandatis? Rectè Proſper ſtatuit de hiſce obſervationibus; *Iejunia, abſtinentiæ, vigiliæ, & cætera hujuſmodi, non pro juſtitia, ſed cum juſtitia Deo ſunt exhibenda*; de Vita contemp. lib. 3. cap. 10.

Cavendum ne traditiones hæ de rebus ſuâ naturâ adiaphoris, ſic jungantur quaſi parem obligationem conſcientiæ haberent cum legibus divinis; id eſt, quaſi reatus damnabilis incurratur ex illarum quacunque violatione, licèt id accidat abſque contemptu præcipientium, aut ſcandalo aliorum. Sapienter & verè Gerſon par. 3. *Abutuntur ſua poteſtate qui volunt ſuas omnes ordinationes robur habere per obligationem ad pœnam æternam*; & part. 1. in Concluſ. Matth. Grabb. *Quòd omnis faciens contra jura Canonica peccet mortaliter, erroneum eſt.* *Caut. 2.*

Cavendum ne ſic multiplicentur traditiones de rebus adiaphoris, ut indè ſervili jugo premantur Chriſtiani, & quaſi in ſervitutem Iudaicam revocentur. Nam hoc ipſi Apoſtoli ſolicitè caverunt; Actor. 15. 10. *Quid tentatis Deum impoſito jugo cervici Diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Exuberantem hanc cæremoniarum copiam reſecandam dicit Auguſtinus, quia ſervilibus oneribus premunt religionem. Et ratio neceſſaria illud poſtulat. Nam ſupervacua hæc occupatio circa traditiones humanas gignit ſemper ignorantiam & contemptum præceptorum divinorum. Hîc itaque colluviem Papiſticarum traditionum jure exagitare liceret; ſed malim ex ſuis aliquem quàm me hac de re conquerentem audiatis. Gerſon. par. 1. de Nuptiis Chriſt. & Eccleſ. *Quid vult conſtitutionum talis multiplicatio, Evangelio nec cognito nec obſervato? Sciatur inprimis, & ſervetur Evangelium.* Et de Vita Spirituali corollario. 14. par. 3. *Tanta eſt hujuſmodi conſtitutionum multitudo, ut ſi tenerentur in ſuo rigore, maxima pars Eccleſiæ damnaretur.* Atque ſic habetis quid ſub *traditionum* nomine intelligat Apoſtolus; quatenus ſint probandæ, quatenus rejiciendæ. Iam progrediamur ad tertiam ſpeciem falſæ doctrinæ, quæ hîc taxatur ab Apoſtolo. *Caut. 3.* *Ep. 119.* *Mat. 15. 6.*

Secundum elementa mundi] Hęc eſt illa ultima ſpecies impoſturæ, ſive falſæ doctrinę, quam cavendam monet Apoſtolus. Nonnulli hæc verba referunt ad illum cultum idololatricum ſolis, lunę, maris, terrę, fontium, fluminum, quem Philoſophi Gentiles docuerunt. Partiebantur enim illi Dei unius potentiam in particulares elementorum & creaturarum virtutes; ac hiſce ſin-

gulis quandam divinitatis portionem, & proinde cultus divini partem aſſignabant. Doctrinam itaque de cultu creaturarum hîc perſtringi, & Auguſtinus, & quidam ex modernis Interpretibus opinantur. Sed amplector potiùs illorum interpretationem, qui per *elementa mundi* intelligunt rudimenta illa pędagogica quibus Deus erudivit Eccleſiam Iudaicam; nimirum, ritus Moſaicos, Legales cęremonias, & umbras Chriſti venturi: hiſce enim infantiam Eccleſię ſuę, quaſi primis quibuſdam religionis elementis, imbuere voluit divina ſapientia, & prępărare ad recipiendum Chriſtum, & perfectionem doctrinę Evangelicę, cùm ad adultam ætatem perveniret.

Aug. in Ep. ad Gal.

In hanc eò lubentiùs deſcendo ſententiam, quòd ipſe Paulus ad Galatas 4. 3. per *elementa mundi* deſignat illum cultum cæremonialem qui viguit ſub veteri Teſtamento; *Nos cùm eſſemus infantes ſub elementis mundi eramus in ſervitutem redacti.* Et verſu 9. *Quomodo convertimini retrorſum* πῶς τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα &c. Pugnat autem Paulus in hoc Capite & ſequente cum illis qui circumciſionem & alios Moſaicos ritus in Eccleſiam invehere conabantur, & miſcere cum doctrina Evangelicâ.

Hoc igitur dicit Apoſtolus, fugiendos illos eſſe tanquam impoſtores, qui cæremonias ab ipſo Deo mandatas ſub veteri Teſtamento, & abrogatas jam Chriſto & Evangelio exhibito, nihilominùs obtrudunt Chriſtianis. Nam *Lex vetus umbram habuit futurorum bonorum, non expreſſam formam rerum*; Heb. 10. 1. Hîc itaque obſervanda eſt doctrina de abolitione cęremoniarum. Triplicem cauſam afferre ſolent Scholaſtici cur ceſſare oportuit Legales cęremonias poſt Chriſti adventum: quia erant obſcurę quoad ſignificationem, imperfectę quantum ad efficaciam, & oneroſę quantum ad obſervationem; hiſce enim omnibus nominibus repugnabant gratię Evangelicę.

Sed illa ratio mihi videtur validiſſima, quòd cęremoniæ Legales habebant annexam quandam fidei proteſtationem de Meſſia venturo, & peccata humani generis expiaturo. Sicut igitur peccaret graviter, qui verbis fidem ſuam proteſtando diceret, Chriſtum venturum & paſſurum: ſic peccat qui factis ſuis, id eſt, qui obſervationibus illis Legalibus idem proteſtatur. Hoc oſtendit Auguſtinus contra Fauſtum, lib. 19. cap. 16. *Iam non promittitur Chriſtus naſciturus, paſſurus, reſurrecturus; quod veteris Legis ſacramenta perſonabant: ſed annuntiatur quòd natus ſit, paſſus ſit, reſurrexit; quod hæc ſacramenta quæ à Chriſtianis aguntur jam perſonant.* Iudaicarum itaque cęremoniarum uſurpatio, eſſet jam falſę fidei proteſtatio.

Object.

Sed objicitur ipſos Apoſtolos poſt paſſionem Chriſti, obſervâſſe, & obſervanda præſcripſiſſe nonnulla Legalia. Paulus circuncidit Timotheum; Act. 16. 3. Ex decreto Apoſtolorum ſtatu-

tum

tum fuit ut Gentiles à ſanguine & ſuffocato abſtinerent; hæc autem abſtinentia pertinebat ad obſervantiam Legis cæremonialis. Quo jure itaque impoſtores cenſentur qui ***Elementa mundi***, id eſt, Legem cæremonialem obtrudunt Chriſtianis? *Act. 15. 29.*

Vtrique objectioni unicâ reſponſione ſatisfaciemus. Quod attinet ad cæremoniarum obſervationem, tria tempora diſtinguere oportet cum Auguſtino. Vnum erat ante Chriſti paſſionem, in quo Legalia erant viva: alterum poſt paſſionem, ſed ante plenam divulgationem Evangelii, in quo erant mortua: tertium poſtquam claruit veritas Evangelii, in quo erant ſepulta & mortifera. Dicimus igitur Paulum circumcidiſſe Timotheum, & Apoſtolos decretum illud edidiſſe tempore hoc intermedio in quo Legalia nondum ſepulta erant. Sed duo alia adjungere oportet. Primum, Apoſtolos tempore hoc intermedio obſervâſſe & retinuiſſe has cæremonias Legales, non tamen ut cultus divini partes, non ut rerum ſpiritualium figuras; nam quoad fidem & conſcientiam, Chriſti paſſione erant abrogatæ: ſed tantummodò publicæ utilitatis, & ſcandali vitandi causâ, obſervârunt illas tanquam quaſlibet alias cæremonias in libertate piorum poſitas. Sic enim videmus Timotheum à Paulo circumciſum, quia id ex re Eccleſiæ putabat: Titum non circumciſum, quia id minimè expedire judicabat. Non itaque ut ſacramentum neceſſarium (ſicut olim Iſaacus, Iacobus, reliquíque;) ſed ut cæremoniam indifferentem, circumciſionem accepit Timotheus. Eadem ratio erat decreti Apoſtolici de abſtinendo à ſanguine & ſuffocato; quod non imponebatur Chriſtianis ut quiddam lege divinâ firmatum, ſed ut illis temporibus aptum, quò ſcilicet faciliùs coaleſceret inter ſe Eccleſia Iudaica & Gentilis. Sed & illud alterum addere oportet, non eſſe eandem rationem omnium Legalium cæremoniarum: nam cùm à veteribus Scholaſticis dividantur in ſacrificia, ſacramenta, ſacra, & obſervantias; non licuit poſt Chriſti paſſionem omninò ſacrificia adhibere ad propitiationem Dei, nec ſacramenta ad ſanctificationem ſpiritualem, nec ſacra illa Legalia ad immediatum Dei cultum, ſed licuit ad tempus (præſertim Iudæis Chriſtianam religionem amplectentibus) quaſdam ex illis obſervantiis in hunc finem retinere, ne eſſent offendiculo infirmis fratribus; Act. 21. 26. Iam verò ex his quæ dicta ſunt colligere licet diſcrimen inter Apoſtolos Legalia quædam retinentes, & ſeductores Legem Moſaicam urgentes. Apoſtoli id faciebant reſpectu ad infirmos ante Evangelium plenè divulgatum; ſeductores id perpetuò faciendum urgebant. Apoſtoli patiebantur quædam obſervari liberâ conſcientiâ, charitatis causâ, & vitandi ſcandali: ſeductores revocabant totam Legem Moſaicam, ídque quaſi ad juſtificationem & ſalutem neceſſariam. Atq; hæc de tribus impoſturarum formis; ſpeculationibus ſcilicet

Solutio.

Epiſt. 19. ad Hieron.

Philoſophicis, traditionibus humanis, & elementis Legalibus.

Et non ſecundum Chriſtum] Hiſce ultimis verbis continetur ratio generalis cur tres prædictæ doctrinæ ſeductorum ſunt cavendæ & rejiciendæ; quia ſcilicet nec ſpeculationes illæ curioſæ, nec traditiones iſtæ ſuperſtitioſæ, nec cæremoniæ hæ abrogatæ ſunt ſecundum Chriſtum.

1 Negantur hæc omnia eſſe ſecundum Chriſtum, quia non ſunt ſecundum doctrinam ab ipſo Chriſto & Apoſtolis ſpiritu Chriſti inſpiratis patefactam.

Obſerv. Vbi illud obſervandum eſt, firmiſſimam eſſe concludendi rationem, Hoc non eſt ſecundum Chriſtum, id eſt, in Evangelio Chriſti patefactum; ergò non admittendum in negotio juſtificationis & ſalutis noſtræ. Sic Apoſtolus ſeductorum doctrinas, ſic nos Pontificiorum traditiones, quas tanquam ad ſalutem neceſſarias urgent, explodimus.

2 Negantur hæc eſſe ſecundum Chriſtum, non modò quia ab illo non dimanârunt, ſed quia Chriſtianos ab illo abducunt. Abducunt autem duobus modis.

1. Mentem exercendo, & detinendo alibi: nam pro innata ſua curioſitate mens humana lubentiùs verſatur in hiſce novis & exoticis doctrinis, quàm in ſimplicitate Evangelica, præſertim cùm ſub religionis prætextu obtruduntur. Qui itaque ad novas haſce doctrinas animum appulerit, illicò incipit faſtidire Evangelium; juxta dictum Apoſtoli, 1. Cor. 1. 23. *Prædicamus Chriſtum crucifixum Græcis ſtultitiam.*

2. Abducunt etiam, ſpem ſalutis in aliis rebus prębendo. Quia enim multò facilius eſt pręſtare opera quędam externa quam verè in Chriſtum credere, ſimul ac ſpes facta eſt obtinendi juſtificationē, peccatorum remiſſionem, & æternam ſalutem in hiſce operibus traditionis humanæ; Chriſtus illicò deſeritur, & ab omnibus ferè ad illa externa adminicula concurritur. In Papatu hoc nimis clarè cernitur, ubi ad Sanctos, ad Indulgentias, ad Miſſas expiatorias, ad Satisfactiones proprias omnes ferè convolant; ad ſinceram pœnitentiam & fidem, id eſt, ad Deum in Chriſto, rari ſunt qui confugiunt. Hæ enim traditiones quæ non ſunt ſecundum Chriſtum, omnes fere abduxerunt à Chriſto.

VERS. IX.

Quia in eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

SVperiore verſu ſtatum controverſiæ accepiſtis, hunc ſcilicet, Doctrina Chriſti in Evangelio patefacta ſufficit ad ſalutem; neque opus eſt ut adjungantur, vel Philoſophorum placita, vel quorumvis hominum inventa, vel Iudæorum deniq; (ab ipſo Deo quondã imperatę) cæremonię. Hoc Paulus ſuſcepit demonſtrandũ

contra

contra Pſeudoapoſtolos, hoc multis argumentis evincit.

Primum ſumitur à perfectione quæ Chriſto, & per conſequens ejus doctrinæ ineſt. Sic autem ſe habet. Additamenta quæruntur ad ſupplendum aliquem defectum, vel imperfectionem; ſed is in quo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, non eſt imperfectus Mediator, Salvator, aut Doctor Eccleſiæ; ergò non debemus in negotio aut in doctrina ſalutis, aliquid Chriſto adjungere aut ejus doctrinæ. Quaſi dixiſſet, In Chriſto Servatore & Doctore noſtro inhabitat perfecta Deitas cum omnibus attributis divinis, ſapientiâ, potentia, miſericordiâ, &c. quid igitur opus eſt extra hunc alia aut documenta, aut adjumenta ſalutis quærere? An Philoſophi te meliùs inſtituent quàm ipſa Sapientia? An Angeli te citiùs adducent ad Deum quàm ipſa Miſericordia? An cæremoniæ & umbræ Legales te juſtificabunt meliùs quàm ipſe Chriſtus ſcopus & complementum illarum cæremoniarum? In hoc igitur ſolo acquieſce, in quo ſolo *inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.*

Sed ut vim hujus argumenti, & etiam ipſorum verborum ſententiam meliùs intelligamus (quia ab inhabitante divinitate ratio ſumitur) tria hæc perpendemus: Habitaculum; *In eo:* Habitatorem; *Omnis plenitudo Deitatis:* Modum habitandi; *Corporaliter.*

In eo inhabitat] id eſt, in Chriſto homine, vel in humana illa natura in qua obivit & adminiſtravit negotium ſalutis noſtræ; in illa, inquam, humana natura tam abjecta & deſpicabili in oculis hominum infidelium, inhabitavit tamen & perpetuò inhabitat omnis plenitudo Deitatis, Philip. 2. 6. 7. Metaphorico hoc inhabitandi vocabulo uſus eſt Apoſtolus, ut oſtenderet Deitatem in Chriſto homine, non ſeparabiliter, ſed tanquam in fixa & propria ſede reſidere. Cavendum igitur eſt ne hanc Metaphoram extra propoſitum Apoſtoli urgeamus: nam vera eſt illa regula Scholaſticorum, *In illis quæ Metaphoricè dicuntur, non oportet accipere ſimilitudinem ſecundum omnia.*

Sed hîc operæpretium eſt inquirere cur hoc habitaculum humanæ naturæ ipſe Deus ſibi elegerit, cùm vellet doctrinam Evangelii promulgare, & ſalutem noſtram procurare. Quod attinet ad doctrinæ ſalutiferæ prædicationem; non nudum hominem, ſed Deum in humana natura inhabitantem decuit Evangelium promulgare.

Quia ſuſcipi non potuit Evangelium ſine abrogatione Legis Moſaicę, & Sacerdotii Levitici: at æquum non fuit hæc abrogari, niſi ab illo qui erat Moſe longè ſuperior; à Filio ſcilicet Dei, non ab aliquo conſervo ipſius Moſis. Hoc demonſtratur tertio ad Hebræos, ubi fit collatio Moſis cum Chriſto. Moſes *ſervus* dicitur *in domo Dei*, Chriſtus *filius* & *dominus conſtitutus*

ſupra domum Dei. Non igitur mirum ſi Moſes Chriſto, Lex Evangelio cedat; cùm *in Chriſto inhabitaverit omnis plenitudo, &c.*

2 Oportuit Evangelium ſuſcipi, ut æternam doctrinam, & nunquam immutandam; at vel maximè ad hoc facit, cùm intelligimus illam ab ipſo æterno Deo fuiſſe promulgatam. Si enim in Chriſto non inhabitaſſet Deitas ipſa ſpeciali quodam modo, quid impediret quò minùs ut Lex Moſaica Evangelio, ſic ipſum Evangelium cederet alii tertię doctrinæ? Sed cùm conſtet Chriſtum Evangelii authorem fuiſſe, eúmque aſſumpſiſſe naturam humanam, ut hominibus hanc doctrinam patefaceret, nemo vel cogitare auſit de ejus abrogatione.

3 Evangelium ab omnibus fidelibus admittendum, non modò ut perpetua doctrina, ſed ut certa, ut perfecta, ut ſalutifera. jam verò ſimul ac cognoſcitur in eo qui Evangelium mundo attulit, inhabitaſſe Deitatem eo modo quo hîc aſſeritur; ſtatim intelligitur in talis perſonæ doctrina reperiri certitudinem, perfectionem, ac ſalutem. Nam qui regulam veritatis immediatè ab ipſa veritate accipiunt, decipi nullo modo poſſunt. Rectè Clemens Alexand. *Non ſunt fide digni de Deo & divinis dicentes homines, quatenus homines: Sed vox Domini eſt magis fide digna quàm quævis demonſtratio*; Strom. 6. Neque poteſt in ſuſpicionem imperfectionis venire illa doctrina, quam non per Miniſtros ſuos, ſed per ſeipſum is voluit divulgare, cujus omnia opera ſunt perfecta. Denique ſalutifera ſit neceſſe eſt, quam edocuit is, qui eſt unica ad ſalutem via.

Doctrinam ſalutis (ut videtis) non per nudum hominem, ſed per Deum in natura humana inhabitantem promulgari oportuit; jam & ipſum opus ſalutis noſtræ requiſiviſſe hanc inhabitationem Dei in natura noſtra oſtendemus.

1 Quia humana natura per peccatum à Deo avulſa, ac à vita ac communione Dei alienata, hoc modo commodiſſimè reſtituitur ad communionem Dei, & firmiſſimè conſervatur in eâdem. Hanc rationem Patres paſſim adhibent. Irenæus lib. 4. cap. 59. *Quomodo Ebionitæ poſſunt ſalvari ſi non ſit Deus qui ſalutem ipſorum operatus eſt ſuper terram? Et quomodo homo tranſibit ad Deum, ſi non Deus in hominem?* Athanaſius Orat. 3. *Niſi Chriſtus verus eſſet filius Dei, homo non eſſet firmiter agglutinatus Deo. Nam quæ merus homo accepit poſſunt amitti, ſicut in Adamo accidit; ut igitur gratia & donatio firma maneret, Deus carnem noſtram induit, ut ex ea omnia ſpiritualia bona nobis firmiter poſſidenda traderentur.* Cyrillus de incar. Verb. cap. 1. *Verbum factum eſt homo, ut in ipſo & in eo ſolo innocentiæ laudibus natura hominis coronata, Spiritu ſancto ditaretur, non diſceſſuro jam ſicut in Adamo factum eſt, ſed manſuro in ipſa.*

Voluit

Voluit Deus in nostra natura inhabitare, ut indè certi essemus omnia illius merita ad nos tanquam ad fratres & cohæredes pertinere. Sic Athanasius; *Filius Dei nostram in semetipsum nativitatem transtulit, uti ne de cætero terrâ tantùm constituti in terram eamus, sed cœlo Verbo conjuncti, in cœlum ab eo perducamur.* Fulgentius, *Hoc Deus in nobis salvavit, quod pro nobis suscepit; & illam naturam participem fecit salutis, quam sibi conjunxit.* Ad Trasimund. lib. 1. 2

Divinam naturam cum humana conjunctam oportuit, ut homines cum fiducia aditum habeant ad Deum, & ut divina gratia canalem habeat per quem derivetur ad homines. Ex quo enim Deus assumpsit naturam nobis cognatam & consubstantialem, possumus intrepidè illum adire: *Nemo enim carnem suam odio habet, sed nutrit ac fovet eam*; Ephes. 5. 29. Possumus etiam ab hoc Capite nostro mystico gratiam haurire, sicuti membra corporis naturalis motum & sensum à corpore naturali recipiunt. 3

Omnis plenitudo Deitatis] Hoc est, non portio aliqua divinitatis, quod Gentiles de suis falsis diis falsò persuasum habebant; neque dona tantùm eximia divinæ gratiæ & munificentiæ, ut in Angelis & Prophetis, aliisque sanctis viris; sed ipse λόγος Deus verus & perfectus, cum omnibus suis attributis divinis, infinitâ scilicet sapientiâ, potentiâ, bonitate, inhabitat in hac humana Christi natura. Ac videtur Apostolus alludere ad arcam fœderis; nam promisit Deus se illic habitaturum, indè eos exauditurum, illisque propitium adfuturum: at jam innuit Apostolus, arcam & propitiatorium fuisse typos Christi, atque Deitatem in ejus humana natura multò excellentiùs habitare, quàm olim in Tabernaculo, de quo scribitur Exod. 29. 44. *Sanctificabo tabernaculum testimonii, & habitabo in medio &c.* Vt itaq; Iudæi, qui habebant locum constitutum unde Deus oracula edebat, ac voluntatem suam illis patefaciebat, non poterant sine scelere aliunde scisciteri de rebus ad Deum pertinentibus: sic nos qui habemus plenitudinem Deitatis in Christi carne habitantem, absque summa stultitia & impietate non possumus aliunde petere, vel Dei voluntatem, vel salutem nostram.

Documenta.

Quoties abducere nos conantur seductores ab Evangelio & Christo, ad suas traditiones & inventa, seriò cogitandum est qualis Servator & Doctor fuerit Christus Iesus, talis scilicet, in quo omnis plenitudo Deitatis inhabitabat; at post hunc, novos doctores requirere summæ amentiæ est. *Docum.* 1

Quisquis igitur vagatur extra Christum, aut miscet aliquid cum ejus doctrina, tanquam necessarium ad salutem, is Christum imperfectionis insimulat, & factis negat omnem plenitudinem Deitatis in eo habitâsse. *Docum.* 2

Docum. 3 Hoc videmus in Turcis, in Iudæis, qui non ſunt contenti doctrinâ Evangelicâ, quia non credunt omnem plenitudinem Deitatis in eo habitáſſe qui Evangelium promulgavit. De Papiſtis quid dicam neſcio, qui novo & miro errore faſcinati, agnoſcunt omnem plenitudinem Deitatis eſſe in Chriſto, negant tamen omnem plenitudinem ſalutis in ejus doctrina.

Dub. Antequam ad modum habitationis pergamus, dubium breviter expediemus quod ex verbis Apoſtoli poſſit alicui in mentem venire. Nam cùm dicit omnem plenitudinem Deitatis in Chriſto habitare, videtur dicere totam Deitatis eſſentiam aſſumpſiſſe ſibi hoc habitaculum carnis Chriſti, & proinde non ſolum Filium, id eſt, ſecundam in Trinitate perſonam, ſed Patrem etiam & Spiritum ſuiſſe incarnatos.

Samoſateni qui oppugnant Trinitatem perſonarum, putant ſe poſſe nos ad hoc incommodum adigere, ut ſi Trinitatem ponamus, cogamur etiam admittere, tres perſonas fuiſſe incarnatas, quia plenitudo Deitatis, id eſt, tota & perfecta eſſentia divina, in Chriſto incarnato habitavit.

Solut. Reſpondeo, totam naturam divinam incarnatam fuiſſe, non quia ſit incarnata in omnibus perſonis, ſed quia perſonæ Filii nihil deeſt de perfectione divinæ naturæ. Nam cùm divina natura ſive eſſentia ſit ſpiritualis, partes ejuſdem nec dari nec ſupponi poſſunt; ſed ubicunq; reperitur divina natura, ibi reperitur tota & perfecta. Tota igitur natura divina fuit incarnata, ſed non quatenus abſolutè & in ſe conſideratur, ut omnibus perſonis communis; ſed quatenus perſonalibus proprietatibus, ſeu τρόπῳ ὑπάρξεως, in perſona Filii determinata conſideratur. *Vna perſona eſt totus Deus.* Luther. tom. 2.

Object. Sed adhuc urgetur illud Auguſtini in Enc. cap. 38. *Indiviſa ſunt opera Trinitatis:* ergò ſi ſecunda perſona aſſumpſit & adaptavit ſibi humanam naturam in habitaculum, tum & Pater etiam & Spiritus ſanctus idem fecerunt, & per conſequens, non ſolus Filius, ſed tres perſonæ ſunt incarnatæ.

Reſp. Aſſumere carnem duo importat: ipſam actionem ſive unitionem hujus carnis; & terminum hujus actionis, perſonam ſcilicet cui hæc caro unitur & adaptatur. Id quod pertinet ad rationem actionis eſt tribus perſonis commune; nam Pater & Spiritus ſanctus cōmuniter operantur incarnationem Chriſti: ſed id quod pertinet ad rationē termini convenit ſoli Filio; nam illi ſoli hanc carnem adaptavit tota Trinitas. Quemadmodum igitur, ſi pater aliquis filio ſuo uxorem det, filius autem ſibi eam in matrimonio conjungat, uterque rectè dicatur illas nuptias conciliâſſe, hoc tamen diſcrimine, quòd pater filio, filius ſibi nuptam copulaverit: ſic in hac incarnatione Chriſti, uterque operatus eſt hanc conjunctionem humanæ naturæ cum divina, ſed ità tamen, ut

Deus

Deus Pater Filio ſuo, Filius ſibi hanc carnem conjunxerit. Vt igitur in priore exemplo, non pater, ſed filius dicitur uxoratus, licèt voluntas & actio utriuſq; concurrit in illa uxore eligenda & ducenda: ſic in hoc poſteriore, non Pater, ſed Filius tantùm dicitur incarnatus, quamvis uterque conſpiraverit in hac carne facienda & unienda. Quod autem de Patre dictum eſt, id etiam de Spiritu ſancto intelligendum.

Ex Scripturis facile eſſet hoc oſtendere. Nam ſolum *Verbum* dicitur *caro factum*, id eſt, incarnatum, Ioan.1. Opus tamen Incarnationis aſcribitur toti Trinitati: Patri, qui dicitur *parâſſe hoc ſuum ſalutare*; Luc.2.31. & Hebr. 10.5. Ipſi Filio, qui dicitur *aſſumpſiſſe ſemen Abrahæ*; Hebr.2.16. Sancto denique Spiritui, qui dicitur in conceptione Chriſti *obumbrâſſe Virginem*; Luc. 1.35. Atque hæc de Habitaculo, humanâ ſcilicet Chriſti naturâ; de Habitatore, λόγῳ ſcilicet, ſive Filio Dei: jam de Modo habitandi inquiramus.

Corporaliter σωματικῶς] Quia Deus multis modis adeſſe dicitur creaturis, oſtendit Apoſtolus illum in humana Chriſti natura habitare modo quodam ſpeciali. Deus enim per univerſalem præſentiam adeſt omnibus rebus, ità ut illas conſervet ac ſuſtentet; ſanctis & fidelibus adeſt inſuper per ſpecialem Spiritus efficaciam, ità ut illos ſanctificet, & donis gratiæ locupletet; ſed Chriſti humanæ naturæ non hiſce modis ſolummodò adeſt Deus, quinetiam plenitudo Deitatis, id eſt, λόγος, plenus, verus, & perfectus Deus in ea inhabitat corporaliter: non quòd ſpiritualis & incorporea natura Verbi mutetur; eſt enim immutabilis: ſed quòd modus exiſtendi novus fuerit, licèt natura Verbi exiſtentis eadem maneat. Per σωματικῶς itaque intelligere debemus *perſonaliter*; id eſt, non per efficaciam ſolùm aut aſſiſtentiam, ſed unionem hypoſtaticam: ità ut λόγος inhabitans vel aſſumens, & natura inhabitata ſive aſſumpta fiat una perſona ſive unum ὑφιστάμενον· unde fit, quòd Verbum dicitur incarnatum, & ille homo non ſit φιλὸς ἄνθρωπος ſanctificatus & corroboratus divino Spiritu, ſed θεάνθρωπος. Hoc Auguſtinus breviter & perſpicuè explicavit hiſce verbis, *Deus in æternam perſonam divinitatis temporalem accepit ſubſtantiam carnis.* Quid eſt *in perſonam accepit*, niſi perſonaliter ſibi univit, ità ut quod aſſumitur una eſſet cum aſſumente perſona? Hoc itaque in loco *corporaliter habitare*, nihil aliud eſt quàm perſonaliter ſibi copulare.

Neque debet videri aliena hæc interpretatio, cùm exponimus hoc vocabulum σωματικῶς ὑποστατικῶς, *corporaliter* perſonaliter; nam ut apud Hebræos Animæ ponuntur pro perſonis (Gen. 14. *Da mihi animas, tu retine reliquam ſubſtantiam.* Act. 7.14. *Iacob cum ſeptuaginta quinque animabus deſcendit in Ægyptum*; & Ezech.8. *Anima quæ peccaverit morietur*, id eſt, perſona:) ſic

apud

apud Græcos σῶμα perſonam ſignificat. Thucydides lib. 1. dicit *pauperes multò promptiores eſſe* σώμασι ἢ χρήμασι πολεμεῖν· id eſt, in propriis (ut aiunt) perſonis militare, quàm pecuniam ad bellum conferre. Sic Demoſthenes, σωμάτων καὶ χρημάτων πλῆθος, id eſt, hominum ſive perſonarum, atq; nummorum copiam Athenienſibus adeſſe dixit, cùm voluit eos ad bellum animare. Et ſic uſurpatur hoc vocabulum in vulgato Epigrammate;

Σώματα πολλὰ τρέφειν καὶ δώματα πολλ' ἀνεγείρειν, &c.

Apoſtolus igitur cùm dicit Deitatem habitare corporaliter in Chriſto, hoc vult, æternum Dei filium copulâſſe ſibi naturam humanam, ità ut perſona Verbi quæ in ſola divina natura ſubſiſtebat, jam etiam in humana ſubſiſtat, & illi perſonalitatem tribuat, quam in ſe humana natura non habuit. Non itaque in Chriſto duæ ſunt perſonæ, una hominis, altera filii Dei; ſed divina natura ità unitur humanæ, ut in ea ſubſiſtat σωματικῶς, id eſt σισαρκομένως καὶ ἐνσωματικῶς. Hinc ſacræ Scripturæ Filium Mariæ vocant *Filium altiſſimi*; Luc. 1. Et *quod ex Maria ſanctum naſcitur filius Dei* affirmatur. Propter hanc unionem perſonalem, *germen Davidis vocatur Iehova*; Ieremiæ 23. 5. 6. Et *Deus benedictus*; Roman. 9. 5. Vnde Hugo de Sancto Victore, *Filius Dei non aſſumpſit hominem perſonam, ſed aſſumpſit hominem in perſonam.* Verbum perſona aſſumpſit hominem, non perſonam, ſed naturam. Homo aſſumptus dicitur, quia anima humana & corpus aſſumptum eſt; perſona hominis aſſumpta non dicitur, quia anima & corpus illud antequam Verbo unirentur in perſonam, non erant inter ſe unita ad perſonam; ſed trahunt ſuam perſonalitatem ex Verbo, in illa humana natura σωματικῶς inhabitante. Atq; hæc de modo hujus hypoſtaticæ unionis dicta ſufficiant: totam enim hujus myſterii profunditatem mens humana penetrare non poteſt. Si quid ſcrupuli reſtat (ut loquitur Iuſtinus Martyr) πρόφερε ἑτοίμως λύσιν τὴν πίστιν, *Fidem adhibe quæ eſt expedita ſolutio.* Piè & modeſtè hac de re Chryſoſtomus; *Scio quòd Verbum caro factum eſt, at quomodo factum ſit neſcio. Miraris quia ego neſcio? Omnis creatura ignorat.* Sed non ità modum planè ignoramus, quin Hæreticis qui illum oppugnant, ex ſacris Scripturis ora obturemus; ſolvamus itaque breviter quæ afferri ſolent contra hanc perſonalem unionem: ea autem ſumuntur vel ex parte divinæ naturæ, vel ex parte humanæ. Ex parte divinæ naturæ objiciunt;

Erud. Theol. de Verbo incarn. collat. 2.

Object. 1. Filius Dei ſive perſona λόγου erat ab omni æternitate ſubſtantia perfecta; ſed perfectæ ſubſtantiæ nihil poteſt accedere; ergò humana natura non aſſumpta eſt in unionem perſonalem cum Verbo.

Solut. Perfectæ ſubſtantiæ nihil poteſt accedere ad conſtitutionem eſſentiæ ſuæ; in communionem Eſſe ſui completi poteſt aliquid accedere. Nam quamvis hypoſtaſis Verbi fuit perfecta ratione

ſuæ

ſuæ Naturæ; tamen ad perfectionem Finis, qui eſt redimere Eccleſiam, potuit, imò debuit huic perfectæ ſubſtantiæ aliquid accedere, natura ſcilicet humana, ſecundum quam filius Dei ſanguine ſuo acquireret ſibi Eccleſiam. Sed hîc cavendum, ne putemus humanam naturam ſic accedere divinæ hypoſtaſi, ut ſit pars illius adæquata, conſtituens mutuâ coagmentatione hanc hypoſtaſin; ſed eſſe ἐνυπόστατον, id eſt, ſubſiſtere in perſona, non tanquam partem adæquatam, ſed tanquam *inſtrumentum pertinens ad unitatem hypoſtaſeos*, ut loquitur Damaſcenus, vel tanquam rem in principio ſuo ſubſiſtentem. Atque ex his apparet quomodo accipi debet quod à Scholaſticis diſputatur; ſcilicet hypoſtaſin vel perſonam Chriſti poſt incarnationem eſſe compoſitam. Hoc enim ab illis aſſeritur, non ratione Partium, quaſi perſona Verbi compoſita ſit ex natura humana & divina tanquam ex partibus; ſed ratione Numeri, quia jam ſubſiſtit in duabus naturis, quæ ante incarnationem ſubſiſtebat ſolummodò in divina. Sic Aquinas 3.par.9.2.art.4. *Perſona Chriſti conſideratur vel ſecundum illud quod eſt in ſe, & ſic eſt ſimplex; vel ſecundum naturas in quibus ſubſiſtit, & ſic dicitur compoſita, in quantum illa ſimplex perſona ſubſiſtit in duabus naturis.* Hæc de prima objectione.

Incarnari, vel humanam naturam ſibi aſſumere, eſt mutari; ſed æterna Deitas non poteſt eſſe ſubjectum alicujus mutationis; ergò non potuit incarnari; & proinde non habitat σωματικῶς in Chriſti humana natura. *Object. 2.*

Eſſe incarnatum, quemadmodum & eſſe hominem, convenit Verbo non ratione tranſmutationis, ſed unionis; quæ eſt relatio quædam: jam verò quæ relativè de novo prædicantur aliqua de re, non continuò præſupponunt mutationem ejus rei cui tribuuntur, ſed rei alterius quam connotant. Verbi causâ, Deus qui ab omni æternitate non erat Creator, in tempore Creator extitit; neque tamen hæc nova appellatio ponit mutationem in Deo, ſed in creatura, quæ in eſſe producta eſt ex nihilo à Deo: ſic filius Dei qui non erat homo, neque incarnatus ab omni æternitate, factus eſt homo & incarnatus; neque tamen mutatur in ſe, quia mutatio recipitur in humana natura quæ aſſumitur, & non in divina quæ aſſumpſit. Filius Dei non erat homo, aut incarnatus, quando non dedit perſonalitatem naturæ humanæ; dicitur homo, & incarnatus, ex quo dedit perſonalitatem illi naturæ: non autem hoc fecit immutando naturam ſuam divinam, ſed uniendo ſibi hanc humanam. Fieri hominem abſolutè importat realem mutationem in ſubjecto acquirente humanam naturam, ut cùm ex terra vel ſemine fit homo; quia hîc ſubjectum quod fit homo amittit priorem naturam ſuam: ſed cùm perſona filii Dei incarnatur & fit homo, non id fieri intelligitur per tranſmutationem ſui, ſed (ſi verbum fingere liceat) per novam perſonatio- *Solut.*

ſonationem humanæ naturæ. Et ſic Verbum caro factum eſt ὑποστατικῶς καὶ ἑνωτικῶς· abſque tamen mutatione naturæ ſuæ; creando & uniendo ſibi naturam humanam, non immutando naturam divinam.

Ex parte humanæ naturæ objicitur,

Object. 1. Si humana natura Chriſti ſubſiſtit in perſona λόγου, non in propriâ ſuâ perſonalitate, tum Chriſtus homo erit imperfectior cæteris omnibus hominibus: quia cæteri omnes habent perſonalitatem humanam, & ſunt ſuppoſita ſubſiſtentia in illa natura; ſolus Chriſtus in quantum homo non habet hanc perſonalitatem, ſed ſubſiſtit in divina perſona λόγου per unionem hypoſtaticam.

Solut. Non deeſt propria perſonalitas naturæ humanæ propter defectum alicujus quod requiritur ad ejus perfectionem, ſed propter additionem alicujus quod longè ſuperat ejus naturam, nimirum propter unionem ad divinam perſonam: non igitur Chriſtus imperfectior, ſed eminentior cæteris hominibus, quia cùm in nobis humana noſtra natura ſubſiſtit in propria ſua perſonalitate, in Chriſto ſubſiſtit in divina. Eſt autem multò nobilius & dignius ſubſiſtere in Deo unione hypoſtatica, quàm per ſe ſubſiſtere. Nam ſi nobiliorem dicimus ſenſitivam in homine quàm in bruto propter conjunctionem ad nobiliorem formam, quamvis in bruto ſit forma completiva, in homine autem non ſit, ſed completivę conjuncta: tum pari ratione humana natura dignior eſt & excellentior in Chriſto propter unionem ad divinitatem, quàm in nobis, licèt in nobis ſubſiſtat in propria perſonalitate, in Chriſto aliter.

Object. 2. Si Chriſti humana natura ſubſiſtit in perſona λόγου, tum duas habet perſonalitates: nam cùm *perſona ſit rationalis naturæ individua ſubſtantia* (definitore Boethio) Chriſtus autem in quantum homo, ſit quiddam ſingulare ratione præditum; ſequetur duas eſſe perſonas in Chriſto, & ſic relabimur in hæreſin Neſtorii.

Solut. Plus requiritur ad perſonam, quàm ad conſtituendum individuum vel ſingulare. Nam perſona ſupponit non modò ſubſtantiam ſingularem & rationalem, ſed inſuper per ſe exiſtentem, & non alteri digniori conjunctam: concedimus itaque Chriſti humanam naturam, vel Chriſtum in quantum hominem, eſſe individuum vel ſingulare quiddam; negamus tamen eſſe perſonam. Ratio autem manifeſta eſt, quia ſcilicet quo momento Chriſti anima creata fuit, & caro concepta, eodem divinitati erant unita: ſi ſeorſim à λόγῳ extitiſſent, perſonalitatem ſuam habuiſſent; ſed quia ſimul & eſſe cœperunt, & eſſe Verbo unita, neceſſe fuit ut traheret hæc humana natura perſonalitatem ex Verbo: nam unumquodq; ex eo dicitur perſona quod habet excellentiſſimum; cùm itaq; divinitas ſit incomparabiliter excellentior humanitate, meritò capit indè perſonalitatem ſuam.

Si

Si humana natura Chriſti ſit hypoſtaticè unita divinæ, tum tota cum tota unita eſt, quia illa eſt impartibilis; ſed hoc dato, ubicunque eſt divina, ibidem eſt & humana, & ſic in Vbiquitariorum caſtra tranſimus. *Object.* 3.

Negatur conſequentia, quia unio perſonalis fit ſervatis utriuſq; naturæ proprietatibus: cùm itaque proprietas ſit humanæ naturæ certis limitibus circumſcribi, non amittit hanc proprietatem virtute hujus unionis ad naturam infinitam. Nam quando naturæ unitæ non ſunt analogæ, unione perſonali non fiunt analogę; cùm unio conjungat ſolùm, non commutet naturas. Cùm igitur finita natura & infinita non ſint analogæ, unione hac perſonali neque divina circumſcribetur, neque humana in infinitum extendetur. Fatemur igitur humanam naturam inſeparabiliter & ἀδιαστάτως unitam divinæ, & divinam nullibi ab humana eſſe ſeparatam: non quòd poſitione locali humanitas in omnibus locis ſit ubi eſt divinitas; ſed quòd unione reali & hypoſtaticâ ſit divinitati ubique exiſtenti conjuncta. Vnio ſive conjunctio nullis locorum ſpatiis circumſcribitur, quia in hoc conſiſtit, ut Deitas ſuſtentet humanitatem tanquam ſuam & propriam, & illi det ſubſiſtentiam: & ſic Verbum in terris, in cœlis, & ubique exiſtens ſuſtentat humanitatem in ſolis cœlis exiſtentem; ſed actualis poſitio corporis Chriſti certis ſpatiis includitur, quia corporis natura id exigit. Hoc nonnulli illuſtrant exemplo ſolis, & ſphæræ ſolaris. Nam ſicut ſol unitus eſt inſeparabiliter ſuo orbi, neque tamen ſolis globo convenit eſſe ſimul in oriente & in occidente, quod convenit ſphæræ: ſic humanitas unita eſt divinitati inſeparabiliter, neque idcircò erit ubicunque eſt divinitas. Sed dicat fortaſſe aliquis ſolem non eſſe unitum ſuo orbi ſecundum totum, ſed ſecundum partem tantùm; at humanitas unita eſt toti Verbo. Agnoſcimus in hoc diſſimilitudinem exempli, ſed ea facit ad majorem confirmationem ſententiæ noſtræ. Nam omnis ſpiritualis natura ubicunque eſt, tota eſt, quia eſt impartibilis ſive indiviſibilis; atque ejus totalitas in perfectione eſſentiæ conſideratur, non in extentione quantitatis. Verbum itaque quatenus ſpiritualis ſubſtantia, eſt in humana natura ſibi unita tota & totaliter; neque enim diſcerpi poteſt: & idem Verbum, quatenus eſt infinita ſubſtantia, eſt æquè extra humanam naturam tota & totaliter; neque enim tam anguſtis limitibus immenſitas ejus includi poteſt. Sed ſive conſideretur in corpore ſibi adunato, ſive extra humanam Chriſti naturam, nuſquam non unita humanæ naturæ exiſtit, quia nuſquam illam non ſuſtentat ut ſuam. *Solut.*

VERS. X.

Et eſtis in eo completi qui eſt caput omnis imperii ac poteſtatis.

ADhæreſcendum eſſe ſoli Chriſto, & ejus doctrinæ, concluſum eſt verſu ſuperiore ab infinita Chriſti perfectione; quę nec requirit nec admittit ſupplementa illa Philoſophiæ, traditionum, aut cæremoniarum: jam illud idem oſtendit duobus aliis argumentis.

Primum ducitur ab effecto; *Eſtis completi, vel conſummati, ſive perfecti in eo*, hoc eſt, ipſe Chriſtus non modò in ſe perfectus eſt, utpote in *quo habitat omnis plenitudo Deitatis*; ſed efficit ut nos per eum ſimus *completi*, omnia ſcilicet habentes in eo & ejus doctrina quæ ſunt ad ſalutem noſtram neceſſaria; ergò non opus ſalutem quærere extra Chriſtum & Evangelium.

Secundum ducitur ab officio Chriſti: Chriſtus eſt *Caput* non modò hominum, ſed etiam Angelorum; ab illo igitur, & homines, & Angeli ſuam perfectionem habent. Non homines ab Angelis ſalutem petere aut expectare debent, ſed utrique à Chriſto dependent, qui eſt Caput utrorumque. Iam ſeparatim penſitemus haſce rationes.

Et eſtis in eo completi] Duo hîc notanda. 1. Quid ſit eſſe completum, vel in quibus rebus ſita ſit hæc completa noſtra conſummatio vel perfectio. 2. Quomodo obtinetur, & tenetur à nobis hæc perfectio; quod innuit Apoſtolus cùm dicit, *In eo*.

Quod ad primum, *eſſe completum* nihil aliud eſt quàm eſſe inſtructum omnibus rebus ad ſalutem neceſſariis: quæ poſſumus ſpeciatim ad hæc tria capita revocare; ad perfectam ſapientiam ſive cognitionem ſalutiferam; ad juſtitiam; ad ſanctificationem: quibus in hac vita habitis, beatitudo & glorificatio in vita futura conſequetur.

1 In Chriſto habemus completam ſapientiam, quia illo ritè cognito juxta doctrinam Evangelii, cognoſcitur quod ſufficit ad ſalutem. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*; Ioan. 17.3. Hinc Apoſtolus 1. ad Cor. 2. ver. 2. *Nihil ſcire vult præter Chriſtum eúmque crucifixum*. Nam quod plenum eſt nihil ultrà recipit: unde mens Evangelicâ cognitione repleta, non deſiderat novam aliquam ſcientiam, in ordine ad ſalutem; quia hæc eſt conſummata, plena, & perfecta doctrina. *Adoro Scripturæ plenitudinem*, inquit Tertul. adverſus Hermogenem. *Hunc audite. Audiam planè: nec quenquam præter hunc audiam*; Hilar. Trin. 6.

2 In Chriſto habemus completam juſtitiam; quia is plenè ſatisfecit & Legi divinæ, & ipſi etiam Deo pro peccatis noſtris: juxta dictum Eſaiæ, Eſaię 53. 11. *Servus meus juſtus juſtificabit multos*

multos notitiâ ſui; ipſe enim portat peccata ipſorum: & Apoſtoli ad Romanos 3. *Juſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes eos qui credunt:* & ad Romanos 10. verſu 4. *Perfectio Legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti.* In hoc itaque præcipue ſumus completi, quòd Chriſtus nos juſtitiâ ſuâ ditavit, & ornavit indigos noſtrę. Chryſoſtomus Hom. 17. in 10. ad Rom. *Quòd ſi Chriſto credideris, & Legem implêſti, & multò plura quàm ea præceperat; multò ſiquidem majorem jam accepiſti juſtitiam.* Breviùs & clariùs Bernardus, Serm. ad milit. Temp. 11. *Mors, Chriſti morte fugatur; & Chriſti juſtitia nobis imputatur.* Et Epiſt. 190. *Aſſignata eſt homini aliena juſtitia, quia caruit ſuâ.* Habemus igitur ſalutiferam juſtitiam in Chriſto.

In Chriſto habemus ſanctificationem, ſive juſtitiam inhærentem. Quid enim aliud eſt ſanctificatio, quàm errorum & vitiorum (quibus à Deo elongamur) ablutio, donorúmq; & gratiarum (quibus ei appropinquamus ad ſerviendum ei) ſuſceptio? Iam verò manifeſtum eſt nos & purgari indies à tabe peccatorum noſtrorum, & ornari atque augeri omni copiâ donorum divinorum, quatenus Chriſto uniti Spiritu ejus vivificamur; cujus efficaciâ carnis reliquiæ mortificantur, imago ſanctitatis reparatur, & vita noſtra ad conſecutionem beatitudinis dirigitur. Vnde hic Spiritus appellatur πνεῦμα ἁγιωσύνης· Rom. 1. 4. Nemo habet Chriſtum, quin habeat ſimul hunc Spiritum Chriſti; dicente Apoſtolo, *Si quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ejus*; Rom. 8. 9. Nemo hunc Spiritum habet quin roboretur illius auxilio ad ſerviendum Deo in bonis operibus, ad reſiſtendum mundi & carnis concupiſcentiis. Nam ut acus tacta magnete convertit ſe ad polum arcticum: ſic cor humanum, hoc Spiritu Chriſti tactum & vivificatum, convertit ſe ad Deum Deíque mandata, atque in illis quieſcit. 3

Videtis jam quàm multa complexus ſit Apoſtolus dicendo nos completos eſſe in Chriſto; nam hoc unico vocabulo demonſtrat nos habere in Chriſto quicquid ad ſalutiferam cognitionem, juſtificationem, ac ſanctificationem requiritur. Et eâdem operâ elidit omnes errores Pſeudoapoſtolorum: nam ſi completam habemus ſapientiam, non opus eſt Philoſophicis aſſumentis; ſi completam juſtitiam, non Legalibus cæremoniis; ſi ſanctificationem, non Angelis opus eſt tanquam purgatoribus, aut illuminatoribus animarum noſtrarum. Perſpicitis in quibus ſita ſit; quæramus ut acquiratur, & teneatur completa hæc perfectio.

In eo] Non ex eo, aut per eum ſolummodò, ſed *in eo* dicit nos eſſe completos, ut intelligamus nos habere prædictam illam ſapientiam, juſtitiam, & ſanctitatem, non quatenus ſpeculamur Chriſtum, quaſi longè à nobis exiſtentem; ſed quatenus incor-

poramur Chriſto, quatenus habemus Chriſtum in nobis manentem & habitantem. Nam quamvis illud certiſſimum ſit, in Chriſto eſſe omnem plenitudinem Deitatis & gratiæ ſalutiferæ, ità ut inſtar fontis ſit, unde promanet copia aquarum viventium; tamen hoc diſcriminis eſt inter illum fontem ſpiritualem, & fontem naturalem: non neceſſe eſt ut qui bibere velint de fonte ingrediantur ipſum fontem, quia extra illum conſtituti poſſunt indè haurire ad explendam ſitim ſuam: at non ità ſe res habet in Chriſto, qui eſt nobis fons gratiæ & juſtitiæ; nam de ejus plenitudine accipere non poſſumus, niſi in illo ſimus. Vt enim vetus Adamus in nobis, cauſa eſt corruptionis & mortis; ſic novus hic Adamus in nobis habitans, cauſa eſt juſtitiæ & ſalutis. Idem autem eſt, ſive dicamus, Chriſtum in nobis, ſive nos in Chriſto habitare; nam hæc connexa ſunt, Ioan. 15. 4. *Manete in me, & ego in vobis; ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſeipſo, ità nec vos. Ego ſum Vitis, vos palmites: is qui manet in me & ego in illo hic fert fructum, &c.* Quicquid igitur de obtenta gratia, juſtitia, ſanctificatione, de obtinenda vita æterna & glorificatione homines ſperant, merum ludibrium & inſomnium erit, ſi non ſint in Chriſto & Chriſtus in illis. Iam verò Chriſtus in nobis & nos in illo ſumus, cùm vinculo Spiritus, & fidei per Spiritum impreſſæ in cordibus noſtris, unimur huic Capiti noſtro, & inſerimur quaſi palmites in vitem. De Spiritu Apoſtolus ad Romanos 8. 9. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ejus.* De fide Ioannes 3. 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam:* quia *vita in Filio eſt*; 1. Ioan. 5. 11. Hinc non malè Durandus, lib. 4. diſt. 1. qu. 8. *Nullus poteſt juſtificari niſi per unionem ad Chriſtum; prima autem unio ad Chriſtum eſt per fidem.* Et Cyprianus de Cardin. oper. Chriſt. *Fide non complexu ſponſæ conjungimur.* Sic jam explicavimus hæc duo, quid ſit eſſe completum, & quòd nemo compleatur ſive perficiatur per Chriſtum niſi qui ſit in Chriſto;

Documenta eliciamus.

Docum. 1. Cùm in Chriſto habemus completam juſtificationem, manifeſtum eſt illos Chriſtum neſcire, vel ſaltem contumeliâ afficere, qui illo non contenti, quærunt juſtitiam & perfectionem altiorem in ſuis operibus & inventis. Ab hoc errore fluxit Monachorum ſuperſtitio, & illa de operum meritis præſumptio.

Docum. 2. Hauriunt magnum ſolatium pii omnes ex eo quòd ſunt in Chriſto completi; nam cùm ſeipſos intuentur, intelligunt multas adhuc ſordes in ſe latere, in multis ſeſe quotidie labi & peccare; at hiſce non obſtantibus, ſunt Deo grati, ſunt coram Deo juſtificati, quia ſunt Chriſto uniti per fidem ac Spiritum. *Nulla condemnatio iis qui ſunt in Chriſto*; Rom. 8. 1.

Docum. 3. Improbi & infideles excluduntur à beneficiis Chriſti, quia ab

ipſo

ipſo Chriſto ſeparantur, utpote Spiritus & fidei expertes, ſine quibus nemo in Chriſto, Chriſtus in nemine manet. Atque hæc de priore ratione ab effecto petitâ; Venio ad alteram.

Qui eſt caput omnis imperii ac poteſtatis] Deſumitur hoc argumentum ab officio Chriſti, & prærogativâ ſupra omnes Angelos; quos deſignat ſub vocabulis ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, ut verſu etiam 16 Capitis ſuperioris. Multa jactabant Pſeudoapoſtoli de hiſce imperiis ac poteſtatibus Angelicis; Apoſtolus igitur docet Chriſtum, non modò Caput eſſe Eccleſiæ reſpectu hominum, ſed etiam Angelorum: atque homines & Angelos eſſe conſervos ejuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Sive igitur conſideremus Angelos in habitudine ad Chriſtum, ſive in habitudine ad nos, ex utraq; conſideratione evertitur doctrina Pſeudoapoſtolorum. Nam illi docebant, 1. Angelos eſſe adorandos; 2. per illos patere nobis acceſſum ad Deum; 3. per illos derivari ad nos ſpirituales gratias.

Iam verò non eſſe adorandos patet ex habitudine illorum ad Chriſtum, quia adoratio debetur ſoli Deo: Angeli verò non modò Deo, ſed etiam Chriſto homine ſunt inferiores; utpote qui eſt Caput & Dominus Angelorum. Vnde ad Hebræos 1.6. *Cùm inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Adorent eum omnes Angeli.* Hinc perſpicimus Angelos nil aliud eſſe quàm creaturas, quamvis ſublimes & nobiles; at *Eccleſia Catholica ſolum Deum colendum prædicat, nullam nobis adorandam creaturam introducit*; Aug. de morib. Eccl. lib. 1. cap. 30. 1

Hinc etiam infertur, Angelos non eſſe Mediatores inter Deum & genus humanum; nam ſi Chriſtus ſit Caput Angelorum, tum non poſſunt invadere Chriſti officium, & illi hac parte ſeſe adæquare. At *unus eſt Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus*; qui eſt Caput non collega Angelorum. 2

Ex eo quòd Angeli ſunt ſub Chriſto Capite uniti reliquæ Eccleſiæ, facilè intelligimus gratiam ſalutiferam, & dona illa eximia fidei, charitatis, ac conſimilia, non imprimi in animis humanis virtute Angelorum, ſed Chriſti ipſius. Non enim dant influxum vitalem membra nobiliora inferioribus; ſed Caput tam his quàm illis ſenſum ac motum influit. 3

Hæc omnia æquè patebunt, ſi conſideremus habitudinem Angelorum ad nos: ſunt enim fratres noſtri, & conſervi; ſunt membra unius, & ejuſdem Eccleſiæ: quia idem Chriſtus eſt & hominum & Angelorum Caput.

Igitur ſi ſunt conſervi noſtri, & membra Eccleſiæ unà nobiſcum, non ſunt à nobis colendi aut adorandi, fatente ipſo Angelo; Apoc. 22.8. *Cecidi*, inquit Ioannes, *ut adorarem ante pedes Angeli, ſed dixit mihi, Vide ne feceris; conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum: Deum adora.* Notum eſt illud Auguſtini in hanc ſententiam, de Vera Relig. cap. 55. *Honoramus eos charitate,* 1

non ſervitute. Et in eundem ſenſum Pariſienſis, de Legib. *Honorandi ſunt Angeli, ſed honore miniſteriali, non dominali.*

2 Ex eo quòd nos & Angeli concives ſumus, & membra ejuſdem corporis, colligitur Angelos non eſſe Mediatores inter nos & Deum. Nam propter unum & eundem Mediatorem tota Eccleſia eſt Deo accepta; at hoc uni membro tribuere ut propter illud reliqua acceptentur, à ratione & Scripturis alienum eſt. Vnde Auguſtinus contra Epiſt. Parm. lib. 2. cap. 8. dicit, *Illum ſolum eſſe Mediatorem pro quo nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus.* Et Apoſtolus ſalutis noſtræ ſpem in eo collocat, non quòd Angelum conſervum noſtrum, ſed Filium Dei ad dextram Patris ſedentem habemus pro nobis interceſſorem. *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus is eſt qui mortuus eſt; imò qui etiam excitatus eſt; qui etiam eſt ad dextram Dei; qui etiam interpellat pro nobis;* Rom. 8. 34.

3 Cùm Angeli ſint membra ejuſdem Eccleſiæ, ex hac habitudine Angelorum ad homines ſequitur, fidem, charitatem, & ſanctitatem, non eſſe dona Angelorum ſed Chriſti: ut enim in generatione corporali non una pars aliam format & fingit, ſed omnes formantur ab unica & eâdem virtute: ſic *in ſpirituali regeneratione* (ut rectè Albertus) *non ab Angelis mens noſtra formatur formatione gratiæ, ſed à Spiritu Chriſti.* Sed hîc duo objici poſſunt contra ea quæ dicta ſunt de Chriſto Angelorum Capite, & de hominibus Angelorum conſervis.

Object. 1. Si Chriſtus ſit Caput Angelorum, & Angeli pertinent ad corpus Eccleſiæ, tum eſt etiam Servator Angelorum; nam eſt σωτὴρ τῦ σώματος, ad Epheſ. 5. 23. At Angeli non indigent beneficio Servatoris, aut Mediatoris; ergò non videtur quòd Chriſtus ſit Caput Angelorum, quod attinet ad procurationem ſalutis & æternæ beatitudinis.

Solut. Angeli non indiguerunt Chriſto Salvatore, ut à peccatis commiſſis liberarentur; nam perſtiterunt in obedientia Dei: neq; favore Mediatoris indiguerunt, ut eriperentur ex ſtatu iræ; nam Deum hoſtem ſibi nunquam habuerunt: ſed indiguerunt Chriſto Servatore, indiguerunt favore Chriſti Mediatoris, ut fixum retinerent ſtatum in juſtitia, ut pacem certam & inviolabilem haberent cum Deo, ut digni reputentur æternâ & glorioſâ Dei fruitione, quæ beatifica Dei viſio ſuperat naturam & meritum cujuſcunque creaturæ.

Hoc innuit Auguſtinus de Fide ad Petrum cap. 23. *Hoc ipſum* (inquit) *quòd beati Angeli ab illo ſtatu beatitudinis in quo ſunt mutari in deterius nullo modo poſſunt, non eſt iis naturaliter inſitum; ſed poſtquam creati ſunt gratiæ divinæ largitate collatum.* Gratia autem nulli creaturę confertur, niſi mediante Chriſto, qui eſt canalis gratię. Huc mihi ſpectare videtur, quòd Apoſto-

lus

ſus 1. ad Timoth. 5. Angelos beatos *electos Angelos* appellat. At electio ſive hominum, ſive Angelorum, oſtendit ſalutem illorum qui eliguntur eſſe attribuendam ſoli Deo in Chriſto. Huc adde quòd Cap. 1. ad Epheſ. verſu 10. Chriſtus dicitur ἀνακεφαλαιώσασθαι & 1. ad Coloſſ. 20. ἀποκαταλλάξαι *Deo Patri omnia, non modò quæ in terris, ſed etiam quæ in cœlis ſunt.* Vtrumque locum de hoc beneficio Chriſti Capitis quod derivatur ad Angelos doctiſſimi Interpretes expoſuerunt: & quamvis verbum illud *reconciliare* propriâ & primariâ ſignificatione non poteſt competere Angelis, tamen latiori & analogicâ poſſe etiam ad illos extendi demonſtrârunt. In quo ſecuti ſunt S. Bernardum, qui Sermone 22. in Cantica, poſtquam demonſtrâſſet *Chriſtum factum eſſe hominibus, ſicut anteà Angelis fuerat ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem, & redemptionem,* objicit ſibi de Angelis in hunc modum; *Quomodo fuerit redemptio Angelis non video; nec enim Scriptura docet eos aut peccato extitiſſe captivos, aut morti obnoxios, ut neceſſariam haberent redemptionem.* Tum reſpondet; *Qui erexit hominem lapſum dedit ſtanti Angelo ne laberetur: ſic illum de captivitate eruens, ſicut hunc à captivitate defendens. Et hac ratione fuit æquè utrique redemptio, ſolvens illum, & ſervans iſtum.* Ex his igitur diluitur prima objectio, & probatur Chriſtum verè dici Caput Angelorum, non modò ratione poteſtatis gubernatoriæ, ſed ratione gratiæ ſalutiferæ, licèt Angeli nunquam fuerint ſub ſtatu peccati & damnationis.

Cùm ex hoc quòd Chriſtus ſit Caput Angelorum dicimus Angelos eſſe conſervos noſtros, non Mediatores, non gratiæ donatores; objicitur nos ſpoliare Angelos ſuâ dignitate, & eripere illis miniſterium à Deo delegatum: *ſunt enim adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis.* Heb. 1. 14. Et Pſal. 104. 4. *Facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Quibus nominibus deſignari putant nonnulli virtutem Angelicam in illuminanda hominum mente, & voluntate ad amorem Dei accendendâ. *Obiect. 2.*

Fatemur Deum uti Angelorum miniſterio ad res multas; ſed præſertim ad Electorum cuſtodiam, atq; ad ſalutem illorum ſpiritualem promovendam. Vt enim à Dæmonibus impugnatur tum ſalus hominum corporalis, tum ſpiritualis; ſic à bonis Angelis propugnari & adjuvari nos quoad utramque clarum eſt ex Scripturis. Vt omittamus exempla quæ ex veteri Teſtamento depromi poſſunt; Angelorum miniſterio ereptos Apoſtolos ex carcere legimus, Actor. 5. 19. & 12. 17. Et ipſe Chriſtus terrorem incutit illis qui unum ex puſillis pueris offenderit, hoc argumento quòd habent Angelos ſibi aſſignatos à Deo Patre. Sed quod attinet ad animos noſtros, concedi etiam poteſt, quòd licèt Dei peculiare ſit lumen fidei, & ignem charitatis infundere *Solutio.* *Matth. 18.*

mentibus humanis: tamen ut utitur externo miniſterio hominum ad mentes Electorum illuminandas, & ad pietatem excitandam in voluntatibus illorum; ſic etiam utitur inviſibili & interno miniſterio Angelorum. Vnde concedunt Scholaſtici Angelos non poſſe creare aut immittere; poſſe tamen ſpiritualem ſcientiam, cogitationes bonas, affectus pios incendere atque excitare in mente ac voluntate. Dicunt autem id fieri tripliciter: per remotionem impedimentorum, arcendo dæmones & illuſiones malas; per excitationem & ordinationem phantaſmatum, repreſentando menti cogitationes bonas; per commotionem paſſionum debitarum in appetitu ſenſitivo, inclinando voluntatem ad officium debitum. Sed quorſum hæc tam multa? Vt intelligatur nos non detrahere Angelis delegatum à Deo officium, quod attinet ad promovendam ſalutem Electorum: ut etiam & illud intelligatur, poſito hoc miniſterio Angelorum in procuranda ſalute noſtra, non eſſe tamen à nobis adorandos; ſed pro miniſtris Chriſti & conſervis noſtris (licèt paulò honoratioribus) agnoſcendos: nam idem Chriſtus qui eſt Caput Electorum, eſt etiam *Caput omnis imperii & poteſtatis*, id eſt, omnium Angelorum.

Quemadmodum igitur cultu religioſo non adoramus aut Reges terrenos, aut verbi Miniſtros, quamvis illi ſuo externo imperio protegunt bona & corpora noſtra; hi ſuo Miniſterio animas noſtras in via ſalutis dirigunt: ſic nec Angelos debemus adorare, quamvis eadem præſtant officia modo arcano & inviſibili. Sed de Angelorum cultu dabitur occaſio diſſerendi cùm perventum fuerit ad verſum 18; nunc ſufficiat tenere nos in *Chriſto completos eſſe, qui eſt Caput omnis &c.*

VERS. XI.

In quo etiam circunciſi eſtis, circunciſione non-manu-factâ, in expoliatione corporis peccatorum carnis, in circunciſione Chriſti.

HActenus penſitatâ Chriſti perfectione, docuit in genere nil opus eſſe additamentis ſeductorum; jam ſpeciatim eos oppugnat qui cæremonias Iudaicas Chriſtianis imponebant. Inter ritus autem Moſaicos circunciſio primarium locum obtinebat, quia hac ſuſceptâ obſtrinxerunt ſeſe homines ad obſervantiam reliquorum; ad Gal. 5. 3. *Teſtor omni homini qui circunciditur eum eſſe debitorem totius Legis ſervandæ.* Hac itaque remotâ, ſequitur etiam Chriſtianos à cæteris omnibus eſſe liberatos. Hanc igitur ob cauſam inſtat in circumciſione, cùm animus ſit oſtendere atque concludere omnes ritus Moſaicos eſſe jam abro-

gatos.

gatos. Hic autem verſiculus ità connectitur cum ſuperiore, ut aptè occurrat objectioni quam doctores iſti cæremoniarum proculdubiò urgebant. Nam affirmârat Apoſtolus verſu præcedente Chriſtianos eſſe in Chriſto completos; Imò verò, inquiet aliquis doctor Iudaicus, falleris Paule, & fallere conaris Chriſtianos: nondum ſunt completi, quia nondum circumciſi, abſq; autem circumciſione non habentur pro ſancto Dei populo, non recipiuntur in fœdus quod initum erat cum Abrahamo & poſteris ejus. Vt itaque hanc objectionem elideret, poſtquam dixerat nos eſſe completos in Chriſto, ſubnectit *in quo etiam circumciſi*. Quod ad verborum interpretationem attinet; illa ſola aliquid difficultatis habere videntur, ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῆς ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός. Beza ſic vertit; *corpore peccatis carnis exuto:* ſumit itaque vocabulum *corporis* propriè, & dicit corpus hoc noſtrum per circumciſionem Chriſti exuere peccata carnis. Sed Eraſmus, aliique fere omnes; *dum exuiſtis corpus peccatorum carnis*, vel *in depoſitione corporis peccatorum carnis:* ſumunt itaque vocabulum *corporis* Metaphoricè pro illa maſſa nativę corruptionis quâ involvimur: *carnis* autem vocabulum additum putant ut ſignificetur unde illud corpus peccatorum ortum habeat & motum; nimirum ex carnali generatione, & ex carnali hominis parte, eâ ſcilicet quę nondum regenerata eſt. Hanc interpretationem ut minus coactam amplector magis; cui ipſe Apoſtolus alibi ſuffragatur. Ad Roman. 6.6. *Vt enervetur corpus peccati*; ſic etiam 3. hujus Epiſtolæ, verſu 5. peccata particularia appellat *membra*: eâdem itaque Metaphorâ uſus videtur & hoc in loco.

Verba mittamus, & ad rem accedamus; ſic ſe habet Apoſtoli ratio, Qui jam habent circumciſionem, eámque pręſtantiorem quam Moſaicam, non ſunt ad iſtam cogendi: ſed Chriſtiani circunciſi ſunt circunciſione longè excellentiori & efficaciori &c.

Hoc oſtenditur tripliciter. 1. Ab Authore circumciſionis noſtræ: illi à Moſe olim circunciſi, vel ab aliis hominibus Moſe inferioribus; ſed nos in Chriſto, vel per Chriſtum circunciſi; nam idem valent *In* & *Per*. 2. A Modo circunciſionis Iudaicæ & noſtrę: illi habebant manufactam circunciſionem, nos *circunciſionem Chriſti*. Quid hoc eſt? Circunciſionem internam factam Spiritu Chriſti. Conjungendę ſunt itaque hæ duæ clauſulæ, *Circunciſione non manufactâ*, et *per circunciſionem Chriſti*, & ambę referendæ ad modum circunciſionis noſtræ. 3. Ab Effectu diverſo: Iudaica abſcindebat pelliculam carnis; noſtra totum *corpus peccati*.

In quo etiam circunciſi eſtis] In id incumbit Apoſtolus, ut doceat Coloſſenſes opus non habere circunciſione Moſaicâ. Ratio petita eſt ab excellentia noſtræ circunciſionis, quæ oſtenditur primò ab Authore ejuſdem; *In Chriſto*, id eſt, per Chriſtum, vel

efficа-

efficaciâ & virtute Chriſti eſtis circunciſi; fruſtra igitur acciperetis circunciſionem Moſaicam. Vis hujus rationis perſpicitur, ſi recolamus ea quæ de Chriſto dicta ſunt ab Apoſtolo: nam Chriſtum celebravit ut Primogenitum Dei, Caput Eccleſiæ, Theſaurum gratiæ, ipſius denique Deitatis plenitudine adornatum; in contumeliam igitur Chriſti vergeret, ſi quis ab eo circunciſus, ab alio quopiam circuncidi deſideraret; deſiderium enim alterius ſubindicat aliquem fuiſſe defectum in circunciſione ipſius Chriſti. Quemadmodum enim & ſibi & Regi injurius eſſet, ſi quis ab ipſo Rege ornatus dignitate Equeſtri poſtmodùm cuperet eundem honorem ab aliquo inferiore miniſtro recipere: ſic qui circunciſus eſt à Chriſto Rege & Domino noſtro, imminutum it Majeſtatem ejus, ſi hac eâdem in re alterius miniſterium deſideret. Hæc de Authore; ad Modum pergo.

Circunciſione non manufactâ, in circunciſione Chriſti] Hæc conjungo, quia utraque referri poſſunt ad Modum hujus circunciſionis quam in Chriſto, vel per Chriſtum conſecuti ſumus: dici enim potuit Chriſtum neminem unquam circuncidiſſe; Imò, inquit Apoſtolus, ſumus in eo circunciſi. Sed quo Modo? *Circunciſione non manufactâ*, id eſt, non corporali & ſenſibili; ſed *circunciſione Chriſti*, id eſt, ſpirituali, internâ, & inviſibili, qualem expectare oportet à cœleſti noſtro Sacerdote. Modus itaque hujus circunciſionis deſcribitur 1. Negativè; eſt ἀχειροποίητος *non manufacta*, vel *facta ſine manibus*: per hoc opponitur Moſaicæ circunciſioni, quæ ſita fuit in opere externo manibus hominum adminiſtrato. 2. Deſcribitur etiam Poſitivè, cùm vocatur *circunciſio Chriſti*, id eſt interna quędam circunciſio facta virtute Spiritus ipſius Chriſti: per hoc autem longè præfertur circunciſioni Moſaicæ; quæ ſi ad hanc conferatur planè nihili res eſt; Rom. 2. 28. & Phil. 3. 3. Hîc autem illud obiter monendum, Apoſtolum cùm diſputet de circunciſione, reliquiſq; ritibus Moſaicis, de illis ut plurimùm loqui quatenus conſiderantur in ſe, à Chriſto divulſæ, & ad Evangelicam gratiam non relatæ; quia ſic urgebantur à Pſeudoapoſtolis quibuſcum diſputabat. Quærebant enim juſtitiam & ſanctificationem in ipſis cæremoniis, neq; agnoſcebant in illis latere umbras Chriſti venturi; eapropter nec abrogari illas patiebantur adventu ipſius Chriſti: Apoſtolus è contrà arguit, Habemus illam ſpiritualem circunciſionem quam adumbrabat corporalis; ergò illa jam ceſſare debet, ne dum umbram retinere velimus, ipſum corpus jam adveniſſe negemus.

Objecti. Apoſtoli ratio ſolida non videtur: ſic enim concludit, Circunciſi eſtis circunciſione ἀχειροποίητῳ, ergò non indigetis illâ quę fit manibus: regerere potuit aliquis ex iſtis cæremoniarum doctoribus, Imò indigemus utrâque; nam Abrahamus erat corde circunciſus per fidem & Spiritum, neque tamen detrectabat ſuſci-

pere

pere externam inſuper circunciſionem.

Non eſt eadem ratio. Abrahamus enim virtute divini mandati tenebatur ad circunciſionem corporalem; Chriſtiani non tenentur. Abrahamus hoc ſigno ſuſcepto declarabat & confirmabat fidem ſuam de Chriſto omnis peccati experte, ex ſuo ſemine naſcituro; at nos Chriſtum naſciturum non expectamus, ſed natum credimus. Abrahamus denique non habebat aliud ſignum fœderis initi cum Deo; nos habemus, Baptiſmum ſcilicet ab ipſo Deo in circunciſion's locum ſurrogatum. Iam ex his quæ dicta ſunt de Authore, & Modo circunciſionis noſtræ Documenta quædam eliciamus. *Solut.*

Chriſto ſublato nihil reſtat in Sacramentis præter inane ſpectaculum, & nudam omni ſalutari efficaciâ cæremoniam: Chriſtus enim eſt ſubſtantia Sacramentorum: Chriſti virtus & operatio ipſa vita Sacramentorum. Scitum eſt itaque & ſanctum illud Scholæ dictum, *Sacramenta ex ſimilitudine repræſentant, ex inſtitutione ſignificant, ſed ex virtute Chriſti ſanctificant.* *Docum.* 1.

Si ut externa adminiſtratio Sacramentorum fit manu hominum, ſic interna operatio fit ſolâ Chriſti potentiâ; tum fruſtra gratia quæritur, vel quaſi latitans in ipſis ſignis, vel quaſi alligata operi operato, id eſt, externæ adminiſtrationi Sacramentorum: nam alligatur ſoli Chriſto, non iſtis externis. Doctè hac de re Pariſienſis ſcripſit in tract. de Sacram. Bap. cap. 2. ubi oſtendit externam ſolennitatem ſignorum viſibilium nil aliud eſſe quàm librum, in quo legitur virtus & gratia quæ præſtatur ab ipſo Deo. Quod etiam Proſper docuit in Epiſt. ad Demetriadem; *Aliud eſt quod viſibiliter agitur in Sacramentis, aliud quod inviſibiliter celebratur; nec idem eſt in Sacramento forma quod virtus; cùm forma adhibeatur per humani miniſterii obſequium, virtus autem per divini operis præſtetur effectum.* Magis ſuccinctè Cypr. de Bap. *Solus Spiritus rem Sacramenti nobis confert.* *Docum.* 2.

Non eſt nobis in eo gloriandum quòd participes facti ſumus externi Sacramenti, niſi conſecuti ſumus inſuper internam Chriſti, & vivificam operationem: nam hac abſente, ut olim dictum eſt Iudæis, *O incircunciſi cordibus*; Act. 7. 51. ſic nobis jure dicatur, O non baptizati cordibus. *Docum.* 3.

Non contemnenda eſt externa adminiſtratio Sacramentorum, quamvis vivifica & ſalutifera operatio, nec ab humano miniſterio, nec ab externis ſignis ſperetur, ſed à Spiritu Chriſti: quia Chriſtus cum ſua inſtitutione concurrit; nec vult ut ab illo exigamus gratiam quam promiſit, ſi contemnamus Sacramenta gratiæ quæ nobis uſurpanda mandavit. Atque hæc de Modo vel Qualitate circunciſionis quam habemus in Chriſto; nimirum, quòd ſit non Externa & Corporalis, ſed Interna & Spiritualis. *Docum.* 4.

Cùm

Cùm exuiſtis corpus peccatorum carnis vel *in expoliatione, &c.*] Vltimum illud quod in circunciſione Chriſti conſiderandum propoſuimus, fuit eximius hujus circunciſionis effectus, nimirum, Depoſitio corporis peccatorum carnis. Vide quantum circunciſio ſpiritualis quam in Chriſto habemus, præſtet corporali & manufactæ circunciſioni. Illa externa exiguam corporis particulam abſcindebat: hæc interna totum corpus peccati ſolet abolere; non ipſum corpus, aut ipſam carnem, ſed *corpus peccatorum carnis*, id eſt, maſſam vitiorum & peccatorum quę pullulat ex carne, hoc eſt, ex corruptione noſtrâ inſitâ & originali; qua carne anima uniuſcujuſque non minùs circundata eſt, quàm carne hac naturali.

Habemus itaque hîc brevem & perſpicuam deſcriptionem internæ, id eſt, veræ circunciſionis; Eſt depoſitio veteris Adami cum actionibus ſuis, vel corruptæ imaginis à parentibus noſtris peccato infectis ad nos derivatæ. Vel (ut Origenes loquitur in Epiſt. ad Rom. cap. 2. lib. 2.) *Eſt purgatio animæ, & abjectio vitiorum.*

Nec mirum ſpiritualem hanc circunciſionem, diverſum effectum habere ab iſta corporali, cùm habeat diverſum Agentem, diverſa Inſtrumenta. Actor etenim in hac ſpirituali circunciſione eſt ipſe Deus Dominus noſter; Deut. 30. 6. *Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, ut poſſis vivere.* En actorem, Deum; effectum, novos motus in ipſo corde, & vitam ſpiritualem. Sed in corporali circunciſione, actores homines fuerunt. *Abrahamus circuncidit Iſaacum octavo die*; Gen. 21. 4. Sic *Ioſue circuncidit filios Iſrael*, Ioſu. 5. 3. Ab hominibus autem quid expectes aliquid ſupra hominem? Iam verò & inſtrumenta longè ſunt diverſa: Homines enim corporalem circunciſionem perficiunt corporalibus inſtrumentis, juxta illud Ioſu. 5. 2. *Fac tibi cultros lapideos, & circuncide filios Iſrael*; Chriſtus autem corda circuncidit gladio Spiritus & verbi. *Sermo* autem *Dei penetrabilior eſt omni gladio ancipiti, & pertingit uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus, &c.* Hebr. 4. 12. Eſt itaque valdè conſentaneum, ut hujus circunciſionis effectus, ſit ipſa depoſitio corporis peccatorum carnis, id eſt, animæ purgatio, non corporalis ſigni impreſſio.

Documenta.

Docum. 1. Chriſtus Servator eſt non ſolùm merito paſſionis, ſed etiam efficaciâ internæ ſuæ operationis: nam ille non modò peccata noſtra expiavit ſanguine ſuo, ſed corda noſtra renovavit, & corpus peccatorum animæ noſtræ adhærentium abolevit Spiritu ſuo.

Docum. 2. Cùm hæc expoliatio corporis peccatorum ſit opus Spiritus

tus Chriſti, nos oportet non repugnare huic Spiritui, ſed nos totos refingendos & dirigendos eidem permittere: non itaque carni fræna laxanda, ſed Spiritu ambulandum; *Spiritu ambulate & deſideria carnis non perficietis*; Gal.5.16.

Non ſufficit Chriſtiano quaſi unum aut alterum membrum ex hoc corpore peccatorum abſcidiſſe, ſed oportet illud totum amputare, exuere, abjicere: ſpiritualis enim hæc circunciſio non ad unum tantummodò membrum pertingit, ſed ad omnia. Aures, lingua, oculi, cor, mens, totus deniq; homo circuncidendus eſt, quia totus peccato inquinatus. Rectè Pariſienſis de Virtutibus cap.22. *Non mundatur, niſi qui omnibus peccatis renuntiavit: quis enim mundum dixerit hominem, qui vel in una tantùm cloaca volutetur?* *Docum. 3.*

Sed hîc dubitatur de hoc effectu internæ circunciſionis: videtur enim quòd totum illud corpus peccatorum non exuitur à Chriſtianis regeneratis, tum quia ſentiunt in ſe adhuc motus & concupiſcentias peccati inhærentis, tum quia Scriptura jubet ſpiritualiter circunciſos, id eſt, verè renatos, quotidiè mortificare magis ac magis veterem Adamum, & exuere veterem hominem, induere novum. *Dub.* *Eph.4.22.*

Ab omnibus renatis totum corpus peccatorum totaliter exuitur, & aboletur. 1. Quoad reatum; nullam enim habet vim condemnandi eos qui ſunt in Chriſto Ieſu. 2. Quoad dominium; non enim peccati concupiſcentiis, ſed Spiritu Chriſti reguntur, quotquot ſunt in Chriſto inſiti. 3. Quoad ipſum Sacramentum regenerationis; nam in eo non unum aut alterum, ſed omnia peccata noſtra abluuntur, & mortificantur Sacramentaliter. Hiſce igitur modis peccatum deponitur, & aboletur in hac vita. Iam verò non exuitur totaliter peccatum. 1. Quoad naturam peccati; vnde illud Apoſtoli, *Ne regnet peccatum*, ad Roman.6.12. Non dicit, ne lateat, ne hæreat, ſed *ne regnet in mortali veſtro corpore.* 2. Non exuitur quoad motum & actum; unde illud ejuſdem Apoſtoli, Rom. 7.23. *Video aliam legem &c.* Actus itaque depoſitionis peccati, vel nativæ corruptionis, ſi ad ipſam rei naturam referatur, non momento perficitur, ſed in piis omnibus ad extremum uſque ſpiritum protenditur. *Solut.* *Rom.8.1.*

VERS. XII

Conſepulti cum eo in Baptiſmo, in quo etiam reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui excitavit eum ex mortuis.

CIircumciſionem Chriſtianis minimè neceſſariam eſſe demonſtratum eſt verſu ſuperiore, ex eo quòd in Chriſto circunciſi ſunt circunciſione internâ & ſpirituali; ſed adhuc dubitationi locus relinquitur: dicet enim fortaſſe aliquis, Deeſt externum ſymbolum quo piorum animi confirmentur & perſuadeantur ſe reverà factos participes ſpiritualium beneficiorum in Chriſto. Oſtendit itaq; Apoſtolus ne illud quidem deeſſe, imò Chriſtianos habere Sacramentum excellentius & expreſſius circunciſione, Baptiſmum ſcilicet; *Conſepulti cum eo in Baptiſmo.*

Tria hîc notanda. 1. Spiritualia beneficia quæ percipiuntur in Baptiſmo: Sepultura ſcilicet veteris hominis, quam appellare ſolent mortificationem; Reſuſcitatio novi, quam vivificationem appellant. 2. A quo Fonte fluunt hæc beneficia, nimirum à Chriſti morte & reſurrectione; quod innuitur illis vocibus *cum eo, in eo*, vel *per eum*. 3. Quo Inſtrumento hæc beneficia nobis applicantur; *per Fidem* ſcilicet.

Conſepulti in Baptiſmo] In Baptiſmo deſignatur hæc ſepultura corporis peccatorum, vel veteris Adami, cùm in aquam demittitur baptizandus; quemadmodum reſurrectio cùm educitur: in veteri enim Eccleſia non tingebant ſolummodò, ſed in aquam immergebant eos quos baptizabant.

Sed quo ſenſu dicimur συνταφέντες, vel *conſepulti*? Chriſti enim corpus naturale fuit verè ſepultum; an putandum noſtra corpora eodem modo ſepeliri in adminiſtratione Baptiſmi? Non id vult Apoſtolus; ſed ut rectè Chryſoſtomus obſervavit in 6. ad Romanos, *Quod in Chriſto factum eſt per naturam, id in nobis fieri intelligit per analogiam & proportionem.* Corpus igitur peccati ſepelitur, quando ejus vis enervatur, comprimitur, obruitur, & quaſi cadaver terrâ obrutum, non poſſit ampliùs movere, & quoquò velit hominem impellere, aut ſalutem noſtram impedire. Hoc autem in Baptiſmo fieri dicitur duplici reſpectu.

1. In reſpectu ad Chriſtum, cui cùm inſerimur per Baptiſmum, donantur nobis, & obſignantur beneficia mortis Chriſti: illo autem mortuo & ſepulto, clarum eſt, mortua ſimul cum illo & ſepulta fuiſſe peccata noſtra; quia *ea in corpore ſuo portavit*; 1. Pet. 2. 24. Hoc illud eſt quod urgetur ab Apoſtolo ad Romanos 6. 3. *Quotquot baptizati ſumus in Chriſtum, in mortem ejus baptzati ſumus.* Reſpiciendo igitur ad perſonam Chriſti Capitis noſtri, rectè dicuntur peccata noſtra mortua planè & ſepulta in morte ejus & ſepultura: & nos in Baptiſmo quoad corpus peccati conſepulti

ſepulti dicimur, quia hoc beneficio per mortem Chriſti parto donamur; & inde fit quòd peccata noſtra non imputentur nobis, ſed quaſi pro mortuis & ſepultis habeantur.

2. Non ſolùm in perſona Capitis noſtri, ſed in nobiſmetipſis etiam ſepulta dicuntur peccata in Baptiſmo: quia illa mortificatio & ſepultura peccati non ſolùm Sacramentaliter uno momento peragitur in actione Baptiſmi; ſed Realiter etiam, per Spiritum gratiæ in Baptiſmo acceptum, per totam vitam Chriſtiani protenditur. Nam alia ratio eſt corporalis mortis & ſepulturæ, alia ſpiritualis: prior gradus non habet, quia eſt pura privatio; qui igitur mortuus eſt non poteſt magis ac magis indies mori. Sed hæc poſterior eſt in Fieri, non in Facto eſſe; habet igitur ſuos progreſſus, ità ut qui mortuus eſt peccato poſſit magis mori, qui ſepultus magis ſepeliri, quoad ipſum opus in homine perficiendum, quamvis quoad Sacramentalem repræſentationem & obſignationem ejuſdem nihil deſit.

Etiam reſurrexiſtis] Hoc eſt ſecundum Baptiſmi effectum, quod adumbratur cùm Baptizatus poſt immerſionem in aquam, ex eadem educitur: comprehendit autem ſub hoc Reſurrectionis vocabulo novam illam vitam quam renati vivere incipiunt, poſtquam mortui & conſepulti fuerint cum Chriſto. Novam autem appello, quia habet & novum principium, & motus etiam ſive operationes novas. Principium novum non eſt anima vegetans, ſed Spiritus ſanctificans; non innata concupiſcentia, ſed donata gratia. Fructus novi ſunt, non illa ***opera carnis, adulterium, contentiones, invidiæ, cædes, ebrietates, & his ſimilia: ſed charitas, gaudium, pax, bonitas, fides, &c.*** Gal. 5. 19. &c. Duo hæc beneficia ſunt ſemper nexa & juncta inter ſe: nam ut ipſe Chriſtus non manſit in morte, ſed reſurrexit; ſic virtute mortis ejus & reſurrectionis, nos non ſolùm morimur peccato, ſed etiam ſic reſurgimus, ***ut vivamus juſtitiæ***; 1. Pet. 2. 24. Sic habetur etiam ad Rom. 6. 5. ***Si cum eo plantati coaluimus ſimilitudine mortis ejus, etiam reſurrectionis ſimilitudine coaleſcemus.***

Corollaria.

Chriſtianus in peccato vivens, & concupiſcentiis ſuis inſerviens, horrendum ſpectrum, imò monſtrum cenſetur coram Deo. Nam mortuum ambulare aut movere, eſt res planè prodigioſa: Chriſtianus autem aut eſt, aut eſſe debet, non modò mortuus, ſed ſepultus quoad veterem hominem. *Coroll.* 1.

Chriſtianus ocio torpeſcens, id eſt, fructus juſtitiæ non proferens, nec novitati vitæ ſtudens, quamvis abſtineret ab actibus peccati, tamen ſe Baptiſmi immemorem oſtendit. Eſt enim Baptiſmus pactum vitæ purioris cum Deo: curandum itaque ut quod ſemel geſtum eſt in Baptiſmo Sacramentaliter, ſemper in vita peragatur Veraciter. *Coroll.* 2.

Coroll. 3. Externa ablutio non afferre poteſt Chriſtiano ſolidum ſolatium, niſi ſentiat inſuper hæc interna effecta mortificationis & vivificationis. Nihil enim ad ſalutem conducit Baptiſmus quà nudum lavacrum corporis, niſi inſuper fiat nobis λουτρὸν παλιγγενεσίας Tit. 3. 5. Nam rectè Cyprianus de zelo; *Chriſti nomen induere, & non per Chriſti viam pergere, quid aliud quàm prævaricatio eſt divini nominis?* Chriſti nomen induimus cùm externum Baptiſmum ſuſcipimus; ſed Chriſti viam ingredimur, cùm mundo morimur ut vivamus Deo.

Coroll. 4. Qui ambulant ſecundum concupiſcentias carnis non poſſunt Deum incuſare, aut Baptiſmi inefficaciam, ſed ſeipſos qui Spiritui reſiſtunt; cui ſi parerent, peccatum in illis quotidiè debilitaretur, imago juſtitiæ renovaretur, fieret denique illud Realiter, quod in Baptiſmo factum fuit Sacramentaliter. Atque hæc de duobus Baptiſmi Effectis, ſepulturâ nimirum noſtrâ ſpirituali, & reſurrectione: reſtat ut horum beneficiorum Cauſam & Fontem quæramus; quam breviter indicavit Apoſtolus particulis hiſce, *Cum eo, in Quo.*

Dicimur in Baptiſmo ſepulti cum Chriſto, reſurrexiſſe etiam in Chriſto vel per Chriſtum, ne hęc ſupernaturalia effecta, vel externo elemento, vel noſtris propriis viribus tribuamus. Chriſti itaque mors, ſepultura, reſurrectio, cauſa eſt mortificationis, & vivificationis noſtræ ſpiritualis. Cauſa (ut anteà à nobis diſputatum eſt ad verſum 18 primi Capitis) tum Meritoria; quia morte ſua & reſurrectione promeruit nobis hanc mortificationem, & reſuſcitationem ſpiritualem juxta dictum Eſaiæ 53. 10. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum*; quia enim poſuit vitam ſuam naturalem, promeruit ut ſibi ſuſcitaretur ſemen ſpirituale, & ut illis vita ſpiritualis communicaretur. Cauſa eſt etiam Effectiva noſtræ mortificationis & reſurrectionis mors & reſurrectio Chriſti; quatenus à morte reſurgens eâdem virtute quâ ſuam reſurrectionem corporalem effecit, efficit etiam noſtram hanc ſpiritualem. Nam ut humanitatem Verbo unitam, virtute Verbi excitavit à morte; ſic etiam nos ſibi unitos & inſitos eâdem virtute exuſcitat ad novam vitam gratiæ; ad Rom. 6. 11. *Colligite, &c.* Chriſti denique ſepultura, mors, & reſurrectio, eſt cauſa Exemplaris hujus noſtræ mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis: ſic enim paſſim proponitur nobis ab hoc Apoſtolo; *Sicut Chriſtus excitatus eſt ex mortuis, ſic nos in novitate vitæ ambulemus*; Rom. 6. 4. Haſce itaq; ob cauſas rectè dixit Apoſtolus nos cum eo, & in eo eſſe mortuos & reſuſcitatos; quia Merito, Efficaciâ, & Exemplo mortis & reſurrectionis ejus, mortificationem & reſurrectionem ſpiritualem nacti ſumus.

Obſervatio-

Obſervationes.

Chriſtus non ſibi ſoli mortuus, ſepultus, & excitatus, ſed nobis: nam in morte & ſepultura ſua peccata noſtra mortificavit & ſepelivit; in reſurrectione nos unà ſecum quaſi manu prehenſos ſuſcitavit: cùm igitur Chriſti mortem & reſurrectionem cogitas, non ſolùm quid in illo factum ſit contemplare, ſed quid ſimul in te. Nam ut divinè Apoſtolus ad Epheſ. 2. 5. 6. *Cùm mortui eſſemus unà vivificavit nos &c.* *Obſerv.* 1.

Incumbit unicuique Chriſtiano, non ſolùm ut credat mortem & reſurrectionem Chriſti, ſed ut in ſe habeat & ſentiat, ut aliis etiam exhibeat reale & vivum teſtimonium earundem: hoc autem facit qui peccato renunciat & vivit Deo. In hanc fere ſententiam ſcripſit Origenes; *Quid prodeſt ſi in illa tantùm carne quam de Maria ſuſcepit credam veniſſe Chriſtum, & non oſtendam etiam in hac mea carne veniſſe?* Nos addamus, Quid prodeſt ſi credam Chriſtum mortuum & reſuſcitatum in carne quam de Maria ſuſcepit, & non oſtendam in mea carne, quòd ſit mortuus & reſuſcitatus, hoc eſt, quòd ego in eo & cum eo mortuus ſum & reſurrexi? *Obſerv.* 2. *In Gen. cap.* 17. *Hom.* 3.

Habent hîc pii omnes unde colligant ſe eſſe vera & viva membra Chriſti, nimirum ſi mortificationi, & novitati vitæ ex animo ſtudeant. Nam quiſquis hoc facit, non id agit propriis viribus; ſed cum Chriſto ſepultus eſt, in Chriſto reſurrexit: eſt igitur in Chriſtum inſitus, & Spiritu Chriſti vivificatus. Atque hæc de Cauſa ſive Fonte mortificationis & vivificationis noſtræ; ſequitur de Medio ſive Inſtrumento quo hæc beneficia apprehenduntur.

Per fidem operationis Dei qui excitavit eum ex mortuis] Perventum jam eſt ad inſtrumentum illud cujus ope & adminiculo ſupradicta Baptiſmi beneficia apprehenduntur & poſſidentur: ſi enim hæc fides deſit, quamvis offerantur theſauri gratiæ in Sacramento ex parte Dei, non tamen recipiuntur ex parte noſtra, ſed repelluntur infidelitate. Sed ſenſus verborum priùs expediendus eſt, quàm in ipſam ſubjectam materiam inquiramus. Verba itaque hæc διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ θεοῦ, duobus modis exponi ſolent ab Interpretibus. Alii ſic, *per fidem operationis Dei*, id eſt, per fidem quam in unoquoque fidelium operatur, per fidem quæ oritur ex divina operatione. Alii autem ſic, *per fidem operationis Dei*, id eſt, per fidem quæ fertur in operationem illam Dei mirificam, quæ pro noſtra juſtificatione excitavit Chriſtum. Sive hanc, ſive illam interpretationem ſequamur, tria in hiſce Apoſtoli verbis ſunt annotanda: Inſtrumentum quo apprehendimus theſauros gratiæ in Baptiſmo oblatos; Fides ſcilicet: Donator ſive Effector hujus fidei; Deus, vel operatio Dei: Objectum particulare quod fides potiſſimùm hac in re intuetur;

Dei potentia excitans Chriſtum ex mortuis pro ſalute noſtra.

Per fidem] Quod ad primum, non fruſtra eſt quòd fides exigitur ab Apoſtolo, ut beneficium ſpiritualis reſurrectionis obtineamus. Nam ut in Baptiſmo adultorum requiritur fides prævia, juxta dictum Salvatoris Mar. 16. ver. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuérit, ſalvus erit; qui non crediderit, condemnabitur*: ſic ab illis qui baptizantur cum jam infantes ſint, requiritur fides ſubſequens; quam ſi non præſtiterint poſteà, retinent externam tantummodò Baptiſmi ſanctificationem, interna ſanctificationis effecta non habent. Vnde Auguſtinus Quæſt. ex Nov. Teſtamen. quæſt. 59. *Qui Baptiſmum putat carnali ratione conſiſtere, hic non eſt ſpiritualis, nec donum cœleſte poterit conſequi, qui ſe per aquam non per fidem commutari credit.*

Hujus rei rationem habemus firmam & perſpicuam; quia ſcilicet ſubſtantia Sacramentorum eſt ipſe Chriſtus, virtus & vita eorum omnis à Chriſto: jam verò Chriſtus non attingitur ab infideli; hujuſmodi enim homines dum Sacramenta percipiunt, quia *corde ſicci ſunt, & mente aridi, lambunt quidem illi petram, ſed indè nec mel jugunt, nec oleum*; ut alicubi Cyprianus.

Vſus. Ne operi operato fidamus cum Papiſtis, ſed inquiramus inſuper an adſint nobis cætera omnia, ſine quibus interna Baptiſmi effecta non habentur. Hæc de Inſtrumento fidei.

Operationis Dei] Fidei Authorem ſive Donatorem deſignat Apoſtolus, nempe ipſum Deum. Cùm enim Baptiſmi efficacia ſalutaris à fide pendeat, æquum eſt ut ipſa fides a ſolo Deo expectetur, ne nobis in nobis detur aliqua anſa gloriandi. Vnde illud Apoſtoli Eph. 2. 8. *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Non igitur, ut Pelagiani voluerunt, ponere debemus fidem ab humano arbitrio ortam. Non ut Baſilides apud Clementem, naturalem; ſed ut Auguſtinus, gratuito Dei munere nobis donatam: *Quamvis* enim *opera bona fiunt ab homine, fides tamen fit in homine*; Epiſt. 105. ad Sixtum. *Strom.* 2.

Qui excitavit eum ex mortuis] Hanc clauſulam adjunctam aliqui volunt, ut obiter innuatur Deum ſuſcitare fidem in corde humano, eâ ipſâ infinitâ virtute quâ Chriſtum ſuſcitavit à mortuis. Cùm enim corda noſtra mortua ſint in peccatis, & infidelitate, opus eſt eâdem omnipotentiâ ad ea vivificanda, quæ ſe exeruit in Chriſti reſuſcitatione; ut habetur ad Epheſ. 1. 19. 20. Non repudiamus hunc ſenſum; ſed illud etiam adjungimus, Apoſtolum voluiſſe hîc quaſi digito demonſtrare qualem fidem à nobis exigat, illam ſcilicet quâ credimus in Deum qui operatione ſuâ mirificâ excitavit Ieſum ex mortuis in juſtificationem noſtram; ut eſt ad Romanos 4. 24. 25. Ne itaque fides noſtra vagetur in confuſâ quadam & indefinitâ Dei ſpeculatione, infinitum hoc objectum nobis quaſi attemperat, cùm fidem vult non Dei

efficaciam

efficaciam ſimpliciter contemplari, ſed quatenus Chriſtum ſuſcitavit; ſic enim nobis extitit ſalutifera.

Et valde accommodatè hoc in loco, ubi agitur de fide cum ſpirituali noſtra reſurrectione conjuncta, illam reſpicere jubet ad hanc Dei potentiam quæ Chriſtum excitavit; duas ſcilicet ob cauſas quas anteà attigimus. Prima eſt, quia eadem potentia quæ Chriſtum excitavit à mortuis, nobis vires inſpirat ad hanc ſpiritualem reſurrectionem. Secunda, quia hæc Chriſti reſurrectio cauſa eſt noſtræ, ut etiam anteà eſt oſtenſum. Sed duo jam reſtant expedienda, quæ dubitandi occaſionem præbent.

Dub. 1. Primum dubium ex eo oritur, quòd in hiſce poſtremis verbis Chriſtus ponitur excitatus alterius virtute, cùm certum ſit Chriſtum ſuâ potentiâ ſeipſum excitaſſe; juxta illud Ioan. 2. 19. ***Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*** Loquitur ***de templo corporis ſui***, interprete ipſo Ioanne.

Solut. In hujuſmodi dictis in quibus ad Deum Patrem divina opera referuntur, non Spiritus aut Filius excluditur, ſed ordo agendi notatur. Nam veriſſimum eſt illud Chriſti, Ioan. 5. 19. ***Quæ Pater facit, hæc etiam Filius pariter facit.*** Et Paternâ igitur virtute, & ſuâ excitatus eſt; quia eadem potentia eſt utriuſque. Vnde Hilarius de Patr. & Fil. unitat. ***Opera Dei Patris ipſe naturâ à Deo non differente operatus eſt.***

Dub. 2. Alterum dubium paulò difficilius, quod ab Anabaptiſtis valde urgetur. Cùm enim in tota hac diſputatione Apoſtolica cum Baptiſmo conjungitur mortificatio, vitæ novitas, ipſa denique fides; infantes autem, nec carnem mortificare, nec fructus novæ vitæ facere, nec credere deniq; poſſunt, concludunt non eſſe eâ ætate baptizandos.

Solut. Si loquantur de fide actuali, de actuali ſtudio, & profeſſione mortificationis & vivificationis, illa Scripturæ loca quæ hæc requirunt in baptizatis, ad adultos eſſe reſtringenda dicimus: ad infantes autem quod attinet, quia peccatores ſunt non proprio actu ſed hæreditario habitu, ſufficit quòd peccati mortificationem, & fidem habeant, non proprio actu ſeſe exerentem, ſed in habituali principio gratiæ incluſam; Spiritum autem Chriſti principium hoc habituale gratiæ in illis efficere poſſe & ſolere, nemo ſanus negaverit. Porrò, non neceſſe eſt ut Sacramenta, eo ipſo momento quo adminiſtrantur, efficiant illa omnia quæ figurant; imò concedentibus ipſis Scholaſticis, ***Pactio dilatoria locum habet, cùm in ipſa ſuſceptione obex ponitur.*** Iam verò in infantibus ipſe defectus rationis quoad actum, eſt impedimentum quò minùs habere poſſint actualem fidem, vel actuale ſtudium mortificationis. Præterea, etſi fides, ac pœnitentia actualis requiratur ab adulto, antequam ſignum fœderis accipiat, tamen à fidelium infantibus non requiritur in actu; quia eſſe fœderatum ſufficit ad

accipiendum ſignum fœderis; infantes autem eodem fœdere continentur cum parentibus. *Ero Deus tuus, & ſemini tui*; Gen. 17.7. Hoc videmus in Abrahamo qui priùs credidit, deinde circumciſus fuit; ſed filium ſuum Iſaacum, utpote jam fœderatum, priùs circuncidit quàm per ætatẽ poſſet credere. Hoc in Chriſtianorum infantibus ritè fit, & exemplo Apoſtolorum, qui adultos non baptizabant niſi fidem ſuam profitentes; ſed cùm parentes Chriſtianiſmum ſuſceperant, tum totas illorum familias baptizabant: familiæ autem nomine infantes etiam contineri nemo ignorat. Loca extant manifeſta; Actor.16.ver.15.& 33. 1.Cor.1.16. Atque hæc de Pædobaptiſmo dixiſſe ſufficiat contra Anabaptiſtas.

VERS. XIII.

Vóſque mortuos in peccatis, & præputio carnis veſtræ, ſimul cum eo vivificavit, condonans vobis omnia peccata.

NOva ratio proponitur, quæ oſtendit nos opus non habere circunciſione, aliiſque ritibus Legalibus; quia ſcilicet in Chriſto habemus non modò ſanctificationem, ſive regenerationem, ſed perfectam juſtificationem à peccatis, ídque per gratuitam remiſſionem. Vt autem hoc beneficium illuſtrius & ſplendidius agnoſcatur, tria facit.

1. Statuit nobis ob oculos miſeram conditionem naturæ noſtræ; *Vóſque mortuos &c.*

2. Liberatorem noſtrum oſtendit, Deum nempe per Chriſtum; *ſimul cum eo vivificavit.*

3. Modum liberationis declarat, per gratuitam peccatorum remiſſionem; *Condonans &c.*

Vóſque mortuos in peccatis, & præputio carnis veſtræ] Hiſce in verbis depingitur ſtatus hominis in corrupta natura, oſtenſo tum malo, tum causâ ejus. Malum quo premitur, ipſa mors; *vóſque mortuos.* Cauſa mali duplex: peccata actualia, quæ hîc appellantur παραπτώματα· & originalis corruptio, quæ *præputii* nomine ſignificatur.

Quod attinet ad ipſum malum; Mortui cenſentur omnes filii Adæ, 1. Quia jacent ſub ſtatu mortis ſpirituali, amiſſâ imagine Dei in qua creati fuerunt, excuſsâ gratiâ divinâ, quæ animę anima fuit, ſuccedente etiam in earum locum colluvie lethalium vitiorum. 2. Quia jacent ſub reatu mortis gehennalis, facti obnoxii iræ divinę, & illi ſupplicio quod ab irato Deo expectari debet. Nam *naturâ ſumus filii iræ*, Eph.2.3. Mors igitur (utì videtis) nos omnes corripuit; ſpiritualis actu, gehennalis reatu: utroque reſpectu jure dicamur occiſiſſimi.

In peccatis] id eſt, In actualibus Legis divinę tranſgreſſionibus: hæc una & perſpicua cauſa mortis noſtræ. Nam *ſtipendium peccati mors eſt* ex ordinatione divina: *Anima quæ peccaverit morietur*: Morte gratiæ, quatenus peccatum ſuâ impuritate diſſolvit gratuitam animæ unionem ad Deum, in qua ſita eſt vita noſtra ſpiritualis; juxta illud Prophetæ Eſaię 59.2. *Iniquitates veſtræ diſterminant, &c.* Morte etiam gehennæ, quatenus juſtitia divina poſtulat, ut peccatoribus irrogetur ſupplicium par offenſæ: offenſa autem infinitæ Majeſtatis, meretur infinitum: *Compreſſio, & anguſtia adverſus omnem animam hominis perpetrantis malum*; Rom.2.9.. Quiſquis igitur in peccatis vivit, in morte verſatur.

Et præputio carnis veſtræ] Hęc eſt altera mortis noſtrę cauſa. Nonnulli propriè hæc verba ſumunt, & denotari hîc putant non ipſam cauſam mortis, ſed ſignum cauſæ. Vt enim circunciſio per ſe non valebat ad vitam, ſic neque prępútium per ſe ad mortem: ſed mortui dicuntur in prępútio, quatenus illud ſymbolum erat alienationis à fœdere divino, extra quod poſiti nihil aliud expectare poſſunt quàm maledictionem & interitum, ut concluditur ab Apoſtolo ad Epheſios, cap. 2. verſ. 11. & 12. Sed magis placet illorum ſententia, qui figuratè hoc vocabulum accipiunt, & per *præputium carnis* originale illud malum deſignari volunt quod per propagationem carnalem in omnes derivatur, & ipſam animam quaſi carnalem reddit. Quamvis enim hoc vocabulum quandam corporis particulam propriè deſignet, tamen figuratè ad multa alia transfertur: quandoque denotat ipſos Gentiles, ſicut circunciſio Iudæos, ut ad Rom.3.30. *Deus eſt qui juſtificat circunciſionem ex fide, & præputium per fidem:* quandoque ipſum Ethniciſmum, ſive conditionem Gentilium, ut ad Epheſ. 2.11.12. Sed hoc in loco (utì dictum) deſignat nativam illam pravitatem quæ ex ipſo matris utero adhæreſcit omnibus Adami filiis. Neque hæc verbi ſignificatiò inuſitata eſt. Deut. 10.16. *Circuncidetis præputium cordis veſtri*. Sed apertiùs Ier. 9.25. *Ecce dies venient quando viſitabo omnem circunciſum in præputio*, id eſt, omnem exteriùs circunciſum, intùs tamen gerentem nativam cordis pravitatem.

Retentâ itaque hac vocabuli ſignificatione, dicimus omnem hominem naturalem mortuum eſſe in hac nativa ſua corruptione: tum quia nulla pars animæ poteſt in ſpiritualibus vitalem aliquam actionem exercere; tum quia ob hanc corruptionem naturæ, ſubjacet iræ divinæ, & pœnæ æternæ mortis.

1. Intellectus qui animę oculus eſt, obtenebratus & planè occæcatus quoad ſpiritualia; *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, nec poteſt intelligere*; 1.Cor.2.14. Sed & aliud malum oritur ex hac obtenebratione: mens enim quę non poteſt

præ

præ tenebris iſtis capere ſpiritualia, præceps inſuper ruit in ſpeculationes vanas, in errores, in hæreſes, in illuſiones deniq; innumerabiles. Hinc hæreſes inter carnis fructus cenſentur; Gal. 5. 20. In hoc igitur ſtatu naturæ corruptæ, mortuus jacet intellectus: ſpoliatus lumine ſuo ſpirituali & ſalutari; vanitate inſuper & errore quaſi vermibus quibuſdam corroſus.

2. Voluntas etiam peſſimè depravata eſt, ità ut amiſerit omnem appetitum veri boni, & ardeat deſiderio perpetuo rerum inanium, imò illicitarum. Hinc illa Dei querela, Geneſ. 6. 5. *Cuncta cogitatio cordis humani intenta eſt ad malum omni tempore.* Et Davidis ab Apoſtolo renovata 3. ad Romanos, *Non eſt juſtus, ne unus quidem: non eſt qui exquirat Deum. Omnes deflexerunt, ſimul inutiles facti ſunt &c.*

3. Inferiores animæ vires perturbatę ſunt, ità ut menti parere detrectent, imò imperare conentur. *Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; Rom. 7. 23. Hinc omnes affectus non imperium rationis ſequuntur in homine corrupto, ſed ipſam rationem prævertunt, ligant, & quaſi captivam ſecum rapiunt quoquò feruntur.

Iam hæc in unam quaſi ſummam conjiciamus. Mens amiſit ſuum lumen, & tenebris obruitur; Voluntas ſuam rectitudinem, & perverſitate repletur; Inferior appetitus ſuam ſubjectionem, & rebellione delectatur, atque hæc omnia mala ex præputio carnis noſtræ, id eſt, ex corruptæ naturæ tabe originem traxerunt: jure igitur ab Apoſtolo mortui dicimur in præputio carnis noſtræ. Quibus omnibus & illud accedit, quòd nos inſuper involvit reatu mortis æternæ hoc originale peccatum, æquè ac illud actuale de quo antea dictum. Sic enim Apoſtolus, Rom. 5. 12. *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ità in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

Videtis miſeram conditionem humani generis abſque Chriſto, & cauſas miſeriæ; Documenta jam quædam, & Corollaria eliciamus ex his quæ diſputata ſunt de hac morte noſtra ſpirituali, & cauſis ejuſdem.

Docum. 1. Cùm omnis homo in ſtatu naturæ corruptæ ſit mortuus ſpiritualiter, non eſt in poteſtate liberi arbitrii ſuis viribus præparare ad converſionem ſuam, quemadmodum nec homo mortuus poteſt diſponere ſe ad reſurrectionem ſuam. Præclarè Gerſon. par. 2. in Serm. de Spiritu ſancto; *Stultiſſima eſt præſumptio putantium ſe prævenire Deum, ipſúmque velut obſequi ſerviliter ad hominis actionem.* Et Pariſienſis in eandem ſententiam; *Deus prædonat conatus & præparationes ut poſteà præſtet ampliora.* Vterq; edoctus à Propheta, qui negat id eſſe in corrupti hominis arbitrio, ſed pendere ex miſericordia divina. *Converte nos Domine*

de Virtut.

ad

ad te & convertemur; Lament. 5. 21.

Cùm omnis homo ſit mortuus ſpiritualiter, non modò non poteſt ſeipſum diſponere ad ſuam vivificationem, ſed neque poteſt ad ullam motionem ſivè externam ſive internam ſeipſum vivificare, & convertere, niſi à Deo mens ejus vitâ gratiæ informetur. Vt enim motus & operatio omnis naturalis præſupponit formam naturalem; ſic omnis motus ſpiritualis (qualis eſt convertere ſe ad Deum) præſupponit formam ſpiritualem. Non itaq; ferenda Bellarmini ſententia, qui Dei gratiam efficacem nil aliud eſſe vult quàm immiſſionem talis viſi quo arbitrium humanum aptum natum eſt perſuaderi ad obediendum; de Grat. & Liber. Arbit. 1. 12. & 4. 11. Aliter Propheta, *Dabo eis cor novum, auferam cor lapideum*; Ezec. 11. 19. Et Auguſtinus de Spir. & Lit. cap. 30. *Per gratiam ſanatio animæ, per animæ ſanitatem libertas arbitrii.* Et ipſe Aquinas quæſt. diſputat. de virtut. articu. 10. *Ad peragendas actiones ordinatas in finem vitæ æternæ, infunditur primò gratia divinitus per quam habet anima quoddam eſſe ſpirituale.* *Docum.* 2.

Cùm cauſa mortis tum ſpiritualis tum æternæ, ſit Legis divinæ tranſgreſſio (nam *mortuos* dicit Coloſſenſes ἐν τοῖς παραπτώμασι) detegitur amentia omnium ferè hominum, qui id habent in deliciis quod eſt animæ mortiferum venenum. Qui alteri venenum dederit meritò homicidii reus peragitur; quid qui animæ ſuæ mortem conſciverit hoc peccati veneno? Dicam cum Lactantio Inſtit. 3. 18. *Si homicida nefarius eſt, quia hominis extinctor eſt; eidem ſceleri obſtrictus eſt qui ſe necat, quia hominem necat.* Ego autem eum qui peccando animam ſuam cum voluptate interficit, hominem necâſſe veriùs dixero, quàm ſi ſolùm corporalem vitam ſibi eripuiſſet. *Docum.* 3.

Cùm præputium carnis, id eſt, tabes originalis pervaſerit & extinxerit ſpiritualem vitam animæ, omnéſque ejus facultates ſpirituales, Bellarminum, reliquóſque Ieſuitas nimis extenuare hoc malum colligimus, qui ſtatuunt, Humanam naturam abſolutè non eſſe minùs ſanam quàm eſſet ſi in puris naturalibus crearetur. Hoc illi hauſerunt à Durando, qui per primum peccatum nihil plus factum putat circa naturam humanam, niſi quòd privata ſit juſtitiâ originali, & jam ſequatur principia naturæ ſecundum ſe. Sed contrà, tenebræ intellectus, pravitas voluntatis, rebellio inferioris appetitus, non ſunt diſpoſitiones naturæ à Deo inſtitutæ: non Naturæ dico; nam etiamſi gratiam ſupernaturalem naturæ Deus non ſuperaddidiſſet, non caruiſſet tamen ordine & pulchritudine naturali, quibus per peccatum deſtituitur. Vnde Pariſienſis in tractatu de Vitiis & Virtutibus cap. 5. dicit eos indubitanter errare, qui originale peccatum nil aliud ponunt quàm defectum gratiæ. Et ipſe dicit illud eſſe innatam no- *Docum.* 4.

Lib. 5. cap. 6. de Grat. & Lib. Arb.

Lib. 3. diſt. 3 quæſt. 1.

bis

bis brutalitatem, & adhæſionem alienarum & ad animas noſtras non pertinentium immundiciarum; de Bapt. cap. 1. Quid quòd Pſalmiſta fatetur, Pſal. 51. 6. *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea?* Credo, hæc verba non ferent hoc commentum Ieſuiticum, In puris naturalibus conceptus ſum, & nihilo deteriore conditione quàm Adamus in ſtatu innocentiæ fuiſſet, ſi Deus ſupernaturale donum juſtitiæ eidem non appoſuiſſet.

Ad extremum, hæc ipſa verba in quibus explicandis verſamur, *mortui in præputio carnis veſtræ*, plus denotant quàm ſolam gratiæ ſupernaturalis ſubtractionem. Sit enim juſtitia originalis inſtar armaturæ à Deo primis noſtris parentibus collatæ, ad omnia tentationum tela depellenda: hac detractâ inermes erunt, & periculo expoſiti; ſed non illicò vulnerati aut morbidi, multò minùs mortui. Sed hæc ſatis multa de ſtatu mortis & cauſis ejuſdem dicta ſunt; progrediamur ad Liberatorem.

Simul cum eo vivificavit] Hoc eſt, Deus Pater qui excitavit Chriſtum à mortuis, ſimul & nos propter mortem ejus vivificavit vitâ ſpirituali. Hîc igitur videmus Liberatorem noſtrum, Deum ſcilicet in Chriſto, per Chriſtum, & cum Chriſto. Nec mirum hoc opus Deo & Chriſto appropriari; eſt enim opus & omnipotentiæ & miſericordiæ hominem in peccatis mortuum vivificare, & ſuperat vires omnium creaturarum. Vitam animalem ſive corporalem huic terræ fruſto ſolus Deus potuit inſpirare; ſolus igitur & ille terreno, & carnali homini vitam ſpiritualem poteſt indere. Majus eſt vivificare impium in peccatis mortuum, quàm creare cœlum & terram. Sive enim vivificemur per reformationem imaginis quam amiſimus, ſive per remotionem reatus quem incurrimus, utraque vivificatio Dei opus. Is animam vivificat illam reparando, & ſordes peccati detergendo: *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis*; Epheſ. 2. 10. Is etiam animam vivificat (quod hoc in loco præcipuè ſpectavit Apoſtolus) reatum mortiferum peccati noſtri auferendo. Mortui enim eramus, quatenus mortis ſententia in nos lata erat, ratione peccatorum noſtrorum; vivificati dicimur, quatenus hæc ſententia propter Chriſti mortem abrogata eſt, & nos à reatu pœnæ ſumus liberati, & Deo reconciliati.

Documenta.

Docum. 1. Dei Patris in nos amorem æternum hinc diſcamus, qui nos miſeros in peccatis mortuos non eſt ità averſatus, quin vivificare, & à morte peccati ſuſcitare dignatus ſit. Nos amicorum mortua cadavera vel tangere horremus: at Deus cadaveroſas animas noſtras non tangere modò, ſed complecti, nec id ſolùm, ſed vitæ etiam reſtituere voluit. Hoc in nobis mutuum Dei amorem accendat.

Docum. 2.

Peccati infinitum reatum animadvertamus, qui ſolvi non potuit, niſi mortuo filio Dei propter peccata noſtra, & excitato propter juſtificationem. Id enim innuit cùm dicit, *Convivificavit nos cum Chriſto.* Chriſtum morti tradidit, dein vivificavit, ut illo vivificato, nos per & propter illum vitæ ſpirituali reſtitueremur. Erat proculdubiò mortiferum peccatum, quod non potuit niſi morte Chriſti expiari: eramus nos mortui, qui non poteramus aliter quàm vitâ filii Dei vivificari. Hæc nos excitent ad deteſtationem, & cautelam peccati. Liberatorem noſtrum videtis, Deum in Chriſto, vel cum Chriſto; Modum jam hujus liberationis à miſerrimo ſtatu mortis & peccati inſpiciamus.

Condonans vobis omnia peccata] Quod dictum fuit verbis præcedentibus, Deum unà cum Chriſto Coloſſenſes vivificâſſe, jam explicat quo modo factum ſit; gratuitâ ſcilicet peccatorum omnium condonatione. Sed & illud etiam addendum, cum hac condonatione peccatorum quæ animam vivificat, intelligi ſimul oportere connexam ſemper eſſe infuſionem gratiæ ſanctificantis, quæ etiam alio ſenſu vivificat, ut patet ex verſu ſuperiore. Cùm enim peccatum remittitur, non reatus ſolus tollitur, ſed voluntas deordinata per peccatum, & occiſa, per gratiam vivificatur, & reordinatur: infuſio itaque gratiæ ſemper conjuncta eſt cum hac condonatione culpæ.

In hac peccatorum condonatione duo notanda; quòd Gratuita ſit, quòd Vniverſalis.

Gratuitam eſſe declarat verbum illud χαρισάμενος deductum ab ipſa gratia; gratuitam autem intelligimus ex parte noſtra; nos enim abſolvimur nullo pretio à nobiſmetipſis numerato: ſed ex parte Chriſti ſumus redempti pretio, nempe pretioſiſſimo illius ſanguine. Hoc ipſi Scholaſtici agnoverunt: *peccatum remitti non eſt aliud quàm ipſum non imputari ad pœnam.* Durand. lib. 4. diſt. 1. quæſt. 7. Hoc Apoſtolus docuit ad Roman. 3. 24. cùm dicit nos juſtificari gratis per gratiam Dei, per redemptionem quæ eſt in Chriſto: dein Capite 4. verſ. 7. & 8. oſtendit hanc gratiam in eo ſitam, quòd Deus velit remittere, nolit imputare nobis peccata. Et ſanè ſi ipſam rem ſeriò expendamus, aut gratuita remiſſio peccatorum ponenda eſt, aut nulla. Ad nos enim quod attinet, non ſumus ſolvendo, cùm debitum infinitum ſit, nos, noſtráque omnia finita. Agendo ſatisfacere non poſſumus, quia benefacta noſtra Dei dona ſunt, Deo debita ſunt, pauca & imperfecta ſunt: nec patiendo poſſumus peccata delere, quia pœna nulla hominis nocentis eſt peccati deletiva; in æternum igitur manebit puniendus, qui in æternum manebit peccator, non obſtante pœnâ. Reſtat itaque ad nos liberandos ſolus modus gratuitæ remiſſionis; juxta parabolam Chriſti Lucæ 7. 41. *Duo debitores erant, unus debebat denarios quingentos, alter quinquaginta.* Quomodo libe-

rati? Mox ſequitur, Μὴ ἐχόντων δὲ αὐτῶν ἀποδοῦναι ἀμφοτέροις ἐχαρίσατο.

Omnia peccata] Non modò gratuita eſt remiſſio, ſed univerſalis. Neque enim convenit divinæ magnificentiæ, & bonitati, ut partem aliquam debitorum noſtrorum gratis remittat, partem aliam exigat à nobis;

1. Quia nemini ne unum quidem peccatum remittit, niſi ejus nomine Chriſti ſanguinem quaſi ἀντίλυτρον acceptaverit: at hoc acceptato, iniquus eſſet ſi non omnia remitteret, quia omnibus præponderat.

2. Quia Remittere eſt actus paterni amoris, qui ſtare non poteſt cum inimicitiis hoſtilibus; manent autem inimicitiæ, dum peccata quæ libent manent irremiſſa: qui itaque partialem & dimidiatam remiſſionem admittunt, ponunt Deum ſimul patrem & hoſtem, reconciliatum & infeſtum.

3. Quia niſi ponamus integram & plenam peccatorum remiſſionem, fruſtra eſſet remiſſio, nec finem ſuum primarium conſequeretur; natura autem nihil facit fruſtra, multò minùs Author naturæ. Hoc autem patet, quia remiſſionis finis eſt conſecutio vitæ æternæ; ſed partialis remiſſio ſpem facere non poteſt vitæ æternæ, quia vel unius peccati ſtipendium mors eſt.

Si Scripturas adeamus, remiſſionem peccatorum aut integram & univerſalem, aut nullam dari & promitti inveniemus. Ierem. 33.8. *Emundabo illos ab omni iniquitate: & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum.* Mich. 7.19. *Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* 1. Ioan. 1.9. *Remittit nobis peccata, & emundat nos ab omni iniquitate.* Videtis itaque remiſſionem peccatorum Gratuitam eſſe & Vniverſalem.

Corollaria.

Coroll. 1. Remittere peccata eſt ſolius Dei proprium; quis enim alienum debitum gratis condonare poteſt, nondum perſpectâ Creditoris voluntate? *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me*, Eſa 43.25. Remiſſiones igitur peccatorum quæ fieri dicuntur ab hominibus, ſunt aut injuriarum aut ſatisfactionum aut aliarum rerum quæ in poteſtate hominum poſitæ ſunt relaxationes, aut Evangelicæ prædicationes remiſſionis peccatorum ex præſuppoſitione fidei & verę pœnitentiæ: condonationes verò æternarum pœnarum non ſunt in poteſtate humana. Poſſunt Sacerdotes Pontificii aquam benedictam aſpergere peccatoribus, ſed, ut doctè Pariſienſis de Vniverſo 2. 2. cap. 148. *aquam divinæ gratiæ non habent in ſua poteſtate, per quam ſolam fit ablutio peccatorum.* Poſſunt etiam Miniſtri Evangelici clavibus ſuis uti ad ſolvendos homines à peccatis: ſed quomodo? Audite Durandum ex Lombardo lib. 4. diſt. 18. *Deus per ſe dimittit peccatum, mundando animam à macula culpæ, & relaxando debitum pœnæ; Sacerdotes ſolvunt, dimiſſionem factam vel non factam oſtendendo:*

dendo: tum igitur vim habet Sacerdotalis abſolutio, cùm ſit *clave non errante*, ut rectè Scholaſtici.

Errant Pontificii qui pœnas peccato debitas ſecundum juſtitiam divinam aut explari volunt propriis uniuſcujuſque ſatisfactionibus, aut relaxari Papalibus indulgentiis; repugnant enim hęc figmenta gratuitæ remiſſioni. Si enim Remittere, ſit non imputare ad pœnam; gratuita remiſſio nobis non datur, ubi à nobis juſta pœna ſive ſatisfactio exigitur. Repugnant etiam dignitati ſatisfactionis per Chriſtum exhibitæ hæc additamenta humanarum ſatisfactionum: Chriſtus enim ſine culpa pœnam ſubeundo, nos & à culpa & à pœna liberavit. *Coroll.* 2.

Vt ex Dei parte datur ſemper univerſalis remiſſio peccatorum, ſic debet etiam in nobis eſſe univerſalis deteſtatio peccatorũ; atq; illud proculdubiò veriſſimum eſt, in omni homine verè reconciliato ſemper reperiri odium omnium ſuorum peccatorum, propoſitum etiam & ſtudium deinceps abſtinendi ab omnibus. Nam qui remiſſionem omnium accepit, infuſionem gratię ſimul accepit, quæ illum armat & munit contra omnia. Fruſtra igitur blanditur ſibi de peccatis remiſſis, qui amorem peccati cujuſcunque, & propoſitum in eodem permanendi, quaſi in ſinu cordis ſui fovet. *Coroll.* 3.

Habent hîc perturbatæ conſcientiæ quo ſe ſuſtentent; non enim dixit Apoſtolus, *vivificavit vos*, eradicatis omnibus peccatis, ſed *condonatis*. Quamvis itaq; ſentiamus in nobis peccatum latitans, & Spiritui repugnans; tamen ſi non ſit placens & regnans, non excludit hanc ſpiritualem vivificationem. Remiſſio enim peccatorum univerſalis, tollit reatum univerſorum peccatorum noſtrorum; infuſio etiam gratiæ huic conjuncta, tollit dominium univerſorum: ſed nec remiſſio nec gratia, dum geſtamus hoc corpus mortale, tollit naturam aut motum inhęrentis peccati. *Coroll.* 4.

Vers. XIIII.

Delens quod adverſus nos erat chirographum in ritibus, quod erat contrarium nobis, & illud ſuſtulit è medio, affigens illud Cruci.

Illuſtrat beneficium remiſſionis peccatorum, de quo ſuprà diſſeruimus, & eâdem operâ docet Chriſtianos non eſſe nunc poſt remiſſa omnia debita revocandos ſub obligatione Legis, præſertim Cæremonialis. Ratio autem petitur à remotione Rei, ad remotionem Signi: nam ritus Legales erant quaſi tot chirographa ad ſignificandum reatum humani generis, vel appendices chirographi; reatu itaque per Chriſti mortem ſublato, æquum eſt hoc chirographum etiam aboleri.

Sed quò ſententiam Apoſtoli meliùs teneamus, tria nobis proponemus explicanda, quibus expoſitis, & verborum ſenſum, & ſubjectam illis materiam perſpiciemus.

1. Quid intelligat Apoſtolus per chirographum in ritibus, vel decretis.

2. Quomodo hoc chirographum fuerit nobis contrarium, & inimicum.

3. Quomodo jam evacuatum ſit. Quam evacuationem tribus vocabulis amplificat, Deletum eſt, Sublatum eſt è medio, Affixum eſt cruci.

1 Quod ad primum; de chirographo rituum, vel in ritibus quaſi confirmato & ſigillato, variæ ſunt Interpretum ſententiæ; quę tamen omnes in hoc conſpirant, ut ſub hoc vocabulo aliquid deſignatum putent, quod nos reos coram Deo poſſit arguere in virtute teſtimonii. Rectè hoc quidem; nam hic uſus eſt chirographi vel ſyngraphę, ut indè creditor poſſit arguere & convincere debitorem, ſi tergiverſari, aut inficiari debitum conetur: ipſa itaque Metaphoræ ratio cogit nos aliquid tale exquirere.

E Patribus nonnulli dicunt chirographum hoc nihil aliud fuiſſe quàm illud pactum Dei cum Adamo, *Ex fructu arboris ſcientiæ boni & mali ne comedas; nam quo die comederis ex eo morte morieris*; Gen. 2. 17. hoc enim violato & ipſe Adamus, & poſteri ejus, rei mortis quaſi ex ſyngrapha tenebantur. Alii referunt ad illam ſtipulationem populi Iudaici promittentis quòd omnia facerent quæ Deus per Moſen juberet; ſic enim ſcribitur, Exod. 19. 8. cùm Moſes propoſuiſſet eis omnia mandata Iehovæ, totus populus unà dixerunt, *Quicquid dixerit Iehova faciemus.* Hac itaque promiſſione quaſi chirographo obligabant ſe ad perfectam Legis obedientiam, quam tamen non præſtiterunt; & proinde ex proprio hoc chirographo damnari jure potuerunt. Quidam per chirographum memoriam peccatorum noſtrorum in divina mente & propriâ uniuſcujuſque conſcientiâ quaſi deſcriptam intelligunt; quò alluſit Propheta dicendo, *Delebo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor*; Eſa. 43. 25. Cùm igitur deletæ non ſunt, quaſi ex chirographo argui poſſumus, vel teſtimonio ſcientiæ divinæ, vel conſcientię noſtrę. Melanchthon chirographum interpretatur, illam ſententiam condemnationis quam ex decretis Legis divinæ conſcientia contra ſe colligit. Verbi causâ; Lex divina decrevit, *Diliges Deum ex toto corde: Non concupiſces, &c. Si in his non permanſeris maledictus eris.* Hæc ſunt Legis decreta. Iam conſcientia dictat, Ego non dilexi Deum toto corde, ego concupivi; maledictus ergò ſum. Hanc concluſionem ortam ex decreto Legis chirographum appellat; hoc deletum dicit, cùm Lex amittit vim condemnandi: amittit verò condonatis noſtris peccatis propter

mor-

mortem Chriſti, ut poſteà oſtendetur. Alii ex recentioribus cæremoniales ritus intelligunt, quos chirographa appellari volunt; quia erant teſtimonia reatus humani: nam circunciſio teſtabatur nativam pollutionem, ablutiones ſordes peccatorum fatebantur, victimæ capitalem offerentis reatum indicabant. Et verè quidem hoc dicitur; nam cæremoniæ, quatenus conſiderantur non ut Evangelicæ gratiæ Sacramenta, ſed ut Legis appendices, nihil aliud erant quàm miſeriæ humanæ publica profeſſio, ut rectè Beza. Hanc ſententiam videntur confirmare illa vocabula, τοῖς δόγμασι· nam per dogmata ritus Iudaicos deſignare ſolet Apoſtolus, ut ad Epheſ. 2. 15. Ipſa etiam intentio Apoſtoli hoc in loco; quia hîc diſputat contra illos qui Iudaiſmum revocare conabantur, ut patet ex illatione, verſ. 16. & 20. Dicitur itaque (ſecundum horum ſententiam) chirographum deletum, id eſt, ritus cæremoniales jam abrogatos eſſe; quia ipſo debito perſoluto per Chriſtum, non æquum eſt haſce ſyngraphas extare, quæ teſtificentur nos adhuc eſſe debitores, & reatum peccatorum noſtrorum nondum expiatum.

Vltimæ hæ duæ ſententiæ proximè accedunt ad mentem Apoſtolicam; ſed & hæ, & ſuperiores etiam omnes in eo deficere mihi videntur, quòd nimis reſtringunt hoc chirographum, aliæ ad ſolam Moralem, aliæ ad ſolam Cæremonialem, cùm Apoſtolus utramque voluerit comprehendere. Nam beneficium chirographi deleti ad omnes ſpectat tam Gentiles quàm Iudæos; ergò hujuſmodi chirographum ponere oportet, quo ex aliqua parte tenentur omnes: Cæremoniali autem Lege Gentes nunquam tenebantur.

Chirographum igitur in ritibus expono vim Legis Moralis obligantem ad perfectam obedientiam, & damnantem ob defectum ejuſdem, ritibus cæremonialibus, quaſi laciniis & appendicibus quibuſdam oneratam. Duo igitur dicit Apoſtolus: ipſam Legem, quod attinet ad illam vim obligandi & damnandi, eſſe abrogatam; & ritus ſive cæremonias, in quibus ſita erat quaſi publica confeſſio & confirmatio hujus obligationis & meritæ damnationis eſſe ſimul abolitas. Et hoc optimè convenit inſtituto Apoſtolico: nam hîc pugnat contra illos qui ritus Moſaicos, & præcipuè circunciſionem urgebant; concludit autem, ipſo chirographo evacuato, ritus, in quibus etiam ſita erat confeſſio debiti, eſſe ſimul evacuandos. Atque hæc de chirographo in ritibus.

Secundò illud explicandum eſt, Quomodo hoc chirographum in ritibus dicatur adverſus nos eſſe, & paulò pòſt, contrarium eſſe nobis: & quoniam chirographum in ritibus de utrâq; Lege interpretati ſumus, Morali & Cæremoniali, ſunt hęc etiam ad utramque accommodanda.

Quod igitur attinet ad Legem Moralem, eſt illa quidem in ſe ſancta, juſta, & bona; nobis tamen per accidens fit inimica & mortifera, interventu ſcilicet peccati & corruptionis noſtræ; ut Apoſtolus ad Rom.7.13.

1. Quia Lex proponit decreta humano ingenio planè contraria. *Illa* enim *ſpiritualis, nos carnales, venundati ſub peccato*; Rom.7.14.

2. Quia nos arguit, & convincit, & reos agit peccati: nam in judicium vocare & reum peragere eſt Adverſarii munus; ſed hoc facit Lex in foro conſcientię uniuſcujuſque. *Nam per Legem agnitio peccati*; Rom.3.20.

3. Quia poſtquam reos peccati nos peregit, ſententiam damnationis & maledictionis in nos fulminat. Legis enim hæc ſententia eſt, *Execrabilis quiſquis non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis ut faciat ea*; Galat.3.10. Hiſce itaque omnibus nominibus, Lex Dei conſiderata in rigore ſuo, & quatenus habet vim obligantem ad perfectam obedientiam, & damnantem, humano generi inimica eſt, & inſtar ſyngraphæ teſtificantis infinita noſtra debita, & Creditori poteſtatem facientis nos damnandi, & in carcerem conjiciendi quandocunque illi viſum fuerit.

Iam quod attinet ad ritus, ſive Legem Cęremonialem, quę erant annexa huic chirographo; erant illa Legalia quoque hominibus contraria.

1. Quia erant infinita penè quoad numerum, atque oneroſa quoad obſervantiam. Vnde illud Tertulliani adverſus Marcionem 2. *Iſtis Legalibus diſciplinis Deus oneravit Iudæos, ut duritiem eorum edomaret, & operoſis officiis dedolaret.* Et hanc ob cauſam ad Galatas 5. verſu 1. monemur perſtare in hac libertate noſtra, & non denuò implicari hoc jugo ſervitutis.

2. Erant etiam contraria hominibus ſuâ ſignificatione & teſtificatione: nam quamvis videbantur promittere deletionem peccatorum, tamen in illis confeſſio inerat potiùs quàm expiatio eorundem; præſertim ſi quis eas cogitet non ut Evangelicæ gratiæ σφραγῖδας, ſed ut ipſius Legis appendices, & Legalis juſtitiæ particulas. Hoc autem ſenſu urgentur à Pſeudoapoſtolis quibuſcum Paulus dimicat, ut manifeſtè patet ex eo, quòd nolebant illas abrogari ipſius Chriſti adventu, & plenitudine gratiæ Evangelicæ.

Videtis itaque quo ſenſu erant contraria nobis iſta cæremonialia; quia ſcilicet, & onerabant, & inſuper chirographum Legis à nobis violatum ſignificabant & agnoſcebant. Haſce ob cauſas ſummæ erat ſtultitiæ iſtas cæremonias Chriſtianis imponere, & poſt debitum à Chriſto ſolutum, & reatum expiatum, illos ad publicam ejuſdem confeſſionem cogere.

Reſtat

3

Reſtat illud ultimum, quomodo evacuatum ſit hoc chirographum in ritibus; quod exprimitur hiſce tribus loquendi formulis, deletum eſt, ſublatum eſt è medio, affixum eſt cruci. Quibus omnibus verbis hoc unum oſtenditur, virtute paſſionis Chriſti in cruce morientis, Legis Moralis vim damnatoriam fuiſſe ſublatam, Legis Cæremonialis ritus omnes fuiſſe ſimul abrogatos. Legis enim chirographum obligabat nos ad obedientiam, & ad pœnam non præſtitæ obedientiæ: Chriſtus igitur fidejuſſor noſter præſtando exactam obedientiam quam Lex flagitabat, & ſubeundo pœnam quam à violatoribus Legis exigebat, illud fecit ad quod nos hoc chirographo tenebamur, & ſic delevit ipſum chirographum. Nam *fuſo ſanguine ſine culpa, omnium culparum chirographa deleta ſunt*, ut loquitur Auguſtinus. *Chriſtus factus Legi obnoxius, ut eos qui erant Legi obnoxii redimeret*; Gal. 4. 5.

Sed illud obſervandum, chirographum hoc dici poſſe deletum duobus modis.

Primò, quoad Deum Vniverſaliter & Sufficienter; quia Chriſti ſanguine ſic Deo ſatisfactum eſt, ut non poſſit à debitoribus quibuſcunque, cùm ad hunc Liberatorem fide confugiunt, exigere illud Legis chirographum; ſed ſecundum ordinem juſtitiæ ſuæ, neceſſe habeat eos abſolvere.

Secundò, Particulariter & Efficaciter, quando actu deletur è conſcientia fidelium ſingulorum qui fide apprehendunt Chriſtum; juxta illud Apoſtoli, *Juſtificati fide pacem habemus apud Deum.* Pacem ſanè habere non poteſt qui ſe ære alieno obrutum, & chirographo inſuper implicatum videt: ſed ſimul ac quis per fidem Chriſtum apprehendit, illicò deletur hoc chirographum, & pace beatâ fruitur ejus conſcientia. Atq; optimè conſuluit Paulus trepidis conſcientiis pulchrâ quadam gradatione. Non contentus enim eo quòd dixerat ſuperiore verſu omnia peccata noſtra eſſe condonata, ſubnectit ipſum chirographum eſſe deletum: ſed fortaſſe non ità deletum quin poſſit lis nova ſuboriri, addit igitur è medio inſuper eſſe ſublatum: ſed fortaſſe ſervatur alicubi abſconditum & proferetur in poſterum; imò (inquit) eſt cruci affixum, id eſt, dilaceratum & in fruſta diſciſſum iiſdem clavis quibus Chriſtus affixus & dilaceratus fuit in cruce. Iam verò expiato reatu peccatorum noſtrorum, & ceſſante Legis Moralis vi damnatoriâ, deleri ſimul cæremonias eſt neceſſe, quæ reatum humanum prædicabant, & hanc expiationem futuram adumbrabant, & ſic deletum eſt chirographum in ritibus. Plura non addo de hac abrogatione rituum, quia hanc eandem materiam tractavimus ad verſum 8. Ex his quæ dicta ſunt de ipſo Chirographo, & Contrarietate ejus ad nos, & de Abrogatione ejuſdem, reſtat ut documenta eliciamus.

Documenta.

Docum. ab ipſo Chirographo.

1. Cùm omnes mortales ex chirographo Legis ſint mortis rei; hinc colligimus, quàm horrenda ſit Atheorum & impurorum conditio, qui conculcant illum ſanguinem filii Dei, quo ſolo lethiferum hoc chirographum potuit deleri. Incident igitur in manus Dei viventis, qui ad extremum uſque quadrantem debitum omne ab illis exiget.

2. Videmus hîc inſanam ſuperbiam Phariſæorum & Papiſtarum, qui putant ſe poſſe Deo ex hoc Legis chirographo agenti ſatisfacere; imò plus quàm illi debetur ex chirographo in numeratis operibus Supererogationis (ut vocant) dependere. Quid igitur opus chirographi deletione in cruce Chriſti?

Docum. à Contrarietate ejuſdem.

1. Cùm hoc chirographum contrarium & adverſum nobis dicatur, colligimus indè, depravatam & corruptam eſſe naturam noſtram; nam ex conditione primæ inſtitutionis, Lex Dei non erat nobis adverſa, ſed amica & ſalutaris. Fateamur igitur non vitio Legis aut Legiſlatoris, ſed noſtro factum eſſe, quòd hoc chirographum ſit nobis mortiferum.

2. Quod attinet ad cæremonias & ritus; cùm Apoſtolus ſtatuat illos contrarios eſſe nobis, taxantur iſti qui Iudaiſmum revocant, & Eccleſiam onerant inutilibus & ineptis cæremoniis, ac fraudant Chriſtianos libertate per crucem Chriſti acquiſitâ.

Docum. ab Evacuatione ejuſdem.

1. Cùm hoc chirographum Legis abrogatum & deletum ſit quoad vim damnatoriam, colligimus illud adhuc habere vim directoriam. Non igitur hinc peccandi licentiam ſumere oportet, ſed alacritatem ſerviendi Deo. Liberati enim ſumus à debitis, & ab omnibus inimicis noſtris morte Chriſti, non ut laſciviamus in peccato, ſed *ut ſine metu ſerviamus Deo, in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus noſtris*; Luc.1.74.75.

2. Cùm in deletione hujus chirographi ſitum ſit perturbatæ conſcientię ſolatium, laborandum eſt, ut certâ fide teneamus, non modò Chriſtum promeruiſſe deletionem hujus chirographi, ſed & illud inſuper actu deletum eſſe quoad noſmetipſos. Cùm de debito nummorum agitur, nemo ſibi ſatis proſpectum putat donec oculis ſuis videat, aut ſaltem pro certo ſciat, chirographum ſuum deletum; in hoc igitur debito peccatorum non erimus pacati, niſi oculis fidei videamns chirographum peccatorum noſtrorum Chriſti ſanguine deletum.

VERS. XV.

Et expolians principatus & poteſtates, traduxit palam, triumphum agens de illis in ea, vel *in ſeipſo*] id eſt, ſuâ unius vi.

PErgit Apoſtolus in amplificando illo ſuperiore beneficio, atq; oſtendit non modò peccata noſtra omnia eſſe condonata, & chirographum Chriſti ſanguine deletum; ſed omnes inſuper hoſtes noſtros ſpirituales qui nobis aliquam moleſtiam faceſſere potuiſſent eſſe conculcatos, triumphatos, & omnibus ſuis armis, præſidiis, atq; opibus ſpoliatos per Chriſtum in cruce morientem. Vt autem præclaram hanc Chriſti victoriam mentis noſtræ oculis viſendam præbeat, utitur illuſtribus Metaphoris deſumptis à conſuetudine triumphantium Imperatorum. Nam illud verbum ἀπεκδυσάμενος, alludit ad illam conſuetudinem quâ victores ſolebant victos armis ſpoliare, eadémq; pro trophæo illic figere, ubi in fugam hoſtes verſi fuerunt. Quod autem addit, ἐδειγμάτισε θριαμβεύσας, ſpectat illam triumphantium pompam, in qua ſolebant ignominiæ cauſâ duces captivos inter ſe junctos agere ante currum ſuum triumphalem, toto populo inſpectante & acclamante. Cicero in Piſonem hunc morem triumphantium hiſce verbis depingit; *Quid tandem habet iſte currus? quid vincti ante currum duces? quid ſimulachra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis, & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? &c.*

Iam verò illa ultima verba, ἐν αὐτῷ, vel ut alia exemplaria habent ἐν αὐτῷ, declarant Chriſtum viciſſe & triumphâſſe, non virtute & ſudore aliorum, ut mundani Imperatores ſolent; ſed ſolâ ſuâ paſſione, vel ſuâ ſolius virtute.

Accedamus jam ad ipſorum verborum tractationem magis explicatam: in quibus hæc duo mihi videntur conſideranda.

1. Quinam fuerunt hi hoſtes, quos expoliatos, traductos, & triumphatos dicit Apoſtolus; *Imperia & poteſtates.*

2. Qualis fuerit hæc expoliatio, traductio, & triumphus: cùm enim hæ voces ſint figuratæ, ad proprium & perſpicuum aliquem ſenſum ſunt reducendæ.

Imperia & poteſtates] Hiſce duobus nominibus hoſtes à Chriſto victos deſignat, nempe malos dæmonas humanæ ſalutis inimicos: vocantur autem ἀρχαὶ & ἐξουσίαι, quia in homines maximam poteſtatem & imperium uſurpârunt; ut eſt 6.Eph. 12. ubi *mundi rectores* dicuntur. Et 2.ad Timot.2. Diabolus dicitur illaqueatos & captivos tenere homines ad voluntatem ipſius. Vnde comparatur forti armato qui, expugnatâ domo aliquâ, vi tenet quicquid inibi reperit; Luc.11. Principatus igitur & poteſtates

nun-

nuncupantur hoc loco hanc præcipuè ob cauſam, quòd humanum genus ſub tyrannico ſuo imperio afflictum & vexatum tenuerunt. Sed quia Imperatores & Duces nunquam ſoli vincuntur, illis devictis intelligimus illorum exercitum ſimul fuſum ac fugatum fuiſſe: ut cùm dicimus Annibalem à Scipione, Pompeium à Cæſare fuiſſe ſuperatum, non illos ſolos, ſed cum illis Pœnos & Pompeianos omnes devictos volumus. Principibus igitur & Imperatoribus hiſce ſpiritualibus proſtratis, proſternitur ſimul quicquid illis militabat contra humanam ſalutem, vetus Adamus, mors, inferi, mundus, peccata noſtra; nobis enim hoſtes, Diabolo confœderati milites erant hæc omnia. Non Diabolum igitur ſolum à Chriſto debellatum Scripturæ declarant, ſed & cætera etiam omnia quæ regnum illius ſuffulcire, & ſervitutem noſtram ſub illo procurare ſolebant.

De ipſo Principe debellato & hîc, & ad Hebræos 2. 14. ut alia loca mittam; *Per mortem* Chriſtus deſtruxit *eum qui habebat mortis imperium, nempe Diabolum.* De exercitu Diaboli cæſo & proſtrato prophetavit Hoſeas, cap. 13. ver. 14. *Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.* Et illud à Chriſto impletum triumphat Paulus 1. Cor. 15. 55. 56. 57. *Vbi tua ô mors victoria? ubi tuus ô ſepulchrum ſtimulus? Stimulus mortis peccatum, vis peccati lex. Sed Deo gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Mortem, ſepulchrum, Legem, peccatum fuiſſe videtis in numero hoſtium à Chriſto ſuperatorum. Vt itaque verbo expediam; cum capitali hoc hoſte noſtro Diabolo victum & ſuperatum eſt quicquid hominem captivum tenebat, aut humanam ſalutem impediebat. Et ſic breviter oſtenſum eſt quinam fuerunt hi hoſtes ſpoliati à Chriſto, traducti, & triumphati; Diabolus ſcilicet cum omni ſatellitio.

2 Iam qualis fuerit hæc expoliatio principatuum & poteſtatum, qualis traductio & triumphus inveſtigemus. Tres hac de re reperio ſententias. Prima Lirani, Aquinatis, & multorum Pontificiorum: qui ſic exponunt hunc locum; *Expolians principatus*, id eſt, infernales poteſtates vel Dæmonas, educendo de limbo Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum, reliquóſque Patres veteris Teſtamenti. *Traduxit*, ſcilicet eoſdem Patres in cœlum. *Triumphans illos in ſemetipſo*, id eſt, faciens eoſdem Patres participes ſui triumphi. Sed omnia hîc contorta, nihil vel menti Paulinæ, vel veritati conſentaneum; hanc itaque ſententiam ut apertè falſam rejicimus. Non convenit cum contextu hæc interpretatio; quia Apoſtolus eoſdem dicit traductos & triumphatos, quos expoliatos: ſi igitur Dæmonas ponunt expoliatos, ponere etiam debuerunt eoſdem traductos & triumphatos. Huc adde quòd ἐθριγμάτευσε, non glorioſam traductionem in cœlum, ſed ignominioſam traductionem denotat, qualis eſt captivorum in pompa triumpha-

li,

li, ut antea oſtenſum eſt. Sed nec cum ipſa rerum veritate convenit hæc expoſitio, quia limbus ille in margine & orâ inferni poſitus, in quo Patres tanquam in carcere cæco detenti putantur uſque ad mortem Chriſti, eſt merum figmentum. Vtcunque enim Scholaſtici in 3.ſentent. diſtinct. 22. obſtinatè defendant Patres priſcos fuiſſe è cœlo excluſos, & detruſos in limbum; ac Bellarminus de Chriſti anim.cap.16.dicat Chriſtum ſuo deſcenſu ad inferos contuliſſe Patribus *eductionem ex eo carcere*, & *deductionem in cœlum*; nos tamen freti ipsâ veritate, negamus hunc limbum fictitium, negamus Diabolum hoc ſenſu ſpoliatum, quòd Patriarchæ tandem fuerunt ex illius dominio per Chriſtum traducti in cœlum poſt paſſionem ejuſdem.

Quamvis ſinum Abrahæ (quem eundem limbum appellant) non temerè affirmaverim fuiſſe ipſiſſimam beatorum ſedem, ad quam animæ piorum evolant, poſtquam Chriſtus ſuo ſanguine novam viam dedicavit; tamen fuiſſe non inferni partem, ſed cœleſtem locum, & beatitudinis plenum colligitur è 16. Lucæ. 1. Quia Angeli boni dicuntur animam Lazari in hunc locum portaſſe; at veriſimilius eſt animam piam ab Angelis in aliquam cœli partem ſubvectam, quàm in oram inferni detruſam. 2. Quia dives tortus in inferno dicitur *ſublatis oculis ſuis vidiſſe Abrahamum procul, & Lazarum in ſinu ejus*, fuit itaque locus in ſublimi, non in inferno poſitus. 3. Quia is locus fuit ſolatii pleniſſimus: ſic enim Abrahamus divitem alloquitur, *Memento te bona tua recepiſſe in vita tua, & Lazarum ſimiliter mala, nunc autem hic ſolatio fruitur, tu cruciaris*, at limbus ponitur à Pontificiis locus tenebricoſus à beatitudine eſſentiali remotiſſimus. Denique quia *ingens hiatus* conſtitutus eſt inter hunc locum & infernum: ſed inter infernum & limbum inferni, id eſt, oram, & quaſi extremam particulam inferni, ingens hiatus non diceretur conſtitutus.

*Heb.*10.20.

Verſ. 22.

Verſ. 23.

Verſ. 25.

Verſ. 26.

Paſſio Chriſti habuit ſalutis fructum æternum quoad omnes credentes: ergò Patriarchæ qui credebant in Chriſtum paſſurum, virtute & merito mortis illius ab inferno & Diabolo ſalvabantur, quemadmodum & nos qui jam credimus in Chriſtum paſſum. Expectabant igitur poſt hanc vitam non limbum, ſed *civitatem illam habentem fundamenta*, ad Hebr.11.10. patriam *cœleſtem*; verſ. 16. illis jam tum *paratam*: ibid.

Etſi ipſe Chriſtus mortuus eſt in plenitudine temporis, tamen ſatisfecit priùs Patri ſuo ſe moriturum pro liberatione humani generis; hac itaque ſatisfactione à Deo Patre acceptatâ, nihil impediebat quin liberati à debitis in poſſeſſionem ſalutis Patriarchæ mitterentur, antequam ipſum pretium actu fuerat ſolutum. Si enim apud homines ſatisfactione juſtâ rei atque debitores ſolent liberari, cur non putemus Deum miſericordiæ patrem idem feciſſe? Non itaque ulla ratio cogit ut in limbi carcere detentos

ſtatu-

ſtatuamus Patriarchas, & longo pòſt tempore Chriſti adventu ereptos & liberatos.

Porrò, quamvis Patres incertè loquuntur hac de re, non tamen deſunt teſtimonia illorum quibus hic limbus Papiſticus convellatur.

Tertullianus adverſ. Marcion. 4. *Aliud Inferi, aliud Abrahæ ſinus:* & paulò pòſt, *Eſt temporale animarum fidelium receptaculum, ubi illis præbetur refrigerium uſque ad reſurrectionem*; Diſſentit hic Pater à Papiſtis in duobus. 1. Quòd etſi Abrahæ ſinum non putet locum cœleſtem, tamen putet inferis eſſe ſublimiorem. 2. Quòd animas piorum ibi ſervari putet uſque ad reſurrectionem; cùm Papiſtæ ſuum limbum jampridem expoliatum fateantur. Auguſtinus in lib. quæſt. ſuper Geneſ. quæſt. 268. exponens illa verba de Iacobo ſcripta, Gen. 49. 33. *Obiit, & appoſitus eſt ad populum ſuum*, refert ea ad populum beatorum Angelorum, illius ſcilicet civitatis quæ à Paulo *Mons Sion, Civitas Dei, & cœleſtis Hieruſalem* appellatur, ad Hebr. 12. Eandem ſententiam ſequitur Auguſt. in lib. 2. contr. Pelag. & Cæleſt. cap. 30. Hic itaque Patres ſtatim à morte inter Angelos locavit, quamvis alibi aliter hac de re ſtatuat; ut de Civit. Dei. 20. lib. 15. Sed mittamus hoſce limbi architectos, qui Chriſtum volunt eo ſenſu expoliâſſe dæmonas, quòd limbum evacuaverit, & indè Patriarchas eripuerit.

Secunda ſententia Hieronymi Zanchii eſt, qui hæc verba exponi poſſe cenſet de reali & viſibili expoliatione, tradu&ione, & triumpho a&o de dæmonibus, inſpectante Deo, Angelis, & beatis Spiritibus. Quamvis enim in cruce Chriſtus meruerit triumphum; tamen putat illum fuiſſe peractum cùm anima ſua in infernale regnum victor penetravit, atq; indè eduxit dæmonas, ac traduxit eoſdem per totum hunc aerem, ſpectantibus Angelis omnibus, ac piorum defunctorum animis: atque hunc triumphum poſtmodùm continuatum putat à reſurrectione uſque ad aſcenſionem Chriſti. Hanc ſententiam nec firmare, nec impugnare animus eſt; eam itaque tanquam incertam, quæque manifeſtis Scripturarum teſtimoniis corroborari non poſſit omitto.

Tertia ſententia, quęque mihi prę cęteris placet eſt Origenis, Oecumenii, atque omnium ferè noſtrorum, qui totum hunc locum interpretantur de ſpirituali expoliatione, tradu&ione, & triumpho in cruce palam peracto.

Expoliavit igitur dæmonas, traduxit, & triumphavit etiam tum cùm ipſe pendens in cruce ab iiſdem devictus & triumphatus carnalibus oculis videbatur. Vt enim regnum Chriſti non de mundo neque ſenſibile eſt; ſic victoria & triumphus Chriſti de hoſtibus noſtris non oculo ſpectandus, ſed mente & fide aſpiciendus proponitur.

Iam verò fides facilè concipit diabolum fuiſſe Chriſti morte expoliatum, quia humanum genus eſt illi è faucibus ereptum, & dominium illius fractum & comminutum: nam vinctos nos tenebat τοῖς σαρκὸς τοῦ ἁμαρτίων ἁμαρτιῶν. Diſruptis itaque hiſce vinculis, ille prædâ ſuâ ſpoliatus, nos liberati ſumus. Hinc Auguſtinus de Trin. lib.4. *Vnde accepit diabolus exteriùs poteſtatem dominicæ carnis occidendæ, indè interior quæ nos tenebat poteſtas ejus occiſa eſt.* Sic etiam traductum eundem dicimus, id eſt, ſummo pudore & ignominiâ affectum, quemadmodum traducti ſolent: neque ſine cauſa traductus dicitur, id eſt, inſtar traductorum pudore confuſus; nam cùm ſperavit ſe ipſum Chriſtum jam planè devorâſſe, ipsâ morte Chriſti præter omnem expectationem ipſe devoratus eſt. Quemadmodum igitur cùm componuntur gladiatores, ſi is qui alterum proſtraverit, & vulneribus penè confecerit, ab eodem vulnerato & jam moribundo lethalem plagam accipiat & dejiciatur, ſummo dedecore afficitur: ſic diabolum ſummâ ignominiâ Chriſtus affecit, quòd crucifixus & mortuus eundem nihilominùs vicerit & ſubjugaverit. Hoc autem dicitur feciſſe ἐν παῤῥησίᾳ, id eſt, ut aliqui vertunt, *palàm*; quia Chriſtus palàm in cruce moriebatur, atque ſic quaſi in conſpectu totius mundi vincebat diabolum: vel, ut alii vertunt, *confidenter*, quia intrepidè cum diabolo pugnabat, & morti ſe ſubjiciebat, pro certo ſciens ſe hoc pacto diaboli regnum everſurum. *Oecumen.*

Vt ad poſtrema verba tandem accedamus, dicitur etiam triumphâſſe de diabolis in cruce; quia, ut pulchrè Origenes, *Duo in cruce affixi intelliguntur: Chriſtus viſibiliter, ſponte ſuâ, ad tempus; Diabolus inviſibiliter, invitus, in perpetuum.* Fidei igitur oculus conſpicit Chriſtum in ſummitate crucis quaſi in curru triumphali ſedentem: diabolum in ima parte ejuſdem alligatum cruci, & Chriſti pedibus conculcatum. Vel (ſi legamus ἐν ἑαυτῷ *in ſeipſo*) exponere oportet *ſuâ ſolius virtute*, nullo auxilio militum, quemadmodum Imperatores vincere ſolent in præliis; juxta illud Prophetæ, *Calcavi torcular ſolus*; Eſa.63.3. Et ſic videtis quomodo Chriſtus morte ſuâ in cruce ſpoliavit diabolum, traduxit, & denique de illo glorioſiſſimè triumphavit, τοῦτον θριαμβεύσας ἐπιτιλίσας, ut aptè Oecumenius in hunc locum.

Quomodo dicuntur ſpoliati dæmones, exarmati, & detriumphati, cùm conſtet eos adhuc validiſſimè impugnare ipſos fideles, dicente Apoſtolo 6. ad Epheſ. eſſe nobis adhuc luctam adverſus principatus & poteſtates, ità ut armaturâ munitiſſimâ opus ſit? *Dub.*

Spoliantur & exarmantur omni poteſtate quâ Electos à ſalute excludere potuiſſent; ſed in exercitium eorum, & ut ipſi quoq; ad exemplum Ducis ſui poſſint de iiſdem triumphare, permittuntur tentare fideles & oppugnare, ſed nunquam expugnare. Qui enim ſub ſuis, is & *ſub noſtris pedibus conteret diabolum*; Rom.16.20. *Solut.*

Corollaria.

Coroll. 1. Cùm Chriſtus expoliaverit & traduxerit poteſtates nobis inimicas, habent hinc quo ſe ſolentur in certaminibus afflictæ conſcientiæ: nam etſi Diabolus, peccatum, cæteríque hoſtes noſtri, videntur nos premere; vincere tamen non poterunt, quia coercentur imperio Chriſti Ducis noſtri, ſub cujus pedibus protriti jacent & conculcati.

Coroll. 2. Animamur igitur ad pugnam ſpiritualem contra hoſce hoſtes, fuſos jampridem & fugatos, imò detriumphatos ab Imperatore noſtro; nam victis plus ſemper irarum quàm virium. Qui igitur deſperant ſe poſſe Diabolum omnéſque ejuſdem ſatellites vincere, Chriſti victoriam videntur denegare: nam is triumphans facit nos triumphare.

Coroll. 3. Cùm Chriſtus magnificam hanc victoriam reportaverit in cruce moriendo, contra ſcandalum crucis ſemper in animo noſtro verſari debet glorioſus hic effectus crucis. Objectum enim eſt olim ab Ethnicis, Chriſtianos omnium mortalium ſtultiſſimos; utpote qui ſalutem expectant ab eo qui fuerit cruci affixus, & ignominiosâ morte affectus ab inimicis ſuis. Sed nos qui fidei oculis videmus hac morte Chriſti conculcatum & expoliatum Diabolum, dicamus cum Apoſtolo, *A me abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti &c.* Gal. 6. 14.

Coroll. 4. Cùm Chriſtus, non ſolùm Diabolum, ſed omnes ejuſdem ſatellites, utpote mundum, peccatum, cæteróſque hoſtes noſtros in cruce devicerit; cavendum ne ſic vivamus, ut in nobis non fracti, ſed regnantes conſpiciantur. *Mundus mihi crucifixus, & ego mundo*, inquit Apoſtolus, Galat. 6. 14. Hoc nos verè dicamus, ſi delicias mundi & peccati aſpernemus; ſin minùs, illud in nos quadrabit, *Multi ambulant quos ſæpe dixi vobis, nunc autem flens dico, hoſtes eſſe crucis Chriſti; quorum finis interitus, quorum Deus venter, quorum gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt*; Phil. 3. 18. 19. Hujuſmodi Epicurei jure dicuntur *hoſtes crucis Chriſti*; videntur enim velle illis regnum ſuum reſtituere, quos Chriſtus in cruce ſpoliavit.

VERS. XVI. XVII.

Ne quis igitur vos judicet in cibo vel potu, aut parte diei feſti, aut novilunii, aut Sabbatorum,

Quæ ſunt umbra futurorum, at Corpus eſt Chriſti.

TErtiam hujus Capitis partem abſolvimus, Confirmationem ſcilicet ſententiæ Apoſtolicæ, quam Paulus probavit & munivit multis ac validis argumentis; quorum capita repetere

jam

jam oportet, ut perſpiciatur quàm aptè hæc Concluſio ex illis præmiſſis inferatur.

Propoſitio confirmanda hæc erat, ut patet ex verſu octavo, In ſalutis negotio neque ſpeculationes Philoſophicæ, nec cæremoniæ Moſaicæ, nec ullæ traditiones humanitùs inventæ ſunt recipiendæ, ſed ſufficit abundè ſola doctrina Evangelii ad ſalutem omni credenti. Probatur primò ab excellentia Chriſti Servatoris & Doctoris noſtri, verſ. 9. Secundò à perfectione quam in ſolo Chriſto obtinemus; ab officio item Chriſti, ver. 10. Tertiò à beneficiis quæ Chriſtus Spiritu ſuo & morte ſua in nos contulit, ver. 11. 12. &c. Beneficia autem ſpiritualia ſunt circunciſio, id eſt, regeneratio, remiſſio peccatorum, deletio chirographi Legalis, expoliatio omnium [illegible]icorum noſtrorum. Cùm hæc omnia in Chriſto habeamus, [illegible]mè ſequitur hæc concluſio; *Ne quis igitur vos judicet &c.*

Ventum eſt itaque jam ad quartam, & ultimam partem hujus Capitis, Concluſionem ſcilicet, ſive Illationem ortam ex præmiſſa diſputatione; quæ tribus conſtat particulis, juxta tres impoſturarum ſpecies quas verſu octavo cavendas monuit Apoſtolus: nam contra illas omnes ſeparatim concluditur;

1. Contra cæremonias Moſaicas quę urgebantur à Iudaizantibus; verſ. 16. 17.

2. Contra curioſas & ſuperſtitioſas doctrinas de Angelis, quę proponebantur à Philoſophantibus; verſ. 18. 19.

3. Contra ritus & traditiones humanas, quæ excogitabantur à delirantibus; verſ. 20. &c.

Ordiamur à cæremoniis Moſaicis; contra quas concluſio ponitur, verſ. 16. Ratio concluſionis annectitur, verſ. 17.

Nemo vos judicet] Id eſt, ne curetis, ne metuatis judicia illorum, qui vos damnant ob neglectas cæremonias; cùm Chriſtus ipſe vos ab hiſce liberaverit. Sumebant enim ſibi authoritatem judiciariam ſeductores, & tanquam judices laudabant atque abſolvebant illos qui ritus Moſaicos obſervabant; è contrà tanquam reos damnabant illos omnes qui haſce cæremonias negligebant. Coloſſenſes igitur monet Apoſtolus, ut quamvis vitare non poſſint præpoſtera hæc judicia, curare tamen deſinant: nam, ut Iuriſconſulti loquuntur, *Sententia à non judice ſuo lata, nulla eſt ipſo jure:* hi autem non habebant poteſtatem revocandi cæremonias per Chriſtum abrogatas, & ſub neceſſitate ſalutis imponendi Chriſtianis ab hoc jugo Chriſti morte jam liberatis. *Nemo igitur vos judicet*, id eſt, agnoſcatis neminem hanc poteſtatem habere.

In cibo vel potu] Inſtat in quibuſdam particularibus ritibus, in quorum obſervatione Iudæi magnam ſanctimoniæ ſuæ partem collocabant; cùm autem par ratio ſit eorum quæ hîc nominan-

tur ab Apoſtolo & reliquorum, intelligi vult omnes eſſe ſimul abrogatos. Quod attinet ad cibos; notum eſt ex Levitici 11. diſcrimen ciborum Iudæis fuiſſe ſub præcepto, ità ut virtute divinæ conſtitutionis à quibuſdam abſtinere cogerentur. In potu etiam habebant ſuos ritus & obſervationes; nam vino & ſicerâ qui ſanctiores haberi volebant abſtinere ſoliti ſunt, ut in Nazaræis videmus; Num. 6.3. & in Samſonis matre; Iudicum. 13.4. Si quis etiam bibiſſet ex poculo cui operculum non erat, immundus cenſebatur; Numer. 19.15. Hæc & alia hujuſmodi nullius eſſe momenti ad ſalutem concludit Apoſtolus, nec Chriſtianos damnandos ob neglectum eorundem.

Aut parte diei feſti, aut novilunii, aut Sabbatorum] Cum Iudaica ciborum abſtinentia congit ſtatorum temporum obſervationem. Multa autem feſta habebant Iudæi, ut legere poteſtis, Levit. 23. & Exod. 23. 14. &c. Quædam quotannis celebrari oportebat, ut feſtum Paſchatis, Pentecoſtes, Tabernaculorum: quædam incunte quolibet menſe, ut Neomeniarum; Num. 28. quædam ſingulis ſeptimanis, ut Sabbatorum. Hæc omnia tanguntur ab Apoſtolo hoc in loco; ex hiſce vult judicium fieri de reliquis. Quod autem dicit *in parte diei feſti*, alii exponunt *reſpectu diei feſti:* alii ἐν μερισμῷ, id eſt, *in vicibus dierum feſtorum:* alii ſimpliciter *in parte feſti*, id eſt, ob partem aliquam feſti violatam; nam feſtivitates nonnullæ multis diebus conſtabant, & multis cæremoniis: hæc omnia ne in parte quidem ulla violari permittebant; at Apoſtolus è contrà ne ulla quidem ex parte neceſſariò obſervanda concludit. Habemus itaque ſenſum concluſionis Apoſtolicæ; non eſſe ſcilicet damnandos Chriſtianos, quaſi divinæ Legis tranſgreſſores, aut violatæ conſcientiæ reos, exinde quòd non abſtinent cibo aut potu in Lege Cæremoniali prohibito, aut quòd non obſervant feſta in eâdem Lege mandata, quicquid contrà ſuperſtitioſè judicârunt Pſeudoapoſtoli.

Ex hiſce hæ oriuntur Obſervationes.

Obſerv. 1. Proprium eſt ſeductorum onerare hominum conſcientias cæremoniis, tanquam rebus ad ſalutem neceſſariis, & damnare ob omiſſionem earum: ſic olim Pſeudoapoſtoli, ſic hodiè Pſeudocatholici, qui ſummum Dei cultum conſtituunt in obſervatione ſuarum traditionum, ac reatum damnabilem æternę mortis in omiſſione earundem.

Gravis author Gerſon, Pariſienſis Cancellarius, paſſim queritur de hac tyrannide Prælatorum Pontificiorum, & conſcientiarum carnificinâ. Part. 3. de Vita Spiritu. anim. Lect. 4. *Abſtuntur* (inquit) *ſua poteſtate qui quicquid ordinant, volunt id robur habere per obligationem ad pœnam æternam.* Et paulò pòſt; *Nulla lex ferenda eſt tanquam neceſſaria ad ſalutem æternam, quæ non eſt de jure divino in aliquo gradu.*

Officium

Officium est Christianorum cùm ritus cæremoniales illis imponuntur sub opinione necessitatis, justitiæ, aut meriti, eosdem rejicere, atque istos cæremoniarum magistros contemnere; sic enim & hoc in loco, & ad Galat. 5. vers. 1. jubet Apostolus; *In libertate quâ nos Christus liberavit perstate, & ne iterum implicamini servitutis jugo.* Implicantur autem servitutis jugo quibus imponuntur cæremoniæ quælibet ut necessariæ, & meritoriæ, & salutiferæ. Vt itaque Christiana modestia parere jubet Prælatis ritus decoros ordinis causâ præscribentibus: sic Christiana libertas refragari jubet iisdem traditiones suas sub ratione cultus aut necessitatis ad salutem obtrudentibus. Hîc enim valere debet illud Cypriani de Hæret. Baptiz. *Periculosum est in divinis rebus ut quis cedat jure suo.* *Observ.* 2.

Discrimen ciborum aut dierum non jam retinendum est à Christianis cum opinione necessitatis, sanctitatis, justitiæ aut meriti: *Non est regnum Dei esca aut potus, &c.* ad Rom. 14. 17. *Quicquid in macello venditur edite, &c.* 1. Cor. 10. 25. *Dies observatis, & menses, & annos,* Gal. 4. 10. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur,* 1. Tim. 4. 4. *Non adjuti fuerunt illi qui versati sunt in ipsis,* Heb. 13. 9. Benè Prosper de Vita Contemp. lib. 3. cap. 19. *Miserum est alios de cibi vel potus perceptione damnare, aut nobis arrogare per abstinentiam sanctitatem.* Et Tertullianus de Cib. Iudaic. *Ciborum solennitates sustulit libertas Evangelica; Cibus verus & mundus est immaculata conscientia.* *Observ.* 3.

Duplicem itaque hîc Pontificiorum errorem reprehendimus. Primò, in hoc errant gravissimè, & proximè accedunt ad Fatianos & Manichæos, quòd quosdam cibos eo nomine prohibent certis temporibus, quòd putent eos aliis magis maledictos, & minùs sanctos. Nam cùm rationem afferre volunt cur carnem tangere non liceat tempore jejunii, pisces liceat deglutire, prætendunt terram à Deo maledictam, & per consequens animalia terrestria; aquam cum piscibus non fuisse maledicto subjectam; Christum piscibus vesci solitum, non carnibus: quibus argumentis declarant se opinari pisces per se esse sanctiores & mundiores carnibus. Secundò, in hoc insuper errant quòd meritum nescio cujus extraordinariæ perfectionis constituunt in abstinentia à carnibus; unde accidit quòd Monachis Carthusiensibus qui reliquis perfectiores & sanctiores haberi volunt in perpetuum prohibetur usus carnium, & aliis omnibus Quadragesimâ. Aptè in hos torqueri possit illud Augustini, Serm. de Tempore 157; *Sunt quidam quadragesimæ observatores delicioſi magis quàm religiosi, exquirentes novas suavitates, magis quàm veteres concupiscentias castigantes; vasa in quibus coctæ sunt carnes tanquam immunda formidant, & in carne sua ventris & gut-*

turis luxuriam non formidant. Nam ſi Scholaſticos inſpiciamus, totam jejunii Eccleſiaſtici rationem in diſcrimine & delectu ciborum collocant, non in abſtinentia, & moderatione. Hinc Alenſis parte quarta quæſt. 28. mem. 3. Art. 2. tempore jejunii non tam à *Quanto* quàm à *Quali* abſtinendum diſputat; dicit enim tempore jejunii majus peccatum eſſe commedere pauxillum carnis, quàm de piſcibus multum vorare. Et Durandus lib. 4. diſt. 7. quæſt. 4. ſcribit, Papiſticum jejunium non ſolvi unicâ comeſtione quantumcunque magnâ, modò abſtineatur à cibis prohibitis, id eſt, à carnibus, ovis, & lacticiniis. Hinc fit quòd Papiſtis nulla religio ſit, vinum aut piſces quantumvis delicatos tempore quadrageſimali guſtare, non ficus, dactylos, cæteráque ferè omnia quæ in deliciis habentur, modò id unum ſanctè curent, ne carnibus veſcantur. Non mirum jejunia illis placere, quibus ſanctum eſt ſic jejunare. Sed jam dubiis quibuſdam occurramus, quę oriri poſſunt ex hac doctrina Apoſtolica, de ſublato diſcrimine Ciborum & Dierum.

Dub. 1. Objicitur Chriſtianos Magiſtratus mandâſſe abſtinentiam à carnibus certis temporibus, ac proinde reos eſſe, ac judicari poſſe qui hoc mandatum violant: ob cibum igitur judicantur Chriſtiani; quod videtur contravenire Apoſtolo concludenti, *Nemo igitur vos judicet &c.*

Solut. Reſpondendum primò, Apoſtolum illos increpare qui diſcrimen ciborum introducunt causâ Sanctitatis, ità ſcilicet ut damnent eos tanquam divinæ Legis prævaricatores, qui hunc ciborum delectum non obſervant: non autem eos qui causâ Politicæ utilitatis modò hos modò illos ſumendos ſtatuunt, ità ut ſcrupulum nullum conſcientiis injiciant, quaſi de re per ſe illicitâ. Secundò, dicimus ipſos Magiſtratus velle ut hujuſmodi leges, in quibus non ſunt ſitę fortunæ rerum publicarum, Civiliter accipiantur & obſerventur, non in rigore; hoc eſt, volunt ſubditos obſtringi ne cum contemptu aut ſcandalo hujuſmodi ſtatutis contraveniant; nolunt ſic obligari conſcientias eorum, ut, ſi caſu, infirmitate, aut quacunque causâ rationabili contrà fecerint, contemptores Magiſtratus, multò minus violatores Legis divinæ habeantur. Gerſon in Regulis Moralibus; *Jejuniis Eccleſiæ nemo cum notabili gravamine ſui corporis obligatur ſecluſo ſcandalo.* Et Eraſmus in tractat. de Amab. Eccleſ. Concord. *Qui piſcium eſu periclitantur, aut jejunio valetudinem corporis, & vigorem animi læsi ſentiunt, hos nequaquam obligat Eccleſiæ conſtitutio.* Summa; nec Politicum nec Eccleſiaſticum Magiſtratum delectum ciborum certis temporibus præſcribere, opinione neceſſitatis, ſanctitatis, aut meriti, ſed quòd vel utilitati Politicæ, vel rationi, exempliſque Sanctorum conveniat, ut aliquando ab aliquibus abſtineatur.

De

De utilitate Reipublicæ viderint Politici; dico autem rationi & Scripturarum exemplis convenire. Nam ut licitum & rationi conſentaneum eſt, ut in publicæ lætitiæ feſtivitatibus, lautiore victu, & licitis delectationibus utamur; juxta illud Prophetæ, Nehem. 8. 11. ***Comedite pinguia, bibite dulcia; nam ſanctus eſt hic dies Domino noſtro***: ſic etiam licet & conſentaneum eſt, cùm publici luctus, vel pœnitentiæ ſignificandæ datur occaſio, ut abſtineatur à victu delicato, & ab aliis rebus quibus corpus foveri ſolet ac delectari. Hoc à Daniele obſervatum videmus, cap. 10. verſ. 2. & 3. ***Fueram in luctu trium ſeptimanarum diebus. Cibum rerum deſiderabilium non comederam, nec caro aut vinum intraverat os meum.*** Hoc etiam uſitatum fuit in Eccleſia primitiva, ſed ità tamen, ut nemo in aſpera urgeretur quæ ferre non poſſet, nulli quod recuſet imponeretur, teſte Auguſtino de Morib. Eccl. lib. 1. cap. 33. Atque hæc de primo dubio explicando ſufficiant.

Dub. 2. Quod attinet ad dies feſtos; objicitur Iudæos etiam poſt ſuſceptum Chriſtianiſmum obſtrictos eſſe ad eorum obſervationem, quia Deus feſta ſub vetere Teſtamento inſtituta in æternum obſervari juſſit. De Paſchate expreſſè dicitur, ***Celebrabitis eum ſolennem Domino in generationibus veſtris in æternum***; Exod. 12. 14. De Sabbato idem mandatum habetur 31. 16. De reliquis feſtis ſingulis, Levit. 23. ***Legitimum & ſempiternum præceptum erit in generationibus veſtris.***

Solut. Vocabulum illud Hebraicum [*Gnolam*] quod Interpretes aliquando *æternum*, aliquando *perpetuum*, aliquando *ſeculum* vertunt; deſignat vel perpetuitatem Abſolutam, vel Periodicam, id eſt, pro natura rei limitatam. Abſolutam æternitatem denotat, cùm prædicatur de Deo, vel de aliis rebus æternis, ut cùm dicitur ***veritas Dei manet in æternum***, vel cùm ipſe Deus dicitur ***æternus***. Periodicam, ſive pro rei conditione circumſcriptam perpetuitatem denotat, cùm prædicatur de rebus ſuâ naturâ caducis, & mutabilibus. Vt Deut. 15. 17. de ſervo qui non vult liber exire, ***Aſſumes ſubulam, & perforabis aurem ejus, & ſerviet tibi uſque in æternum.*** Sic 1. Sam. 27. verſ. ult. Achis de Davide dicit, ***Multa mala operatus eſt contra populum ſuum; erit igitur mihi ſervus ſempiternus.*** Latini authores eodem modo loquuntur. ***Serviet æternum qui parvo neſciet uti.*** *Horat. Epiſt.* 1. 10.

Sic Scholaſtici dicere ſolent homines impios juſtè puniri ***in æterno Dei***, quia peccaverunt ***in ſuo æterno***. Hiſce omnibus in locis ſub æternitatis vocabulo nihil aliud intelligitur, quàm rei duratio longiſſima ſecundum ejus conditionem & naturam. Sic igitur de feſtis reliquiſque cæremoniis Iudaicis, quas in æternum obſervari Deus præcepit, reſpondemus æternitatem non abſolutam, ſed pro rerum conditione limitatam accipi oportere. Limitatio autem hæc ad Chriſti adventum, & patefactionem Evangelii exten-

extenditur. Hoc Ieremias prędixit cap.31.ver.31. *Ecce dies venient & feriam domui Iudæ & domui Iſrael fœdus novum.* Ipſe Moſes Deut.18. 10. novum Prophetam venturum prædicit. Paulus ad Hebræos 9.dicit, iſta Legalia impoſita fuiſſe *uſque ad tempus correctionis.* Et ad Galatas 3. dicit Legem fuiſſe *pædagogum ad Chriſtum*, poſt cujus adventum non ſumus ampliùs ſub hac pędagogica diſciplina. Cùm igitur feſta reliquæque cæremoniæ ex Dei intentione habent conditionem limitatam, eorum æternitas quę dicitur, eſt Periodica & Limitata.

Dub. 3. Vltimò, objicitur Chriſtianos nondum liberatos ab obſervatione dierum: nam in Eccleſia celebramus feſta Paſſionis, Nativitatis Chriſti, Pentecoſtes, aliáque nonnulla: videmur igitur nondum excuſſiſſe jugum cęremoniarum Iudaicarum.

Solu. Reſpondemus, in feſtis Iudaicis fuiſſe aliquid Morale, fuiſſe aliquid Cæremoniale. Quòd propter publicum Dei cultum, & ſolennem gratitudinis ſuę teſtificationem ob beneficia accepta, habebant aliquod temporis ſepoſitum, morale fuit & naturale, & cum cęteris omnibus gentibus commune: quòd verò ad hæc vel illa tempora, quòd ad cæremonias etiam peculiares obſtricti erant rerum futurarum ſignificativas, ídq; neceſſitate divini mandati; hæc atque ejus generis reliqua erant cæremonialia, temporanea, & Judęos ſolos pro ratione illorum temporum ſpectantia. Liberamur igitur à dierum obſervatione Cæremoniali, ſed non Morali. Quicquid itaque nonnulli contrà afferre ſolent, piè & prudenter proſpectum eſt ab antiquis Patribus, ut anniverſariè in Eccleſia celebrarentur ingentia illa beneficia, Incarnationis filii Dei, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Miſſionis Spiritus ſancti; quorum omnium memoriam ſolennitatibus conſtitutis conſecramus, *ne volumine temporum ingrata ſurreperet nobis oblivio*, ut loquitur Auguſtinus de Civit. Dei lib.10.cap.4.

Primò, id poſtulat officium gratitudinis in Deum; publica enim beneficia ſunt publicè agnoſcenda, & publicâ gratiarum actione celebranda: quod commodè fieri non poteſt, niſi illi qui præſunt Eccleſiæ aut Reipublicę ſtatutos dies præſcribant quibus conveniatur; Ioel.2.15.

Secundò, recta ratio monet ut, quò efficacior ſit memoria prętęritorum beneficiorum, recolantur (ſi commodè fieri poſſit) illo ipſo tempore quo primùm collata fuerunt: recurſus enim ejuſdem diei excitat mentem ad attentiorem beneficii conſiderationem. Vnde illud Dei ad Iudæos, Exod. 13. 3. *Mementote diei hujus quo egreſſi eſtis ex Ægypto.* Hujus inquam diei.

Tertiò, populi utilitas id ſuadet: nam horum feſtorum occaſione, aperiuntur illis præcipua ſalutis noſtræ myſteria; quod videre poſſumus in Patrum ſermonibus, qui ſemper ea tractant quę cum ipſorum feſtorum inſtitutione conjuncta ſunt. Sic Nazianze-

zianzenus in ſanct. Pentecoſt. *Noſtra* (inquit) *feſta ſpirituali modo celebrantur; alia enim eſt aliis ſolennitas: verbi autem cultoribus verbum; ex verbo autem illud potiſſimum quod tempori eſt convenientiſſimum.*

Quartò, exempla piorum id confirmant; nam in veteri Teſtamento præter feſta à Deo inſtituta, alia legimus introducta occaſione novorum beneficiorum. Feſtum Purim ſive Sortium à Mardocheo inſtitutum, & probatum ab Eccleſia; Heſt. 9. 27. Feſtum Encæniorum in memoriam reparati Templi, & liberationis à tyrannide Antiochi; 1. Macc. 4. 59. Quod ipſe Chriſtus ſuâ præſentiâ cohoneſtavit; Ioan. 10. 22. Nunquam proculdubiò id facturus, ſi feſta humanitùs inſtituta in recognitionem beneficiorum divinorum illicita putâſſet. Hiſce itaque rationibus & exemplis freta Eccleſia, rectè judicavit feſtos quoſdam dies inſtituendos, ad publicum Dei cultum, & ad publicam celebrationem atque agnitionem beneficiorum à Deo acceptorum.

Sed hîc, ut ſuperſtitio omnis vitetur, cautiones quædam adhibendæ.

Caut. 1. Non putandum plus ſanctitatis uni diei ineſſe quàm alteri, ſed ſciendum quòd propter ordinem & præceptum Eccleſiæ aliaſque cauſas ſupra memoratas uno die magis quàm alio convenimus ad hæc exercitia ſanctitatis.

Caut. 2. Non putandum Eccleſiam Chriſtianam aliquâ neceſſitate aſtringi ad immotam obſervationem feſtorum dierum; ſed ſtatuendum dies hoſce humanâ authoritate conſtitutos, eâdem poſſe tolli & mutari, ſi utilitas aut neceſſitas Eccleſiæ id poſtulaverit. Nam *omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*. Regula juris.

Caut. 3. *Hoſtienſ. de Feriis.* Neque ſtatuendum eſt privatos Chriſtianos tali neceſſitati aſtringi ad celebrationem feſtorum, quin omittere poſſint publicam illorum ſolennitatem ſi vel neceſſitas id exigat vel charitas: ſed videant ne prætextu falſo neceſſitatis aut charitatis, violent ordinem Eccleſiæ, & abutantur libertate Chriſtiana.

Caut. 4. Etſi dies quidam feſti inſigniantur nomine Apoſtolorum, aut Martyrum, non tamen opinandum quòd in illorum cultum inſtituantur, aut in illorum honorem terminentur. Eſt enim ille Bellarmini error explodendus, qui lib. 3. de Cultu Sanct. cap. 6. aſſerit, *Honorem dierum feſtorum immediatè & terminativè pertinere ad Sanctos*. Aliter ſenſerunt ſancti Patres. Euſeb. lib. 4. c. 15. *Non colimus Martyres, ſed eos tanquam imitatores Chriſti diligimus, quorum nos imitatores fieri optamus*. Baſilius in Aſceticis cap. 40. *Non decet Chriſtianos in Martyrum memoriis ob aliam cauſam comparere, quàm ut precentur, & ex commemoratione conſtantiæ martyrum ad hujuſmodi zeli imitationem incitentur*. Referuntur itaque hæc feſta ad memoriam Sanctorum per quos

Chriſtus

Chriſtus Eccleſiam ſuam ædificavit, ad utilitatem noſtram, ad cultum verò & honorem ſolius Dei, qui Apoſtolis, & Martyribus contulit quicquid laude dignum aut habuerunt, aut fecerunt, aut ſuſtinuerunt. Hoc perſpicuum eſt in praxi Eccleſiæ noſtrę: non enim in illis feſtis quæ Apoſtolorum nominibus inſignita ſunt, colimus Apoſtolos, aut ſuffitum illis facimus, aut invocamus denique; ſed Deum ſolum invocamus, & Deo gratias agimus propter ea beneficia quæ Miniſterio Apoſtolorum accepimus.

Caut. 5. Non putandum ipſum externum opus operatum eſſe cultum Deo acceptabilem, ità ut nihil aliud requiratur lege feſtorum quàm *ceſſare ab operibus quotidianis, & ſacris intereſſe*, ut vult Bellarminus de Cult. San. lib. 3. cap. 10. ſed exiſtimandum multò magis requiri actus internos; feriationem ſcilicet ab operibus peccati, elevationem mentis ad Deum, gratam recognitionem & conſiderationem illorum beneficiorum in quorum memoriam feſta inſtituuntur: hæc ſi abfuerint, externâ feſtorum ſolennitate Deum ludificamur. Sic Ambroſ. de Natal. Dom. Ser. 14. *Quiſquis ſordidus interfuerit feſtivitati, licèt adſit corpore ſeparatur mente; & dum vult officioſus eſſe injurioſus exiſtit.*

Caut. 6. Cavendum denique ne feſtis abutamur ad otium, luxuriam, ac voluptates turpes, & Chriſtianis prorſus indignas: etſi enim ſacris publicis peractis non illicitum ſit animum relaxare, providendum tamen ne jure in nos torqueatur illud Tertulliani in Apologet. *Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Hæccine ſolennes dies decent, quæ alies non decent? Malorum licentia pietas erit? Occaſio luxuriæ religio deputabitur?*

VERS. 17. *Quæ ſunt umbra futurorum, at corpus eſt Chriſti.*] Concluſit Apoſtolus ſuperiore verſu, non eſſe judicandos aut damnandos Chriſtianos, quòd Legem cæremonialem de ciborum delectu, & feſtorum ſolennitate non obſervent. Ne hoc Judæis impium videretur, qui haſce cæremonias ab ipſo Deo ſancitas cognoſcebant, occurrit tacitis illorum cogitationibus, & ratione firmiſſimâ prædictam concluſionem demonſtrat.

Sumitur ratio ab analogia: ſicut ſe habet umbra ad corpus, ità Legis cæremoniæ ad Chriſtum & Evangelium; ſed ubi corpus habetur, ridiculum eſt ejus umbram captare & complecti; ergò cùm Chriſtum & Evangelium habemus, ſtultum eſt retinere cæremonias.

Sed ut ordine progrediamur tria hîc penſitabimus.

1. Quòd ritus Moſaicæ Legis de cibis, feſtis, aliiſque rebus erant adumbrationes rerum futurarum; *Sunt umbræ rerum futurarum.*

2. Quòd res illæ adumbratę exhibentur & clarè manifeſtantur nobis in Chriſto & Evangelio; *At corpus eſt Chriſti.*

3. Quod

3. Quod cùm ità sit, æquum est aboleri hasce umbras; quod intendit Apostolus ostendere hac collatione.

Quæ sunt umbra futurorum] Id est, quę cęremonię officia & beneficia Christi ac doctrinam Evangelicam obscurè delineabant: hęc enim illa futura sunt de quibus loquitur Apostolus. Vndè Augustinus contra Faustum, vocat cęremonias Mosaicas *prænunciativas observationes*. Dicit autem *esse* umbras futurorum non *fuisse*, licèt Christus jam fuerit exhibitus, & Evangelium patefactum; quia loquitur de illis ut considerantur in sua natura, abstractę à circumstantiis temporis. Hic enim mos disputantium est: ut si quis jam interrogaretur quidnam essent Legales cęremonię; posset respondere esse umbras rerum futurarum; non quòd jam actu existant, aut res futuras diutiùs adumbrent, sed quòd hęc sit definitio & natura cęremoniarum in se consideratarum. 1

Adumbrâsse autem res futuras, Christum scilicet & gratiam atque doctrinam Evangelicam, in omnibus ostendi posset; sed nos in iis tantummodò insistemus quæ hoc in loco recensentur ab Apostolo, in cibis nimirum & festis. De cibis constat verissimum esse illud Christi, *Quod intrat in os non coinquinat hominem; sed quæ procedunt de ore & corde, ea coinquinant hominem*; Matth.15. Quod igitur cibi quidam ut immundi prohibentur, non ad rerum naturam, sed ad significationem referendum est, & ad obscuram doctrinę moralis adumbrationem, quæ jam in Evangelio clarè docetur. Vetuit Lex fermentato pane vesci septimis primis Paschæ diebus, Exod.12.15. quid autem hâc cæremoniâ fuerit adumbratum Paulus ostendit, 1.Cor.5.7. *Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio, &c.* Levit. 11. varia animalium genera tanquam immunda prohibentur: id autem non fieri ob naturalem aliquam immundiciem, sed vel ob significationem moralem, vel ad distinctionem certam Ecclesiæ Iudaicæ à cæteris gentibus, constans est omnium Theologorum sententia.

Veteres plerunque moralem illam significationem consectantur in suis commentariis; & sigillatim ostendunt in prohibitis animalibus, affectus & mores pravos esse fugiendos. Sic Origenes, Hom.7.in Levit. Sic Tertullianus de Cibis Iudaic. unde non pigebit quædam adscribere; *Vt homines mundarentur pecora culpata sunt, scilicet ut homines qui eadem vitia haberent, æquales pecoribus æstimarentur.* Et paulò pòst, *In animalibus mores depinguntur humani, & actus & voluptates: mundi sunt si ruminent, id est, in ore semper habeant præcepta divina, &c. Cùm suem edi prohibet Lex, reprehendit cœnosam, & luteam, & gaudentem vitiorum sordibus vitam.* Hæc & multa plura Tertullianus. Eandem rationem sequitur Theodoretus, quæst.11. in Levit. Et Augustinus totam rem paucis hisce verbis complectitur, *Quos cibos,*

inquit,

inquit, *Iudæi vitabant in pecoribus, nos vitare oportet in moribus.*

Recentiores non putant Deum reſpexiſſe ſingulares proprietates animalium in illis prohibitionibus; ſed potiùs voluiſſe hac cęremoniâ Eccleſiæ Iudaicæ corpus diſtinguere ab Ægyptiis, Chaldæis, cæteríſque omnibus nationibus. Hiſce itaque ritibus publicè profitebantur, ſe eſſe peculiarem Dei populum, & mundum, ac ſanctificatum, cùm cæteræ omnes gentes immundæ cenſerentur. Huic opinioni ſuffragatur viſio Petri, & applicatio ejuſdem quę habetur Actor. 10. verſ. 11. & 23. Ex qua promptum eſt colligere, illâ animalium diſtinctione adumbratam fuiſſe diſtinctionem Iudæorum à cæteris gentibus, quæ ſublata fuit per Chriſtum. Sive itaque Veterum, ſive Recentiorum ſententiam ſequamur, ſive (quod commodè fieri poteſt) utramque conjungamus, planum eſt illas ciborum diſtinctiones umbras fuiſſe tantùm rerum futurarum, quæ Chriſti adventu omnibus manifeſtata ſunt.

Iam quod attinet ad feſta, eſt etiam eadem illorum ratio. Nam quamvis inſtituta erant ob recordationem beneficiorum præteritorum; ut Paſcha in commemorationem liberationis ex Ægypto, Pentecoſte ad recolendum beneficium Legis datæ, Tabernaculorum in memoriam divinæ protectionis in deſerto, Sabbatum in memoriam creationis, & ſic de reliquis: tamen habebant conjunctam adumbrationem & promiſſionem ſpiritualium beneficiorum in Chriſto exhibendorum. Liberatio ex Ægypto, & Paſcha Iudæorum, noſtram liberationem ex poteſtate inferni, & immolationem Chriſti adumbrabat. Pentecoſte, & illa Legis datæ celebratio, Spiritus ſancti miſſionem, & Legis in tabulis cordium per eundem Spiritum inſcriptionem adumbravit. Scenopegiæ feſtum peregrinationem hominis pii per hoc mundi deſertum ad cœleſtem patriam delineabat: Sabbatum gaudium ſpirituale & requiem conſcientiæ datam in Chriſto: Neomeniæ illuminationem Eccleſiæ per Chriſtum *Solem juſtitiæ*, vel vitæ novæ ſanctificationem. Ne ſingula perſequar, cum Apoſtolo dicere poſſumus, *Legem hanc cæremonialem umbram habuiſſe futurorum bonorum; non ipſam expreſſam rerum imaginem*; Heb. 10. 1. At nobis Chriſtianis ipſa ſolida bona jam data ſunt, umbris è medio remotis.

Dub. Sed hîc quæri poteſt, utrùm pii ſub Vetere Teſtamento, ante Chriſtum exhibitum, & patefactam gratiam Evangelicam, vacuis hiſce umbris ſolummodò fruebantur; an etiam Chriſti & ſolidorum bonorum facti fuerint participes. Nam cùm in hiſce cæremoniis non fuerit ſalus, juſtitia, aut peccatorum remiſſio, erant mortalium miſerrimi, ſi hiſce ſolis illorum ſalus nitebatur. *Impoſſibile enim fuit ſanguine taurorum aut hircorum*, aut ullis cæremoniis externis *auferri peccata*; Heb. 10.

Solut. Reſpondendum eſt illos hiſce umbris uſos propter mandatum divi-

divinum, ſed per fidem penetrâſſe etiam ad ipſam ſubſtantiam; ad Chriſtum ſcilicet hiſce cæremoniis velatum. Erant itaque participes ſpiritualium bonorum quemadmodum & nos; ſed ea bona quæ obſcurè & parcè ſub Vetere Teſtamento propoſita ſunt, clarè & copioſè ſub Novo exhibita ſunt. Vnde Clemens Strom. 6. *Vnum eſt ſalutare Teſtamentum à principio mundi, etiamſi modo dationis videatur diverſum.* Et Auguſtinus in Evang. Ioan. tract. 25. *Promittebantur antiquis temporalia, figurabantur ſpiritualia. Attendebant promiſſa per Moſen, attendebant promiſſa per Chriſtum.* Et apertiùs contra Adiman. cap. 16. *Non ſigna & umbræ ſalutem dederunt, ſed ea quæ his ſignificabantur.* In ea autem oculos fidei defixerunt Patriarchæ, ut nominatim de Abrahamo dicitur, Ioan. 8. 56. *Vidit diem Chriſti & gaviſus eſt:* & de omnibus oſtenditur ad Heb. 11. 13.

At corpus eſt Chriſti] Id eſt, in Chriſto habemus illa vera & 2
ſolida bona quæ erant adumbrata & figurata in prædictis cæremoniis. Non opus erit minutatim eas percurrere: nam ſive Moralem ſanctitatem adumbrabant, hanc clarè Chriſtus docuit, perfectè præſtitit; ſive peccatorum expiationem promittebant, hanc Chriſtus in cruce promeruit; ſive cœleſtium bonorum participationem pollicebantur, hanc etiam Chriſtus in Evangelio ſuis omnibus communicavit. Vt verbo expediam; Quicquid boni fuit in umbris legalibus occultatum, id in Chriſto & Evangelio habemus revelatum, & exhibitum. Hinc Tertullianus de Trinitate; *Nec Veteris Teſtamenti vacillat authoritas, dum Novi Teſtamenti manifeſtatione fulcitur; nec Novi Teſtamenti intercepta eſt poteſtas, dum radicibus Veteris Teſtamenti innititur.* Et Lactan. Inſtitut. 4. cap. 20. *Diverſa non ſunt Teſtamenta, quia Novum nihil aliud eſt quàm Veteris adimpletio, & in utroque idem Teſtator eſt Chriſtus.* Tempus itaque Veteris Teſtamenti, erat tempus ſignificandi, hoc autem manifeſtandi; illud erat tempus in quo umbris prefigurabantur bona exhibenda, hoc tempus eſt in quo ipſa veritas & corpus ſic prefiguratorum exhibetur; juxta illud dictum Ioannis, *Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum extitit*; Ioan. 1. 17. Multas igitur ob cauſas Moſaici ritus *umbris* conferuntur, Chriſtus & gratia Evangelica cum Chriſto exhibita, *corpori*.

1. Quia ut corpus eſt cauſa umbre, non è contrà; ſic Chriſtus rituum Moſaicorum cauſa fuit: potuit igitur & eaſdem ſuo adventu abolere.

2. Quia ut umbra ſignum eſt corporis; ſic typi & figure erant ſigna Chriſti exhibendi.

3. Quia ut umbra obſcurè admodum & imperfectè repreſentat corpus; ſic legales illæ cæremoniæ Chriſtum.

4. Quia ut umbra per ſe nihil valet aut poteſt; ſed corporis

um eſt agere, & virtutem ſuam exercere: ſic illę cæremoniæ per ſe nihil poterant ad remiſſionem peccatorum, ſanctificationem & ſalutem; ſed omnis virtus ſalutaris eſt à Chriſto.

3 Reſtat ut ultimo in loco oſtendamus, hiſce poſitis, nimirum quòd cæremoniæ fuerint umbræ, Chriſtus exhibitus harum umbrarum corpus, æquum eſſe eas jam aboleri;

Primò, quia, ut rectè Auguſtinus, *ordo tenendus in obedientia noſtra erga Deum, ut quicquid Deus temporibus congruis jubendo diſtribuit, ſic obſervetur quemadmodum ipſe diſtribuit.* Iam verò Deus pro ſua ſapientia ſic tempora diſtribuit, ut velit umbras & pædagogicam diſciplinam valere uſque ad Chriſti adventum; orto verò Chriſto, Sole juſtitiæ, voluit haſce umbras fugari, & meridianam Evangelii lucem ubique reſplendeſcere. Sic Apoſtolus ad Galat. 4. *Cùm eramus parvuli ſub iſtis elementis vitam egimus tanquam ſub pædagogis. ſed poſtquam Deus miſit Filium ſuum ad nos liberandos, non debemus ad hæc infirma, & egena elementa recurrere.* Vt itaque contumaciæ fuiſſet non uti hiſce cæremoniis ſub Vetere Teſtamento, cùm ab ipſo Deo mandabantur; ſic inſaniæ eſſet, jam velle uti iiſdem ſub Evangelio, cùm ab ipſo Chriſto abrogantur.

Secundò, quia media adhibentur in ordine ad finem; finis autem cæremoniarum fuit utilitas ſignificandi, quæ jam ceſſat: idque duas ob cauſas. Primò, quia res quę ſignificabantur ut futuræ, non ſunt ampliùs futurę, ſed peractę; eſſent itaque falſæ adumbrationes, cùm præ ſe ferrent id futurum quod præteriit. Secundò, quia Evangelica doctrina clarè jam proponit omnia illa myſteria quæ obſcurè tantùm innuebantur in cęremoniis. Carnalis itaque celebratio jam quieſcat, cùm ſpiritualis ſignificatio luceſcit. Quid enim opus parvulâ lucernâ ſole ſplendente?

Tertiò, non jam oportet cæremonias retinere, quia longè meliora ſunt in illarum loca ſubſtituta. Veteres enim ritus Chriſtus abrogavit, non damnando ſed implendo: umbras enim & imagines ità removit, ut corpus ſolidum & verum pro illis, hominibus exhibuerit. Vnde illud Auguſtini adverſ. Iudæos, *Populus Chriſti jam non cogitur obſervare quæ Propheticis temporibus obſervabantur, non quia illa damnata, ſed quia in melius mutata ſunt.*

Atque hîc juſta offertur occaſio illos taxandi, qui non obſtante hac abrogatione cæremoniarum, ità delectantur umbris ut in obſervatione rituum ac traditionum humanarum plus ſanctitatis ſtatuant quàm in obſervatione Evangelii. Sed de hac ſuperſtitione erit dicendi locus in poſterum. Hęc jam ſufficiat dixiſſe de hac ratione Apoſtolica petitâ ab analogia ſive proportione corporis ad umbram.

VERS. XVIII.

Nemo vos brabio defraudet pro libidine, in demiſſione animi, & cultu Angelorum; in ea quæ non vidit ſeſe ingerens, temerè inflatus mente ſua carnali.

IN verborum ſenſum primò inquiremus, dein ad materiam ſubjectam progrediemur. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω] Vocabulum hoc καταβραβεύειν, deſumptum eſt à certaminibus gymnicis in quibus judex & moderator certaminis dicitur βραβεὺς, vel βραβευτής· unde βραβεύειν eſt certamina moderari, præmia diſpenſare, &c. Ab hac autem ſpeciali ſignificatione ad generalem transfertur, & eum denotat qui actionem quamcunque vel rem regit & definit eo modo quo Brabeutę ſolent. Iam verò καταβραβεύειν eſt perverſè & iniquè fungi hoc officio, non pro jure ſed pro libidine ſua ſtatuere, brabium abjudicare & eripere merentibus. Vnde Beza vertit, *Nemo moderator de vobis ſtatuat.* Eraſmus, *Nemo palmam vobis intervertat.* Alii, *Nemo vos præmio defrandet.* Sed ut quod res eſt fateamur, non poteſt hoc vocabulum Græcum unico Latino exprimi; unuſquiſque igitur ex Interpretibus aliquid arripuit quod ſibi maximè placebat, cùm revera in hoc uno vocabulo ea omnia connotentur, quę à diverſis Interpretibus afferuntur.

Participium illud θέλων alii conjungunt cum verbis præcedentibus, & idem eſſe putant quod ἐθελοντὴς *voluntarius*; eo ſenſu quo Cicero in Philippicis vocavit Aſinium *Senatorem voluntarium & à ſe lectum*; ſic hi ſeductores erant βραβευταὶ, ſed voluntarii & à ſe lecti; hanc enim judicandi & definiendi poteſtatem arrogarunt ſibi nullo jure. *Nemo voluntarius moderator*; Beza.

Alii vocabulum hoc θέλων poſitum putant per Ellipſin, & ſupplent τῦτο πράτειν *hoc facere*, id eſt, vos defraudare, vel judicis authoritatem in vos exercere; ſic Græcus Scholiaſtes, & Calvinus: Tremelius, Syrum ſecutus, quaſi legendum eſſet μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβεύειν θέλοι, vertit, *Nemo velit vos culpabiles reddere.* Primam interpretationem amplęctor; quia ſecunda cogitur ex conjectura aliquid ſupplere, tertia adverſatur Græcis codicibus.

Ἐν θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων] Alii hoc accipiunt dictum de cultu quodam novo, vel de novis religionis capitibus, quæ ſeductores jactitabant ſe in extraordinariis viſionibus ab Angelis accepiſſe; per *cultum* igitur *Angelorum* intelligunt cultum traditum vel revelatum ab Angelis. Alii autem hoc accommodant ad doctrinam ſeductorum de colendis Angelis: quę ſententia mihi videtur probabilior, tum quòd ipſe Paulus ab initio Epiſtolę tam ſtudiosè Angelos in ordinem redigebat, & Chriſto Creatori ſubjiciebat; tum quòd ex hiſtoria patet, Angelorum cultum obtinuiſſe in illis

Phrygiæ regionibus; ac eapropter in Concilio Laodiceno fuiſſe poſteà damnatum, ut ſcribit Theodoretus.

Ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων] Eraſmus putat ἐμβατεύειν eſſe ſublimem incedere, quemadmodum Dii & Reges ſolebant in tragœdiis; nam tragici illorum cothurni ἐμβάδες appellantur, unde vult deductum ἐμβατεύειν. Sed Budæus veriùs, & magis ex uſu Græcæ linguæ, oſtendit ἐμβατεύειν nil aliud eſſe quàm pedem ponere, vel ingredi in poſſeſſionem alicujus rei; ſic enim Pſeudoapoſtoli ingerebant ſeſe in res ignotiſſimas & obſcuriſſimas, tanquam in domum ſibi notiſſimam, vel in proprias poſſeſſiones, ubi regnabant, & quidlibet ſtatuebant, ac imponebant Chriſtianis pro ſua libidine.

Vltima illa verba ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, diverſimodè exponuntur, ſed nullo ſenſus diſcrimine. Nam ſive *carnis ſuæ ſenſu*, ſive *mente carnis ſuæ*, vel *mente ſuâ carnali*, vel denique *perſuaſione carnis ſuæ* dicamus; id unum dicitur, ſeductores doctrinam ſuam hauſiſſe, non ex revelatione Spiritus divini, ſed ex præſumptione rationis humanæ. Sed verborum explicationem mittamus, & rem ipſam aggrediamur.

Verſibus hiſce 18. & 19. continetur ſecunda particula concluſionis Apoſtolicæ quæ infertur ex præmiſſa diſputatione; atque hîc rejicit illam religionis corruptelam quæ originem habuit ex Philoſophia fallaci. Nam ut Iudæi (quos refutavit duobus verſibus præcedentibus) obtrudebant cæremonias Moſaicas; ſic alii ingerebant curioſas ſpeculationes è ſchola Philoſophorum, & nominatim θρησκείαν, ſeu cultum Angelorum, quod inter Platonicorum dogmata recenſetur. Nam Plato in 4. de Legibus, poſt Deos tutelares, dæmonas colendos præſcribit. Et in Epinomide, *Dæmonas* (inquit) *colere oportet, quia medium locum obtinent inter Deos & homines, & funguntur interpretum officio:* ſunt igitur colendi χάριν τῆς ὑφ' ἡμῶν διαπορείας, *ob fauſtam & felicem eorum interceſſionem inter Deum & homines.*

In hoc verſu tria facit Apoſtolus;

1. Iſtos ſeductores atro notat carbone, ac nihili faciendos concludit; ídque duplici reſpectu. Primò, quòd authoritâtem judiciariam ſibi uſurpent. Secundò, quòd eâdem in fraudem populi abutantur. Vtraque hæc innuuntur illis verbis, *Nemo vos* καταβραβευέτω *pro libidine.*

2. Oſtendit qua in re abutantur uſurpatâ authoritate, & fraudem populo facere conentur; nimirum dum illis ingerunt ſtultam animi demiſſionem, & cultum Angelorum; ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ &c.

3. Reprehendit hanc erroneam doctrinam duplici nomine: inſcitiæ ſcilicet & ſuperbiæ. Ex inſcitia oritur; *nam ingerunt ſeſe in ea quæ non viderunt:* ex ſuperbia; nam hæc effutiunt non

Spiritu

Spiritu edocti, ſed acumine ſuo freti, *temerè turgentes carnis ſuæ ſenſu.*

Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω] Taxat iſtos ſeductores & flocci faciendos eſſe oſtendit. 1. Quia in rebus ſacris quæ ſpectant ad cultum Dei, & ſalutem hominum, nullo jure arrogant ſibi imperioſam poteſtatem quidvis ſtatuendi & decernendi, perinde ac Brabeutæ ſolent in certaminibus. Nam voluntarii iſti moderatores decreverant brabium vitæ æternæ nemini concedendum qui nollet illorum novis doctrinis ſubſcribere. Sed unde illis hæc definiendi authoritas? Quis illos fecit Dominos fidei Chriſtianæ? Quis poteſtatem fecit nova dogmata cudendi? Ipſi ſcilicet ſibi uſurpârunt hoc munus, & ſuis ſuffragiis facti ſunt judices voluntarii. Ex eo itaque, quòd taxat Apoſtolus hanc uſurpatam authoritatem ſeductorum, ſciendum eſt nemini mortalium concedi hanc poteſtatem, ut in cauſis fidei & religionis poſſit aliquid ſtatuere pro arbitrio ſuo: ſed tenetur judicare ſecundum regulam juris, id eſt, ſecundum ſacras Scripturas; *Si non dixerint juxta verbum hoc, non erit iis matutina lux*; Eſa. 8. 20. *Sine authoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem*; Hieronim. in cap. 1. ad Titum. Et Lactantius Inſtit. 3. cap. 13. *Homo qualiſcunque eſt, ſi ſibi credit, hoc eſt, ſi homini credit, certè arrogans eſt, qui ſibi audet vendicare quod humana conditio non recipit.* Eſt itaque ſupra conditionem hominis, judicem agere abſolutum in cauſis fidei. Hinc æſtimate tyrannidem Romanenſium qui hanc eandem poteſtatem jamdiu ſibi vendicârunt in omnes Chriſtianos. Quod illis placet, aut credi protinus debet, aut anathemata vibrant. Si Scripturę teſtimonia ad fulciendam fidem requiras, dicunt ſe eſſe omnium controverſiarum & ipſarum Scripturarum judices; imò poſſe ſe fidei articulos ex traditionibus non ſcriptis prędſcribere. Quid hoc aliud eſt quàm in Eccleſiis & hominum conſcientiis eodem modo regnare, quo Brabeutę ſolebant in ludis & certaminibus? Atque hęc de prima ſeductorum nota, quam communem habent cum Pontificiis noſtris. 1

Secundò, reprehenduntur & rejiciuntur iſti ſeductores, non modò quòd uſurpaverint ſibi poteſtatem indebitam & illegitimam, ſed etiam quòd eâdem abutantur in fraudem Chriſtianorum. Quomodo? Dum ſcilicet illos exercent vano cultu & labore, ex quo fructum nullum percepturi; dum illos abducunt à recto curſu, & à metâ in verbo propoſitâ, ad commenta ſua. Quemadmodum enim ſi Agonothetes juberet aliquem extra oleas (quod aiunt) currere, fraudaret illum brabio, quia nunquam iſtâ viâ perveniret ad metam: ſic qui jubent Chriſtianos ſalutem extra Chriſtum quærere, conantur eos καταβραβεύειν, brabio defraudare, quia nunquam palmam ſupernæ vocationis conſequentur. *Chriſti enim participes facti ſumus, ſi modò principium*

illud quo ſuſtentamur firmum tenuerimus ad finem uſq; Heb. 3. 14. Sit igitur illud fixum, quòd quicunq; à ſimplicitate Evangelii & à Chriſto nos conantur abducere, illi eâdem operâ conantur nos brabio defraudare. Contemnantur igitur & repellantur; nam ſunt *judices voluntarii*, ſunt impoſtores fraudulenti. Atque hæc de duabus notis quæ inuruntur iſtis ſeductoribus.

2 *In demiſſione animi & cultu Angelorum*] Nonnulli hæc exponunt de ſimulata humilitate ipſorum ſeductorum, & de novo quodam cultu, quem fingebant ſibi innotuiſſe per revelationes Angelicas: ſed ut ab initio monuimus, probabilior eſt Veterum ſententia, quam plerique ex noſtris, & Pontificiis etiam ſequuntur; Apoſtolum ſcilicet loqui de humilitate quadam præpoſtera, & cultu ipſorum Angelorum, quem Chriſtianis perſuadere conabantur.

Connectuntur autem hæc ταπεινοφροσύνη & cultus Angelorum, quia ſub humilitatis prætextu illum cultum introducebant. Argutabantur enim, indignos nos eſſe qui rectà ad Deum accederemus; ambiendas itaque eſſe interceſſiones Angelorum, eóſq; invocandos ut nos ad Deum perducerent. Quod igitur attinet ad humilitatem, vel *animi demiſſionem* ſciendum eſt non veram & laudabilem, ſed prępoſteram & ſuperſtitioſam injectam fuiſſe Chriſtianorum animis, ab illis ſeductoribus. Prępoſteram autem appello, quę dejicit hominem in eo in quo debebat eſſe erectus: vel quæ minuit & extenuat ejus confidentiam ea in rę, in qua laudabile eſt habere maximam confidentiam. Talem igitur humilitatem injiciunt, qui volunt nos propter indignitatem noſtram, non Mediatoris noſtri θεανθρώπου opem & ſubſidium protinus implorare, ſed priùs adire Angelos vel Sanctos.

Sed jure taxatur hæc ſtulta animi demiſſio, quia ipſe Chriſtus eſt nobis & naturâ & amore conjunctior quàm Angeli, & Scripturę jubent nos cum fiducia hunc, & non alium Interceſſorem adire; Rom. 5. 2. *Per quem acceſſum habemus.* Et Epheſ. 3. 12. *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus.* Hebr. 4. 16. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus.* Ideo enim ſe humiliavit, & carnem noſtram aſſumpſit, ut illum tanquam fratrem primogenitum audacter accederemus: *Tutiùs* (inquit Auguſtinus) *& jucundiùs loquar ad meum Ieſum, quàm ad aliquem ſanctorum ſpirituum Dei*; de Viſit. infirm. lib. 2. cap. 2. Eſt itaque humilitas ableganda, quæ abducit à Mediatore Chriſto: *Si quis peccaverit Advocatum habemus, &c.* 1. Ioan. 2.

Et cultu Angelorum] Demiſſio illa animi vitioſa parit cultum ſuperſtitioſum. Verbum *colendi* apud Latinos generale eſt, & rectè dicimur non modò Deum, ſed Parentes, vel quoſvis ſuperiores colere. Sic loquitur Cicero, *Obſervantia eſt* (inquit) *per quam Superiores reveremur & colimus.* Et alibi, *Pater tuus quem*

colui

colui & dilexi. Sed vocabulum θρησκεία quo utitur Apoſtolus, ad cultum religioſum ſive divinum referri ſolet: nam deductum eſt (ut Plutarchus ſcribit) à Thracibus, apud quos Orpheus Deorum cultum primus invenit. Monentur itaque hoc in loco Coloſſenſes, ne decepti ab impoſtoribus tribuant Angelis cultum divinum ſive religioſum.

Sed quia ex hoc & ſimilibus locis oritur inter nos & Pontificios magna controverſia de cultu Angelorum & Sanctorum defunctorum, qui ſunt ἰσάγγελοι, ut penes quos veritas ſit intelligatur tria hæc expediemus breviſſimè. Primò oſtendemus diſcrimen cultus. Secundò, cultum religioſum ſoli Deo deberi demonſtrabimus. Tertiò, ut olim ab iſtis ſeductoribus, ſic jam à Papiſtis vetitum hunc cultum Angelis & Sanctis tributum evincemus.

Quod ad primum; *Cultus eſt obſequium alicui præſtitus juxta ejus excellentiam:* ſub obſequio autem complector, actum Mentis, quo apprehendimus perſonæ vel rei honoratæ excellentiam; actum Voluntatis, quo nos illi interiùs ſubmittimus, & id debitis officiis agnoſcere prompti ſumus; & actum Corporis, quo ſignum externum noſtræ demiſſionis oſtendimus. Iam verò hic Cultus in triplici verſatur diſcrimine, pro triplici Excellentia rerum quæ coluntur. Eſt cultus quidam Subjectionis Civilis, qui exhibetur alicui ratione particularis eminentiæ & dominii quod habet in alterum; hoc Civili cultu colimus magiſtratus, parentes, præceptores, &c. Eſt cultus alter Moralis Reverentiæ, qui exhibetur perſonis vel rebus propter excellentiam illarum in ſe conſideratarum, ratione virtutis, ſtatus, vel cujuſcunq; dignitatis abſque dominio honorati, aut ſervitute honorantis. Hoc cultu Morali viros doctos, pios, & ſapientes colimus, quanquam illis non ſubjicimur politicâ aliquâ ordinatione: hoc eodem cultu Sanctos & Angelos veneramur, altiori tamen gradu, quia præditi ſunt donis, virtutibus, atque gratiis excellentioribus: *Honoramus eos charitate non ſervitute*; Aug. de ver. Relig. 55. cap. Eſt denique cultus ſacroſanctæ Religionis, vel Latriæ, qui illi ſoli exhibetur, quem apprehendimus ut principium creationis & beatificationis noſtræ. Hæc de diſcrimine Cultus. 1

Iam oſtendamus cultum Religioſum, ſive Latriæ ſive Duliæ vocetur, ſoli Deo competere, non Angelis, non Sanctis. 2

Id primò oſtenditur ab ipſius vocabuli interpretatione, idque ex conſenſu Ethnicorum, Patrum, Scholaſticorum. *Religio* (inquit Orator) *eſt quæ ſuperioris cujuſdam naturæ* (quam *divinam* vocat) *curam cæremoniamque affert*. Et alibi: *Religio eſt quæ deorum cultu pio continetur*. Lactant. Inſt. 4. 29. *Pietatis vinculo obſtricti Deo, & religati ſumus, unde ipſa Religio nomen accepit*. Sic Auguſtinus de Civit. 10. cap. 1. *Si cultus tantummodò di-* *De Inven. 2.*

catur, non ſoli Deo deberi videtur, ſed religio diſtinctiùs non quemlibet ſed Dei cultum ſignificat. Sic Aquinas 2. 2. quæſt. 81. art. 1. *Religio importat ordinem ad Deum:* & art. 8. *Religio eſt virtus exhibens Deo famulatum, in iis quæ ſpecialiter pertinent ad Deum.* Hilarius 8. de Trinitate, *In maledicto eſt religio creaturæ.* Hiſce omnibus teſtimoniis patet cultum religioſum ſoli Deo deferendum.

Secundò, idem patet ex claris Scripturæ teſtimoniis. Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies.* Ad Gal. 4. *Iis quæ naturâ non ſunt Dii ſerviebatis*, ἐδουλεύσατε. Non debetur igitur δουλεία religioſa, niſi illi qui naturâ eſt Deus. Apoc. 19. Angelus non vult adorari à Ioanne; *Vide ne feceris; conſervus tuus ſum; Deum adora.*

Tertiò, idem probatur ratione: nam fundamentum cultus religioſi, ſive λατρείαν ſive δουλείαν placeat appellare, eſt excellentia infinita apprehenſa ſub ratione primi principii & ſummi boni noſtri; non itaque ſufficit ad cultum religioſum illis exhibendum, quòd Angeli & Sancti ſint ſupernaturalibus donis præditi, vel quòd nobis multa bona procurent, niſi ſint nobis prima & ſumma cauſa idq; ſummi boni noſtri. Sic Auguſtin. tract. 23. in Evan. Ioan. *Hæc eſt religio Chriſtiana, ut non colatur niſi unus Deus; quia non facit animam beatam niſi unus Deus.* Et lib. 22. contr. Fauſtum; *Colimus Martyres cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur homines ſancti.* Vbi obſervandum, Sanctos mortuos eodem cultu coli quo vivos, & proinde non religioſo.

3 Tertio in loco oſtendendum eſt, Pontificios cultum ſupremæ religionis Angelis aſcribere atq; etiam Sanctis non minùs quàm hi ſeductores qui taxantur ob introductam θρησκείαν Angelorum. Nam Bellarminus dicit taxari hoc in loco hæreſin Simonis Magi, qui Angelos quoſdam quaſi minores Deos adorandos docuit, quia mundum fabricârunt, & iiſdem ſacrificia offerenda præcepit, qui denique ſummum latriæ cultum Angelis exhibuit; ad Papiſtas autem hæc non ſpectare, qui duliam ſolummodò illis præſtant, id eſt, cultum divino inferiorem.

Sed nihil valet hæc tergiverſatio Ieſuitica; nam Apoſtolus non hanc aut illam, ſed omnem θρησκείαν Angelorum vetat, id eſt, omnem cultum religioſum in verbo divino non fundatum, ſive Magorum ſit, ſive Pontificiorum: ridiculè igitur dicitur, Vetuit cultum illum religioſum quem Simon Magus Angelis exhibuit; ergò non illum quem Papiſtæ exhibent: nam utrunque vetuit. Ad hæc, ne ipſi Platonici aut Hæretici colebant Angelos cum apprehenſione eorum tanquam primi principii, ſed tanquam miniſtrorum ſub Deo; poterant itaque uti illâ diſtinctione duliæ & latriæ æquè ac Papiſtæ noſtri. Denique Patres in hunc locum, dicunt eundem cultum prohiberi quem quotidie præſtant Papiſtę

piſtæ; cultum ſcilicet invocationis quo Angelos agnoſcebant pro Mediatoribus inter Deum & hominem. Sic enim Theodoretus & Chryſoſtomus; quorum prior dicit oratoria Michaeli Angelo fuiſſe extructa ab illis idololatricis Angelorum cultoribus: quod fieri à Papiſtis nemo neſcit.

Sed quia Papiſtæ quicquid cultus exhibent ſive Angelis ſive Sanctis, ſemper hac rimâ elabuntur, ſe ea non exhibere eo animo ut colant illos latriâ, tanquam primum principium, & bonorum authores, ſed duliâ, tanquam gratioſos Dei famulos, quorum auxilio faciliùs impetrent quidvis à Deo omnium bonorum fonte; clarè oſtendemus iſtos ea præſtare Angelis & Sanctis, quę pertinent ad ſummam illam latriam: omiſsâ itaque tacitâ iſtorum mente & intentione quam ſolus Deus novit, nos ab externis actibus qui incurrunt in omnium aures & oculos, hac de rę judicium faciemus.

1. Oratio ſive invocatio religioſa eſt actus latriæ; nam cùm religioſè oramus, agnoſcimus illum quem invocamus nos audire poſſe, nos liberare poſſe, nobis bona quæ petimus donare poſſe; Vnde illud Pſalmiſtæ, *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me:* at Pontificii invocant Angelos & Sanctos, putant ſe liberatos illorum auxilio, illos denique honorificant ob liberationem ſuam: jam verò hæc omnia ſunt ſolius Dei propria, ubique adeſſe, & audire preces omnium invocantium, ſupplicantes liberare malis impendentibus, donare bonis, honoribus denique, religioſis celebrari ob hanc ſuam miſericordiam: cùm itaque in ipſo invocationis actu hęc aſcribuntur Angelis & Sanctis, aſcribitur illis latria ſive cultus divinus. Hinc Tertullianus de Oratione, ſcribit *Chriſtum docuiſſe nos religioſas noſtras preces illi ſoli offerre quem ubique audire nos & videre credimus.* Et adverſus Marcionem 4. *Qui alii Deo ſupplicat, & non Creatori, non orat illum ſed infamat.*

2. Votum alicui facere eſt actus latrię ſoli Deo exhibendus. Eſa.19.21. Et Pſal.50.15. *Immola Deo ſacrificium laudis; redde altiſſimo vota.* Et Pſ.76.11. *Vovete & reddite Domino Deo veſtro.* Ipſe Aquin. 2.2.qu.88.art.1. votum ſic definit, *Votum eſt promiſſio Deo facta, quâ ordinamus promiſſa in divinum obſequium.* Iam verò Pontificii negare non poſſunt ſe vota facere Angelis & Sanctis: unde in profeſſione Fratrum Prædicatorum illa uſitata vovendi formula, *Voveo Deo, & beatæ Mariæ, & omnibus Sanctis &c.* Quinetiam conſtituti in aliquo periculo, Sancto cujus opem implorant votum aliquod nuncupant. Quid ad hęc Bellarminus? *Deo*, inquit, *vovetur in ſignum gratitudinis erga primum principium omnium bonorum; at Sanctis vel Angelis in ſignum gratitudinis erga interceſſores, per quos à Deo beneficia accepimus.* Sed hoc idololatriam non excuſat, quia actus latrię non poſſunt

creaturis

creaturis exhiberi, quacunq; intentione aut reſpectu: nam quod de votis Bellarminus, id de ſacrificiis ſub Veteri Teſtamento dici potuit; ſcilicet ſacrificandum ſoli Deo, in ſignum gratitudinis & obſequii erga primum Principium; ſed Angelis vel defunctis Patriarchis ſacrificari potuiſſe, in ſignum gratitudinis & obſequii erga Mediatores & Interceſſores.

3. Templum (id eſt, domum orationis & cultus religioſi) aras, ſuffitum in alicujus honorem facere, eſt illi divinum honorem impertire. De templis Auguſtinus contr. Max. Arrian. *Si Angelo faceremus templum, anathematizaremur à veritate Chriſti, & Eccleſiâ Dei.* Sic de aris; *Ara eſt quæ teſtatur haberi pro Numine cui erigitur.* De ſuffitu palam eſt tam apud Ethnicos quam Judæos fuiſſe divini honoris ſignum a Deo in ſuum cultum inſtitutum, Exod. 30. 37. Hæc omnia Angelis veteres Hæretici tribuerunt; hæc Angelis & Sanctis Papiſtę tribuunt. De templis Bellarminus de Cultu Sanct. lib. 3. cap. 4. *Sacræ domus non ſolùm Deo, ſed etiam Sanctis rectè ædificantur, & dedicantur: idque ut ibi tanquam Patronus colatur, & invocetur ille cui dedicatur, putà Petrus aut Paulus.* At Deus ad ſe hunc honorem revocat, *Domus mea domus orationis vocabitur*; Matth. 21. De aris idem fatetur dedicari Sanctis, ſed non ſub ratione aræ, ſed monumenti, aut ſepulchri. Sed quæ hæc inſania eſt, eas res ad alios reſpectus, & inferiorem cultum referre, quæ Deus ipſe in verbo ad cultum latriæ aſtrinxit? Poſtremò de ſuffitu idem Bellarminus concedit ſuaves odores incendi ipſis imaginibus ſive Angelorum ſive Sanctorum: at hæc cæremonia (uti dictum eſt) ad externos actus latriæ refertur: concludamus itaque cum Apoſtolo tam contra veteres Hæreticos quàm hoſce novos; *Nemo vos ſeducat in cultu Angelorum* vel Sanctorum: nam quod Dei proprium eſt, ab utriſque communicatur creaturis.

Pergamus, & reliqua breviter abſolvamus.

In ea quæ non vidit ſeſe ingerens] Doctrinam hanc de cultu Angelorum duplici nomine rejicit. Primò (utì videtis) quia fluxit ab illis qui de rebus ſibi prorſus incognitis quidvis temerè comminiſci & audacter affirmare ſolent. Cùm enim dicit *in ea quæ non vidit ſeſe ingerens*, hoc vult; Statuens vel decernens de illis rebus, quarum certitudinem neque vidit fidei oculis revelatam in verbo Dei, neque ſanæ rationis judicio inveſtigavit, neque ullâ certæ cognitionis viâ comprehendit. In hos igitur convenit illud Apoſtoli, 1. ad Timoth. 1. 7. *Doctores eſſe volunt, non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus aſſeverant.* Si enim quæras ab illis qui Angelos & Sanctos à nobis coli volunt invocationibus, templorum & ararum dedicationibus, votorum nuncupationibus, aliiſque cæremoniis religioſis, unde didicerunt hunc cultum illis deberi; non poſſunt dicere ſe ex verbo Dei,

aut

aut exemplo Prophetarum aut Apoſtolorum, aut ullâ certâ ratione ſe hoc didiciſſe, ſed tantummodò ſe pro libidine ità ſtatuere de rebus ſibi prorſus incognitis. Progredere & ab illis percontare, quandoquidem volunt à nobis Sanctos vel Angelos invocari, quomodò fidem faciunt illos audire ſemper & percipere omnium ſupplicantium orationes. Quidam reſpondebunt Angelos & Sanctos à principio beatitudinis ſuæ videre omnia quę a nobis geruntur in ſpeculo divinitatis. Alii arbitrantur ab ipſo Deo revelari orationes noſtras illis quos invocamus, eo ipſo momento quo preces fundimus. Nonnulli Sanctos putant ex relatione Angelorum ſcire preces hominum. Sed de his nihil habent certâ ratione ſtabilitum. Sic ingenuè fatetur Cajetanus in 2. 2. quæſt. 88. art. 5. *Certâ ratione neſcimus an Sancti noſtra vota cognoſcant, quamvis piè hoc credamus.* Ingerunt ſe igitur in ea quæ non viderunt.

Corollaria.

Non ferenda eſt illorum audax curioſitas, qui ingerunt ſe in determinationem illarum rerum quarum inveſtigatio ſuperat captum humanum: nam ut prudenter monet Apoſtolus, *Ne quis ſapiat ſuprà quàm oportet ſapere, ſed ſapiat ad ſobrietatem. Ubi res obſcura noſtrum modulum vincit, & aperte divina Scriptura non ſubvenit, temerè aliquid definire humana conjectura præſumit*; Auguſt. ad Opt. Epiſt. 157. *Coroll.* 1.

De rebus ad religionem ſpectantibus nihil ſtatuendum abſque certo fundamento; illud autem fundamentum eſt verbum Dei; in hoc enim videmus quæcunque videmus ſpectantia ad ſalutem noſtram. Qui aliquid ingerit quod hîc non reperit, is non vidit illud, ſed per ſomnium putat ſe vidiſſe. *Coroll.* 2.

Non ſunt damnandæ Eccleſiæ noſtræ quòd non recipiunt illa dogmata de Purgatorio, de Indulgentiis, de cultu Sanctorum, & reliqua ejuſdem farinæ; quia (ut demus non eſſe repugnantia verbo Dei, quod tamen concedi non poteſt) certum eſt, nec Patres nec Pontificios aliquid horum in Scripturis reperiſſe. Non obligamur autem fidem adhibere hominibus, quando ingerunt nobis ea quæ ipſi non viderunt. *Coroll.* 3.

Tyrannidem igitur exercent in Eccleſiam, qui Hæreticos pronunciant, & anathemate feriunt illos omnes qui nolunt pro fidei Articulis habere hæc hominum commenta. Atq; hæc de certæ cognitionis defectu in iſtis ſeductoribus. *Coroll.* 4.

Temerè inflatus mente carnis ſuæ] Hîc rurſus reprehendit doctrinam prædictam, quòd non modò inſcitiâ laborent ejuſdem authores, ſed inſuper turgeſcant ſuperbiâ; & indè præſumant ſua inventa eſſe ipſius veritatis dictata. Nam *mens carnis* deſignat hominis animalis rationem, vel perſpicacitatem non illuminatam Spiritu divino. Temerè igitur opinantur ſe poſſe veritatem

tatem in religionis negotio propriâ perſpicacitate invenire; cùm *animalis homo non poſſit percipere quæ ſunt Dei*, 1.Cor.2.14. Vnde rectè Athenagoras in ſua pro Chriſtianis Apologiâ; *Quamvis Philoſophi tantum potuerint quantum ratio valet, non invenerunt tamen veritatem de Deo, quia illam non à Deo ſed à ſeipſis ſinguli cognoſcère voluerunt.*

Obſerventur itaque hoc in loco tres impoſtorum proprietates.

1 In rebus divinis confidere acumini rationis ſuæ, & putare ſe poſſe eruere myſteria religionis lumine naturæ. Hoc fuit veterum Hęreticorum, hoc Pontificiorum vitium eſt; qui in religionis & fidei materiâ, non pauciora habent dogmata ex humana ratione orta, quàm ex Scripturis hauſta.

2 Stultâ quâdam philautiâ amare hęc proprii cerebri inventa, & ſimiarum more deformiſſimam hanc ſui ingenii prolem pro ſummâ & pulcherrimâ ſapientiâ oſtentare. Solenne hoc fuit omnibus Hæreticis, qui doctrinas clarè in Scripturis traditas, præ hiſce ſuis inventis, quaſi res ante pedes poſitas contempſerunt.

3 Non modò amare & efferre haſce doctrinas ortas ex mente ſuâ carnali, ſed ità inſuper turgeſcere ut habeant hæc ſua ſomnia pro ipſius Spiritus ſancti revelationibus. Putant igitur ſe Spiritu repletos, cùm inani vento diſtenti ſunt & turgidi. Poſſem hæc omnia confirmare veterum Hæreticorum exemplis, ſed non opus eſt vetera repetere; Pontificios noſtros intuemini, qui in omnibus illis quę ſine verbi authoritate obtrudunt populo Chriſtiano, non erubeſcunt illud Apoſtolorum uſurpare, *Viſum eſt nobis & Spiritui ſancto.* Atque hęc de ſecunda ſpecie impoſturarum, quæ fundatur in acumine ingenii humani.

VERS. XIX.

Neque tenens caput, ex quo totum corpus per commiſſuras & juncturas ſuppeditatum & compactum augeſcit augmento Dei.

PErgit Apoſtolus in refellenda ſeductorum doctrina de cultu Angelorum; ídque facit novo argumento, eóque omnium graviſſimo: ſic autem inſtitui poteſt. Non ſunt à vobis audiendi qui conantur vos divellere à Chriſto Capite veſtro; ſed qui cultum Angelorum ingerunt, hoc faciunt; rejiciantur itaque & illi & eorum doctrina. Majorem propoſitionem quia per ſe clara eſt omiſit: minorem diſertis verbis expreſſit; *Neque tenens caput.* Connectenda enim hæc ſunt cum præcedentibus, in quibus taxantur qui cultum Angelorum introducunt, quòd ſeſe ingerunt in incognita, quòd turgeſcant opinione prudentiæ ſuæ; & jam ultimo in loco addit, quòd neque ipſum Caput tenent. De-

indè

inde ſubnectit hujus argumenti amplificationem petitam ab effectis Capitis, & fructu eorundem. Effecta duo tanguntur. Primum, Caput hoc ſuppeditat membris ſuis omnia neceſſaria. Secundum, compingit & connectit eadem tum ſibi, tum invicem inter ſe. Fructus poſtremò ſequitur, augmentum ſpirituale ipſius Eccleſiæ: ergò à tali Capite non eſt recedendum.

Neque tenens caput] Hoc eſt illud capitale crimen ſeductorum, dum Angelos coli volunt Chriſti dignitatem imminutum eunt; nam adimunt illi prærogativam Capitis. Caput non tenent, quia nec ipſi de hujus Capitis virtute & ſufficientia rectè ſentiunt, nec aliis prædicant. Chriſtus enim θεάνθρωπος Caput eſt Eccleſiæ. Si Deum agnoſcerent, ab eo ſolo gratiam ac ſalutem quærerent; ſi hominem, non Angelos aut alios homines ſolicitarent ut pro illis apud Deum intercederent, cùm habeant Chriſtum primogenitum noſtrum fratrem ad dextram Dei perpetuò aſſidentem. Quamvis igitur verbo tenus concedunt Chriſto nomen Capitis Eccleſiæ, rem tamen & ipſam Capitis prærogativam illi adimunt, dum miſericordiam, gratiam, merita, remiſſionem peccatorum ſperant ſe faciliùs obtenturos mediatione Sanctorum aut Angelorum quàm Chriſti; & proinde cultum invocationis illis exhibent ſæpiùs & vehementiùs quàm ipſi Chriſto.

Corollaria.

Primarius eſt Satanæ ſcopus, per ſuos miniſtros ſeductores abducere Chriſtianos à Chriſto Capite, & illis perſuadere ut aliis adminiculis nitantur ad ſalutem, non ſolo Chriſto. *Coroll.* 1.

Qui ſalutis ſuæ curam gerunt nunquam debent oculos avertere à Capite ſuo; nam ſi technis ſeductorum ab illo divellantur, actum eſt de ſalute. *Coroll.* 2.

Divelluntur Chriſtiani, & Caput non tenent, quoties amplectuntur novas doctrinas, novos cultus, nova ſalutis media, à Chriſto & Apoſtolis nunquam præcepta aut tradita. ***Si quis diverſam docet doctrinam, neque accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, is turget nihil ſciens***; 1. Timot. 6. 3. Atque hæc de crimine ſeductorum, quòd ſcilicet non tenent Caput; quo argumento probavit Apoſtolos illos eſſe rejiciendos. *Coroll.* 3.

Iam ſi quæratur cur ſint cavendi qui Caput non tenent, aut cur ſit nobis tam neceſſarium Capiti adhærere; id oſtendit Apoſtolus ab effectis influxúque Capitis, & fructu eorundem; quæ hiſce verbis comprehenduntur,

Ex quo totum corpus per commiſſuras & juncturas ſuppeditatum & compactum augeſcit augmentis Dei] Illuſtrat effecta Chriſti Capitis Metaphoris à capite & corpore naturali deſumptis. Quemadmodum enim membra dum capiti junguntur, ab illo recipiunt vitam, motum, & ſenſum, per arterias, venas, & nervos, atque etiam quibuſdam ligamentis inter ſe connectun-

tur: ſic dum Chriſtiani Chriſto Capiti adhærent, ab eo percipiunt & hauriunt vitam ſpiritualem, per commiſſuras & juncturas ſpirituales, & inſuper firmiſſimis vinculis ad invicem colliguntur.

Commiſſuræ ſive ἁφαὶ vocantur, ea omnia quæ nos Chriſto devinciunt, & per quæ cœleſtia bona nobis ſuppeditantur: juncturæ ſive σύνδεσμοι, ea omnia per quæ membra ſub hoc Capite ſibi cohærent, & utilitates mutuas ad invicem communicant.

Vocabulum *ſuppeditatum* itaq; conjungendum eſt cum *commiſſuris*; *compactum* cum *juncturis*: prius reſpicit unionem membrorum ad Chriſtum, poſterius unionem & colligationem membrorum inter ſe; ex utroque ſequitur augmentum Eccleſiæ: quæ duo perſpicuitatis causâ diveliemus.

Prius igitur effectum quod habetur ex adhæſione ad Chriſtum Caput noſtrum hoc eſt, quòd totum corpus (illi nimirum adhærens) per commiſſuras ſuppeditatur.

Iam verò commiſſuræ, per quas Chriſto Capiti jungimur, & per quas Chriſti influxus ad nos derivatur, ſunt Spiritus Chriſti, & dona ejuſdem Spiritus, præſertim fides, quæ manus eſt quâ apprehenduntur ſpiritualia beneficia.

Sine Spiritu Chriſti nemo Chriſto conjungitur: ***Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus***; Roman. 8.9. Vt itaque vivificemur & uniamur Chriſto, primo omnium effundit in nos Deus Spiritum Chriſti. Quemadmodum enim illud membrum non eſt verè unitum capiti, quod non informatur eadem formâ quâ ipſum caput: ſic nec ille Chriſtianus Chriſto unitur, qui caret Spiritu Chriſti. Eſt itaq; hic Spiritus primaria commiſſura per quam nos tangimus Chriſtum, Chriſtus nos, & unus alium mutuò, & per quam omnia dona ad nos derivantur. Inter hæc dona autem primarium locum obtinet fides, per quam ſecundariò unimur Chriſto, & per quam Chriſti juſtitiam, remiſſionem peccatorum, omnémque gratiam in Evangelio promiſſam à Chriſto accipimus; ***Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet in æternum***; Ioan.6.35. Eſt igitur fides illa altera commiſſura per quam Chriſto jungimur, & cujus ope ad nos derivatur gratia Evangelica. Nam totum corpus quod ſic per Spiritum & fidem adhæret Chriſto Capiti ἐπιχορηγεῖται. Quid hoc eſt? Græci χορηγὸν appellant illum qui omnia ornamenta ſuppeditat ſacras choreas agentibus: ab his ductâ Metaphorâ, χορηγεῖν dicitur, quicunque aliis ſuppeditat res ad quemcunq; finem neceſſarias, & ἐπιχορηγεῖν eſt hoc facere abundè & copiosè. Cùm igitur à Chriſto dicitur totum corpus Eccleſiæ per prædictas commiſſuras ἐπιχορηγούμενον, id vult Apoſtolus, omnia ab illo abundè ſuppeditari Eccleſiæ ſuæ ſibi adhærenti, quæ ſunt ad ejus ſalutem neceſſaria. Sive enim (ut utar ſcholæ

verbis)

verbis) gratiã gratum facientem, ſive gratiam gratis datam reſpicimus, Chriſtus per Spiritum abundè communicavit utramque Eccleſiæ ſuæ; ità ut nihil non ſit illi ſuppeditatum à Capite ſuo, quod vel optare potuit in ordine ad vitam æternam. De illa gratia quæ ſpectat ad juſtificationem & ſanctificationem particularis alicujus perſonæ, teſtatur Apoſtolus illam per Chriſtum eſſe omnibus ſuis membris ſuppeditatam; Rom. 8.10. & 2.Cor.8.9. Quod attinet ad illam quæ ad ædificationem Eccleſiæ refertur, illa etiam gratiæ dona abundè ſuppeditantur Eccleſiæ; 1.Cor.12.7. &c. & ad Epheſ.4.11.12. Hęc de priore effecto.

Corollaria.

In toto Chriſti corpore nullum reperitur membrum aridum, ſed omnia rigantur fluentis gratiæ à Capite Chriſto dimanantibus. *Coroll.* 1.

Adhærere Pontifici Romano tanquam Capiti viſibili, non facit verum membrum Eccleſiæ: ſed adhærere Capiti Chriſto. Hypocritæ igitur, & impii, non ſunt vera membra Eccleſiæ Catholicæ, cuicunque Eccleſię viſibili ſe adjungant, niſi per commiſſuras Spiritus & fidei uniantur Capiti. *Coroll.* 2.

Totum corpus Eccleſiæ ſuppeditatur à Capite ſuo, non unum membrum ab alio, quod attinet ad doctrinam & gratiam ſalutiferam; unde in hunc locum Theodoretus, *A Chriſto Domino & doctrinæ fontes & ſalutis materiam accipit Eccleſia.* *Coroll.* 3.

Errant Pontificii qui volunt Eccleſiam haurire doctrinam ſalutis non ſolùm à Chriſto Capite, ſed ab humanis traditionibus: qui volunt etiam illam accipere materiam ſalutis, ſanctitatem ſcilicet, merita, & ſatisfactiones, non à ſolo Chriſto Chriſtíque paſſione, ſed ab Angelis, à Sanctis, atque paſſionibus Sanctorum. Hæc ſi vera eſſent, non eſſet verum hoc Apoſtoli dictum, A Chriſto Capite totum ejus corpus eſſe ἐπιχορηγούμενον, id eſt, abundè ſuppeditatum & inſtructum ad ſalutis conſecutionem. Hęc de primo effecto quod obtinetur ab iis qui adhærent Chriſto Capiti. *Coroll.* 4.

Secundum effectum Capitis eſt, quòd illius virtute *totum corpus eſt per juncturas compactum.* Hęc verba, utì dictum eſt, reſpiciunt unionem & colligationem membrorum non modò ad caput ſuum, ſed inter ſe; nam, ut eſt ad Rom.12.5. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, &c.* Iuncturæ autem ſive σύνδεσμοι, quorum ope in unum corpus compingimur, ſunt eadem de quibus antè diximus; Spiritus, & Spiritús dona. Idem enim Spiritus qui nos unit Chriſto, eſt principalis illa junctura quâ ad invicem unimur; *Nam per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus*; 1.Cor.12.13. Iam verò poſtquam hic Spiritus infuſus eſt in omnes Eccleſiæ artus, accendit in ſingulis eximium

illud donum charitatis, quod etiam eſt firmiſſimum cohæſionis vinculum.

Sunt etiam & alia ligamenta, quibus ad invicem devinciuntur membra Eccleſiæ, diverſitas ſcilicet donorum & vocationum ab eodem Spiritu dimanantium; nam *Deus dedit alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores & Doctores* πρὸς τὸν καταρτισμὸν *ad coagmentationem Eccleſiæ, & ædificationem corporis Chriſti*; Eph.4.11.12. Hæc ſunt igitur eximia illa effecta quæ habentur ab illis omnibus qui adhærent Capiti Chriſto, quę amittuntur ab illis qui Caput non obtinent; nam ſeparatis & divulſis nihil loci in hoc corpore ubi omnia compacta.

Iam reſtat ut de fructu dicamus qui oritur ex hac unione membrorum ad caput, & colligatione eorum inter ſe, ac effectis conſequentibus: is autem hiſce verbis exprimitur,

Augeſcit augmento Dei] Dum uniti manent Chriſto Capiti per veram fidem, & colligati inter ſe per charitatem, totum corpus Eccleſiæ *augeſcit &c. Augmentum Dei* appellat ſpirituale incrementum Chriſtiani in vera fide, charitate, ſanctitate, & omni gratia ſalutari. *Dei* dicitur hoc incrementum, tum quia à Deo eſt, tanquam à primario efficiente; *nam Paulus plantat, Apollos rigat, ſed Deus dat incrementum*; 1.Cor.3.6. tum quia ad Dei gloriam tendit, tanquam ad finem ultimum; tum quia eſt divinum quoddam & ſpirituale augmentum, non carnale aut terrenum.

Obſervationes de augmento Eccleſiæ.

Obſerv. 1. Vt accretio in corpore naturali fit ſecundum omnes partes; ſic in corpore myſtico Eccleſiæ omnia & ſingula membra ejuſdem augeſcunt ſpiritualiter. Non eſt itaque vivum membrum hujus corporis, quod non augetur.

Obſerv. 2. Non quodvis augmentum probatur, ſed quod à Deo proficiſcitur. Nam ut corporis naturalis membrum quodcunque non propriè dicitur augeri cùm inflatur malo aliquo humore: ſic non augetur fides aut pietas Chriſtiani hominis cùm mens ejus repletur traditionibus humanis & ἐθελοθρησκείᾳ· quia hæc non ſunt à Spiritu, ſed ab inani flatu inſcitiæ & ſuperbiæ.

Obſerv. 3. Hinc diſcimus non decipi incompoſitâ illâ mole Eccleſiæ Romanæ. Sit illud regnum Papę procerum, amplum, ubique terrarum diffuſum; non probatur tamen eſſe corpus Chriſti. Cur? Quia auctum eſt augmento externi ſplendoris & rerum temporalium; auctum eſt mole traditionum & acceſſione multarum ſuperſtitionum, non verâ cognitione Dei, non ſincerâ pietate, (ut verbo dicam) non hoc *Dei augmento*. De hac itaque Eccleſia vetè dici poteſt quod de Cyclope dixit Poeta,

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Lumen

Lumen (inquam) verbi divini, quo ſublato non creſcunt Eccleſiæ ſed turgent. Atque hæc de ſecundo membro hujus concluſionis Apoſtolicæ, in qua rejicit & damnat curioſas ſpeculationes, & doctrinas, ortas ex acumine carnalis rationis, non ex revelatione verbi divini.

VERS. XX. XXI.

Itaque ſi mortui cum Chriſto eſtis ab elementis mundi, quid ut viventes in mundo, ritibus oneramini?
Ne attigeris, neque guſtâris, neque contrectâris, &c.

AB hoc verſu viceſimo ad finem uſque Capitis concludit contra ultimam falſæ religionis vel impoſturæ ſpeciem, quæ ſita eſt in ritibus externis qui hominum conſcientiis imponuntur ſub opinione neceſſitatis, cultus, aut juſtitiæ. Obſervandus eſt ipſe ordo refutationis: nam primò concluſit Iudaicas cæremonias ab ipſo Deo inſtitutas non obligare Chriſtianos; ab hiſce exorſus eſt, tanquam à dignioribus, quia habebant ſpeciem authoritatis divinæ: ſecundò, rejecit novas illas doctrinas, quæ ex acumine Philoſophico originem traxerunt: jam ultimo in loco dimicat contra illas ſuperſtitioſas obſervationes, quæ ab hominibus inventæ obtruduntur, non prætextu mandati divini, ſed ſupererogationis, humilitatis, mortificationis, &c. ut patet ex verſu ultimo. Quod attinet ad tertiam & ultimam hanc partem concluſionis Apoſtolicæ, quatuor membris conſtare videtur.

1. Proponitur argumentum generale contra hoſce ritus ab hominibus introductos; ver.20.

2. Oſtenditur particularibus inſtantiis, quales ritus hîc damnentur ab Apoſtolo; ver.21.

3. Continentur duo argumenta contra eoſdem ritus: unum ducitur ab ipſarum rerum naturâ de quibus iſtæ prohibitiones fiunt: alterum ab origine ipſarum prohibitionum; ver.22.

4. Exponitur quibus coloribus illinere ſolent ſeductores hæc ſua mandata: & illis non obſtantibus, concludit in iſtis ritibus nihil eſſe veræ ſapientiæ aut pietatis; ver.23.

Si mortui cum Chriſto eſtis ab elementis mundi, &c.] Mortuum eſſe hoc in loco, eſt liberatum eſſe ab elementis mundi, ità ut nihilo plus juris in te habeant, quàm leges mundanæ in mortuos.

Quid ut viventes in mundo &c.] Id eſt, cur tanquam ſubjecti iſtis mundanis elementis, cultum Dei, & juſtitiam quæritis in ejuſmodi rebus? Nam homines ſubditi ſunt legibus illius loci in quo vivunt, ſed liberi ſunt à legibus illarum regionum in quibus vivere deſierunt.

δογματίζεσθε, *Ritibus oneramini*] Id eſt, novis ritibus ab hominibus excogitatis, vel veteribus humana authoritate revocatis. Nam δογματίζεσθαι eſt teneri vel obſtringi dogmatibus Magiſtrorum noſtrorum: quemadmodum Academici tenebantur dogmata Platonis ſuſcipere, Peripatetici Ariſtotelis, reliquiq; omnes illorum placita tenere quorum Sectæ ſe adjungebant. Non vult igitur Paulus Coloſſenſes in negotio ſalutis hoc modo δογματίζεσθαι, ſive in agendis, ſive in credendis. Habemus jam verborum ſententiam: deinceps excutiamus vim argumenti ipſius. Eſt itaque argumentum ductum à minore ad majus. Liberati eſtis ab illis ritibus quos ipſe Deus præſcripſit; ergò liberandi eſtis ab onere traditionum ab hominibus inventarum. Duo conſideremus; cauſam hujus liberationis, & unde liberemur.

Si mortui eſtis cum Chriſto] Mors Chriſti nos liberat à cultu cæremoniali, quod anteà ab Apoſtolo aliis verbis expreſſum fuit dicente, hac morte deletum chirographum in decretis. Nam primò, mors Chriſti promeruit ut ſui omnes liberarentur à vinculis cæremoniarum: ſecundò, non id promeruit ſolùm, ſed, ſancito novo fœdere, actu abolevit vetus cum ſuis appendicibus, ſcilicet cæremoniis Moſaicis: tertiò, apportavit fidelibus illa ipſa bona quorum umbrę erant in ritibus; expiationem ſcilicet peccati, juſtitiam, ſanctitatem, reliquáque omnia: non itaque umbram captare debemus in cęremoniis, cùm ipſam ſubſtantiam habemus in morte Chriſti. Sed hac de re ſępe à nobis dictum eſt, leviter itaque perſtrinxiſſe ſufficiat.

Iam unde liberantur Chriſtiani perpendamus. Primò, liberantur per mortem Chriſti ab elementis mundi, id eſt, ab illis ritibus, vel ab illa pædagogica diſciplina, quâ olim Deus ipſe per Moſen mundum erudivit, & quæ ſita fuit in rebus caducis & elementaribus. Hoc jam ſupponitur, quia ſuprà probatum fuit. Secundò, liberati ſunt à ſervitute rituum & dogmatum humanorum; hoc colligitur & infertur ex priore liberatione. Nam illa interrogatio, *quid ut viventes in mundo ritibus oneramini?* perinde valet ac ſi dixiſſet, Iniquiſſimum eſt ut vobis hoc jugum imponant, ſtultiſſimi eſtis ſi colla ſubmittitis: non enim Deus cultum cæremonialem à ſeipſo inſtitutum abrogari voluit, ut novus ab hominibus excogitaretur. Ex hiſce antecedentibus oriuntur hęc Corollaria.

Coroll. 1. Qui Chriſto nomina dederunt ſolam Evangelii doctrinam ſequi tenentur, quod attinet ad juſtitiam & ſalutem. Nam rectè in hunc locum Ambroſius; ***Omnis qui in Chriſtum baptizatur, cunctis ſuperſtitionibus abrenunciat, ut ſolam colat fidem Chriſti.***

Coroll. 2. Qui Chriſtianos adigunt ad Iudaicas cæremonias, tyrannidem exercent in populum Dei, & quaſi à mortuis tributa exigunt.

gunt. Non enim mortui magis liberi à Magiſtratuum imperio, quàm Chriſtiani à Lege Moſis. Vnde ſacra Scriptura modò dicit nos eſſe *mortuos & liberos ab hiſce elementis*; modò *ipſa antiquata eſſe & mortua*, ut ab omnibus intelligatur Chriſtianorum conſcientias nullo pacto iſtis ſubjici oportere.

Si non iſtis, tum multò minùs illaqueandæ ſunt conſcientię ritibus humanitùs inventis, ità ut in illis cogantur quęrere ſanctitatem, juſtitiam, & ſalutem. Si enim hoc fine obtrudantur, illo fulmine evertuntur; *Fruſtra me colunt mandatis hominum.* *Coroll.* 3.

Peccant igitur non modò qui nova decreta fabricantur in religione, ſed qui iiſdem ſe ſubjiciunt, & libertatem Chriſti ſanguine partam patiuntur ſibi eripi. *Quid ritibus oneramini?* inquit Apoſtolus: quaſi diceret, veſtrum eſt hoc jugum recuſare, & *in libertate quâ Chriſtus vos liberavit perſtare*; ut Paulus monet ad Galatas 5. 1. *Coroll.* 4.

Sed hîc illud obiter monere oportet, hæc omnia intelligi de illis ritibus & cæremoniis quę obtruduntur ut cultus divini partes, ut ſanctitatis & juſtitiæ officia neceſſaria, ut ipſius conſcientiæ per ſe obligatoria. Si enim ordinis causâ ritus inſtituantur ab illis qui præſunt Eccleſiæ; ut de veſtitu decenti Miniſtrorum, de tempore publicorum jejuniorum aut feſtorum, de tota denique diſciplina externa quæ in ſacris officiis peragendis obſervari debet; hæc non ad ſuperſtitionem pertinent, ſed ad legitimam poteſtatem eorum qui præficiuntur Eccleſiæ, & ad fugiendam ἀταξίαν. Atque hæc de argumento generali, quo probatur Chriſtianos liberos eſſe à ritibus.

Vers. 21. *Ne attigeris, neque guſtâris, neque contrectâris*] Damnavit Apoſtolus ſeductorum audaciam, qui, cùm ipſe Deus nos liberos eſſe voluerit à Lege cęremoniali, auſi ſunt tamen conſcientias Chriſtianorum humanis ritibus & traditionibus onerare. Iam particularibus inſtantiis declarat quales erant illi ritus pro quibus pugnabant Pſeudoapoſtoli: hoc autem facit Mimeticè, introducendo ipſa verba & decreta iſtorum; *Ne attigeris, ne guſtâris &c.* Ambroſius hunc locum ità explicat quaſi Paulus in ſua perſona loqueretur, & Chriſtianos deterreret ab omni cupiditate rerum mundanarum. Sed proculdubiò illum fefellit Figura dictionis; Mimeticè enim vel Recitativè hæc proferuntur ab Apoſtolo, non Dogmaticè: quod Auguſtinus & omnes recentiores Interpretes agnoſcunt. Sed inter hos etiam eſt aliqua diſſenſio de ſenſu verborum. Alii hæc referunt ad res diverſas, hoc modo; *Ne attigeris*, putà cadaver, quia immundum eſt: *Ne guſtâris* de hoc vel illo cibo quia prohibitus eſt: *Ne attrectâris*, putà vaſa ſacra, quia ſunt conſecrata. Alii autem hæc omnia referunt ad cibos, hoc ſenſu; μὴ ἅψῃ *ne eſitâris*, id eſt, quantumvìs tenuiter; Græcum enim hoc vocabulum, non modò tangere

ſignificat, ſed eſitare. *Ne guſtâris*, id eſt, ne hunc vel illum cibum vel ori admoveas, etiamſi nihil indè deglutias. Poſtremò, *ne attrectâris*, id eſt, ne vel manibus tangas, licèt abſit omnis guſtandi cupiditas. Hac itaque gradatione depingitur progreſſus Pſeudoapoſtolorum in ſuis decretis: ſimul ac etenim conſcientias hominum illaqueaverint, ſemper progrediuntur ad ſtrictiora. Eſum primò prohibent aliquorum ciborum; hoc ſi obtinuerint, tum vel guſtare vetant; ſi hîc non reſtiteris, vel tangere poſtremò vetabunt.

Inſtat autem Apoſtolus potiùs in hiſce decretis de ciborum diſcrimine, quàm in aliis, quia ſemper hac in re ſuperſtitio hominum malè feriatorum ſe exeruit, ſemper in hac abſtinentia à certis cibis ſanctitatem quandam ſitam putârunt. Id vel indè colligi poteſt quòd tot locis Apoſtolus hanc ſuperſtitionem oppugnavit; *Non eſt regnum Dei eſca aut potus, ſed juſtitia & pax, &c.* ad Rom. 14. *Eſca nos non commendat Deo: neq; enim ſi veſcamur abundantiores, &c.* 1. Cor. 8. 8. *Deſciſcent quidam à fide poſterioribus temporibus, jubebunt abſtinere à cibis.* 1. Tim. 4. 3. Niſi radices altas in hominum animis egiſſet hic error, non coactus fuiſſet Apoſtolus tam frequentem operam ponere in illo extirpando.

Dub. Sed hîc quæri poteſt quid intereſt inter hanc impoſturam, & illam quam taxavit ſuprà, ver. 16. Vtroque enim in loco reprehenduntur, qui diſcrimen ciborum à Chriſtianis obſervari volebant.

Solut. Illi urgebant delectum ciborum habendum virtute divini mandati, & Legis Moſaicæ, quam nondum abrogatam agnoſcebant: ſed hi alio colore utuntur, ut poſtmodùm patebit cùm ventum fuerit ad verſum ultimum. Vtriq; igitur eandem rem urgebant, utrique conſcientias hominum illaqueabant, utrique ſanctitatem & juſtitiam in hiſce externis ritibus quærebant: ſed illi volebant hanc abſtinentiam à quibuſdam cibis eſſe rem à Deo mandatam; hi eſſe cultum voluntarium, & proinde majoris meriti apud Deum. Vt igitur Apoſtolus horum ſtultitiam meliùs traduceret, uſus eſt Ironicâ loquendi formulâ; innuens hoc modo, rem eſſe planè ridiculam in qua iſti Hypocritæ proram & puppim ſanctitatis ſitam volebant.

Hæc Documenta fluunt ex prædictis.

Docum. 1. Nullus modus eſt cæremoniarum & traditionum, ſi ſemel recipiantur cum opinione meriti & ſanctitatis; ſemper enim ad duriora imponenda progredietur imperium ſeductorum. Scitè Calvinus, *Initio ſtringunt ut ſucceſſu temporis ſtrangulent.*

Docum. 2. Reſiſtendum eſt hujuſmodi Hypocritarum decretis, non modò quòd plena ſunt erroris in ſe, ſed etiam propter periculoſam conſequentiam. Deus enim certa & fixa præſcribit in cultu ſuo; ſed ſi hominibus permiſeris hanc poteſtatem, ut liceat

ſuas

ſuas traditiones præſcribere ſub opinione cultus, indies plura & graviora accumulabunt, neque ullus onerum finis erit.

Qui ſanctitatem conſtituunt in ciborum diſcrimine, vel in hujuſmodi obſervationibus externis, utcunque ſibi ſapienter philoſophari videntur, ridiculi tamen ſunt, & ſuo merito deridendi. *Docum.* 3.

Seductores plerunque ſuis mandatis prohibent res à Deo conceſſas & valde neceſſarias, ut cibum, potum, conjugium; præcipiunt & imponunt ſuperfluas & ridiculas, ut imaginum cultus, longas peregrinationes, precum non intellectarum ad certum numerum demurmurationes, aliáſq; nænias, non modò ab omni religione, ſed etiam ab ipſa ratione abhorrentes. Concludamus itaque, neque hiſce ritibus qui ad ciborum diſcrimina pertinent, neque ullis qui conſiſtunt in rerum externarum obſervationibus, quaſi cultus aut religionis ſacroſanctæ partes eſſent, onerandas eſſe conſcientias Chriſtianorum. *Docum.* 4.

VERS. XXII.

Quæ omnia ipſo uſu pereunt, præſcripta ex mandatis & doctrinis hominum.

DUabus aliis rationibus probat, nec verum Dei cultum, nec Chriſtiani hominis juſtificationem aut ſanctitatem ſitam eſſe in obſervatione rituum, ad ciborum delectum, vel ad ullas res externas ſpectantium. Prior ratio ducitur ab ipſa natura & conditione harum rerum; *Quæ omnia ipſo uſu pereunt.* Altera ab origine vel authoritate talium rituum; *Secundum mandata &c.*

Quæ omnia ipſo uſu pereunt] Habemus his in verbis perſpicuam & firmam rationem cur non oporteat cultum Dei aut noſtram ſanctitatem conſtituere in hiſce rebus externis. Primò, quia ipſa natura & conditio harum rerum repugnat. Nam pietas, juſtitia, ſanctitas, ſunt res ſpirituales accenſæ in corde humano operâ Spiritus ſancti. Ciborum itaque delectus, nec gignit in animo ſanctitatem & juſtitiam, nec oſtendit. Nam ſeu carnibus veſcaris, ſeu piſcibus, ſive fructibus, uteris rebus terrenis & pereuntibus, quibus nulla vis ſpiritualis ineſt ad animam ſanctificandam aut contaminandam. Secundò, quia finis ſive uſus ciborum ab ipſo Deo intentus eſt ad corporalem ſuſtentationem, non ad animarum ſanctificationem: voluit enim ut ipſo uſu conſumerentur, non ut indè expectaremus ſpirituales fructus juſtitiæ, ſanctitatis, meritorum, &c. Hinc ſacræ Scripturæ paſſim refellunt falſam opinionem illorum, qui putabant homines ſanctiores fieri per abſtinentiam à quibuſdam ciborum generibus, vel pejores indifferenti uſu ciborum quorumcunque. Ipſe Chriſtus Matth. 15. 11. Phariſæos taxat

ob

ob hunc errorem, & Diſcipulos monet ne & ipſi fallantur eodem; *Non quod ingreditur in os polluit hominem, ſed quod egreditur ex*
verſ. 12. *ore hoc polluit hominem.* Cùm autem Phariſæi, audito hoc ſermone, offenſi fuerunt, confirmat ſuam ſententiam Chriſtus ab ipſa conditione & naturâ corruptibili omnium ciborum; *Nondum* (inquit)
verſ. 17. *intelligitis quòd quicquid in os intrat in ventrem vadit, & in ſeceſſum ejicitur?* Quaſi diceret, ſtultum eſt ſanctitatem aut juſtitiam quærere in illis rebus caducis, terrenis, & corruptibilibus; vel pollutionem aliquam & peccati contaminationem ab iſtis metuere. Sunt enim hujuſmodi omnia nec bona nec mala in ſe, ſed perinde ſunt hominibus atque animi illorum ſunt qui illis utuntur. Hæc igitur eſt ipſius Chriſti ſententia de cibis. Iam verò Paulus non modò hoc in loco, ſed aliis quàm plurimis, minuit illorum opinionem, qui in ciborum diſcrimine religionem aliquam ſitam putabant; & plerunque hoc ipſo utitur argumento ſumpto à natura illorum terrena & corruptibili. 1. Cor. 6. 13. *Eſcæ ventri deſtinatæ ſunt, & venter eſcis: Deus autem & hunc, & eas abolebit.* Non dicit eſcas eſſe deſtinatas animo ſanctificando, ſed ventri ſaturando. Et ad Rom. 14. 17. (quem locum & anteà citavimus) *Non eſt regnum Dei eſca aut potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium per Spiritum ſanctum: Nam qui per hæc ſervit Chriſto, gratus eſt Deo.* Qui igitur putat ſe ſervire Chriſto in eo quòd abſtineat à quibuſdam ciborum generibus, vel quòd ſe obſtringat ad obſervationem quorumcunque rituum de rebus externis, ſeipſum fallit, neque ob haſce res Deo gratior exiſtit; ſed ſi pacem ac juſtitiam colat per Spiritum ſanctum, tum demum erit Deo gratus. Rectè Proſper de Vit. Contemp. 3. 10. *Ieiunia, abſtinentiæ, ac cætera hujuſmodi, non pro juſtitia, ſed cum juſtitia Deo ſunt exhibenda.* Si in jejunio non ſit juſtitia, quantò minùs in eo quòd ab hoc aut illo tantùm ciborum genere abſtineatur, cùm interim alii cibi ſumantur, ídque fortaſſe non accuratâ moderatione adhibitâ?

Documenta hæc ſunt.

Docum. 1. Cùm proponitur nobis aliquid obſervandum, conſideranda eſt rei ipſius natura: ſi obſervatio ſita ſit in rebus corporalibus, & pereuntibus, putà in victu, veſtitu, aut ſimilibus, non debemus in ea re immediatum Dei cultum, juſtitiam, aut ſanctitatem conſtituere.

Docum. 2. Hujuſmodi igitur mandata, ſi præſcribantur ab iis qui legitimam habent poteſtatem, ídque modo legitimo, eo ſenſu accipienda ſunt, quòd velint ea obſervari, vel externi ordinis causâ, vel quatenus ad finem aliquem utilem referri & ordinari poſſunt: non quòd per ſe ſunt partes cultus divini, aut quòd ipſo opere operato augeant juſtitiam, ſanctitatem, aut meritum noſtrum apud Deum.

Si

Si quandoque violentur iſtæ obſervationes quæ poſitæ ſunt in hiſce rebus pereuntibus, modò abſit contemptus & ſcandalum, ipsâ actus omiſſione anima non maculatur, aut reatu lethali conſtringitur; quia (ut antè oſtenſum eſt) harum rerum natura non eſt ejuſmodi, ut pertingat ad animam vel ſanctificandam, vel maculandam. *Docum.* 3.

Hinc colligimus Monachorum errorem & ſtultitiam, qui ſe reliquis omnibus mortalibus perfectiores & ſanctiores putant, quòd ſe aſtrinxerint ad abſtinendum à quibuſdam rebus externis, quibus licitè uti potuerunt; putà à carnibus, à veſtitu ſplendidiori, à privata quorumcunque bonorum poſſeſſione &c. cùm hęc omnia ſint de rerum terrenarum & corruptibilium numero, quorum uſu per ſe nemo polluitur aut deterior redditur, quorum abjectione nemo juſtior aut ſanctior efficitur. *Docum.* 4.

Quicquid laude dignũ eſt in abſtinentia ab hiſce rebus adiaphoris aut in uſu earundem, cùm ab hominibus authoritate præditis præſcribuntur, id totum pendet, non ex ipſarum rerum natura (ſunt enim terrenæ & corruptibiles) neque ex ipſo opere aut actione, ſed ex animo obedientis, & ex fine utili ad quem iſtæ obſervationes referuntur. Hæc de priori ratione petita ab ipſarum rerum natura & conditione. *Docum.* 5.

Præſcripta ex mandatis & doctrinis hominum] Hæc eſt illa altera ratio cur in illis decretis, ***Ne attigeris, ne guſtâris, ne contrectâris***, & cæteris omnibus ejuſdem farinæ, non ſit ſita religio, juſtitia, aut ſalus Chriſtianorum; quia ſcilicet non ex Deo, ſed ex hominibus originem traxerunt. Etſi enim ipſe Deus ſub Vetere Teſtamento hujuſmodi mandata cæremonialia impoſuit Judæis, ut in illis haberent umbras rerum ſpiritualium, & futurarum; tamen ſub Evangelio juſſit eadem abrogari, ità ut jam ex mandatis hominum, non ex imperio Dei imponantur. Rectè igitur dicit hæc omnia jam eſſe κατὰ τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων.

Perpendamus autem vim hujus argumenti: Hoc eſt ex mandatis & doctrinis hominum; ergò non eſt ex neceſſariis ad ſalutem, vel ad cultum Dei, vel ad juſtitiæ & ſanctitatis acquiſitionem.

Rationes.

Quia ipſe Deus hunc honorem ſibi ſoli ſervat, ut ſtatuat quid velit ad religionem & cultum ſuum directè & immediatè pertinere. ***Non facietis quod vobis rectum videtur, ſed quod præcipio tibi hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas***, Deut. 12. Hinc illud Chriſti, Matt. 15. 9. ***Fruſtra me colunt docentes doctrinas & mandata hominum.*** *Rat.* 1.

Quia ſi hæc mandata hominum pertinerent ad cultum Dei, partes ejuſdem, ſequeretur cultum Dei poſſe abrogari authori- *Rat.* 2.

tate

tate humanâ; hæc enim omnia decreta poſſunt vel tolli, vel mutari illorum authoritate per quos fuerint ab initio conſtituta: at homines hoc poſſe in Dei cultum, abſurdiſſimum.

Rat. 3. Quia ſi concedatur obſervationem humanorum decretorum per ſe eſſe opus cultus aut ſanctitatis, indè efficeretur, Deum non modò diverſo, ſed contrario planè modo coli poſſe pro hominum arbitrio. Nam hæc humana ἐντάλματα, non modò diverſa ſunt, ſed quandoque pugnantia inter ſe. Licet id videre in diverſis Monachorum generibus apud Pontificios, quibus diverſa mandata imponuntur, quod attinet ad victum, ad veſtitum, cæteráſque penè omnes obſervationes externas: licet etiam id animadvertere in diverſis Eccleſiarum ritibus; nam in Sacramentis adminiſtrandis, in ordinandis Miniſtris, in feſtis, in jejuniis, atq; in omnibus ferè rebus externis, diverſæ ſunt diverſarum Eccleſiarum cæremoniæ; atque, ut Irenæus loquitur apud Euſebium lib. 5. cap. 23. *ipſa Eccleſiarum* διαφωνία *in hiſce rebus, harmoniam fidei magis illuſtrat.* Quòd ſi hæ obſervationes & cæremoniæ humanitùs mandatæ, per ſe pertinerent ad cultum Dei, & ſanctitatem, non poſſet eſſe in illis aliqua diſcrepantia, non poſſent pro locorum diverſitate alios obligare, alios non obligare, ſed eadem eſſent apud omnes, & omnes ex æquo obligarent. Nam veriſſima eſt illa Pariſienſis regula de Fide cap. 2. *Non eſt debitus Deo cultus, qui à quocunque qui idoneus eſt ad ipſum colendum poteſt eidem abſque injuriâ denegari: una enim & communis eſt religio quâ Deus colitur, eique placetur & ſervitur ab hominibus.* Ex hiſce clarè patet, hominum mandata, & traditiones non eſſe obtrudendas Eccleſiæ ſub opinione cultus & juſtitiæ; quia ſunt hominum, & non Dei mandata.

Documenta.

Docum. 1. Id ſolùm immediatè & propriè ſpectat ad religionem & cultum Dei, quod habet teſtimonium voluntatis divinæ; *Deum ſic colere oportet quomodo ipſe ſe colendum præcepit*; Auguſt. lib. 1. de Conſenſ. Evang. cap. 18.

Docum. 2. Qui in ſuis mandatis & traditionibus obſervandis volunt religionem, juſtitiam, & ſanctitatem conſtitutam eſſe, id ſibi arrogant & ſuis inventis, quod eſt Deo & divinis mandatis peculiare: *Non ſunt fide digni de Deo dicentes homines quatenus homines*; Clem. Strom. 6.

Docum. 3. Cùm in mandatis hominum non ſit ſita ſalus aut juſtitia, graviter peccant qui hæc onera humanarum traditionum ſic multiplicant, ut indè impediantur Chriſtiani in exercitiis veræ juſtitiæ, & pietatis: *Ità* enim *plerunque evenit, ut cùm aliquid ubi non oportet adhibetur, illic ubi oportet negligatur*; Tertull. de Pœnitent. Hoc queritur ipſe Chriſtus, populum Dei abductum fuiſſe ab obſervatione mandatorum divinorum, dum toti incumbebant

bant

bant in traditiones Phariſæorum; Mat. 15.6. Hoc Gerſon reprehendit in illa colluvie cæremoniarum & traditionum Papiſticarum: *Supervacua occupatio circa traditiones humanas gignit ignorantiam divinorum præceptorum.* Hæc de ſecundo argumento ab origine horum mandatorum.

De Vit. Spirit. part. 3.

VERS. XXIII.

Quæ prætextum quidem habent ſapientiæ in cultu voluntario, & ſubmiſſione animi, & in eo quòd corpori non parcant: nec tamen ullius ſunt pretii, ſpectantia ſcilicet *ad carnem ſaturandam.*

HAbemus hiſce in verbis Apoſtoli cenſuram de humanis ritibus & traditionibus, quæ obtruduntur Chriſtianis ſub opinione neceſſitatis, juſtitiæ, aut cultus divini. Dignus ſanè locus qui diligenter expendatur. Hinc enim perſpiciemus nihil Pontificios afferre poſſe pro ſuis traditionibus, quod allatum non fuerit ab antiquis impoſtoribus, & refutatum ab Apoſtolis: nihil nos aliud facere cùm eaſdem oppugnamus, quàm quod ipſe Chriſtus, quod Apoſtoli ante nos fecerunt, & quod nos retinendæ Chriſtianæ libertatis causâ facere voluerunt.

In hoc igitur verſiculo, qui clauſulam imponit refutationi, tria ſunt nobis obſervanda & explicanda, quod attinet ad ritus hoſce ab hominibus præſcriptos.

1. Obſervare oportet conceſſionem Apoſtolicam; nam concedit illis λόγον σοφίας· *Quæ rationem quidem habent ſapientiæ.*

2. Obſervandi ſunt colores tres, quibus ut plurimùm oblinuntur traditiones humanæ, ut ſpeciem ſapientiæ præ ſe ferant. Hi ſunt ἐθελοθρησκεία, ταπεινοφροσύνη, ἀφειδία σώματος.

3. Obſervemus cenſuram Apoſtoli, qui, non obſtantibus hiſce tam pulchris coloribus, pro rebus nihili habet hæc hominum mandata; *Nec tamen ullius ſunt pretii.*

Quæ rationem quidē habent ſapientiæ] Vocabulum Græcum λόγον, alii *rationem*, alii *ſpeciem*, nonnulli *prætextum* vertunt, nullo pene ſenſus diſcrimine; hoc enim vult Apoſtolus, prædicta hominum mandata habere ſpeciem vel externam apparentiam ſapientiæ, rem ipſam & veritatem non habere. Ineſt itaque hiſce verbis Prolepſis vel Occupatio, quæ dum concedit adverſariis quod poterant obtendere, ſimul intelligi vult id nullius eſſe momenti. Cùm autem dicit Apoſtolus illas hominum doctrinas habere ſpeciem σοφίας, id vult, habere ſpeciem excellentis cujuſdam doctrinæ, & è cœlo potiùs allatæ, quàm conſilio humano excogitatæ; ſic enim ſapientiæ nomen uſurpatur à Paulo, ut rectè obſervavit Beza.

1 Habent autem hanc ſpeciem vel prætextum primò ex parte impoſtorum: nam hi ut plurimùm prætendunt, ſe non ex ſuo ſenſu quicquam depromere, ſed ab ipſo Spiritu ſapientiæ illuminatos ea promulgare. Hoc prætextu Montanus olim venditavit prophetias ſuas, & multis impoſuit: ſic enim ſcribit Tertullianus nondum Montaniſta; *Paracletum dicunt plura in Montano dixiſſe quàm Chriſtum in Evangelio protuliſſe, nec tantùm plura, ſed etiam meliora atque majora.* Qui paulò modeſtiores ſunt, nec audent immediatas Spiritus ſancti revelationes obtendere, ne tamen placita ſua carere videantur prætextu ſapientiæ divinæ, dicere ſolent (ut eſt apud Irenæum lib.3.cap.2.) *doctrinas ſuas & traditiones non quidem fuiſſe ſcripto conſignatas ab Apoſtolis, ſed per vivam vocem traditas; juxta illud, Sapientiam loquimur inter perfectos: & hanc ſapientiam unuſquiſque eorum eſſe dicit ſuas fictiones.* Hæc Irenęus. Habent itaque traditiones humanę hanc ſapientię ſpeciem ex parte impoſtorum.

De Præſcr.

2 Ex parte ſuperſtitioſorum & carnalium hominum habent ſpeciem ſapientię, quia carnalibus ſapiunt carnalia, ſordent verò ſpiritualia. Vnde illud Apoſtoli ad Rom.8. *Sapientia carnis inimica eſt Deo.* & ad Cor.1.2.5. *Fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Nam illud homini carnali videtur plenum ſapientię, quod convenit ingenio & indoli carnis; nihil autem carnali menti magis arridet, quàm ut ſalutem, juſtitiam, & ſanctitatem habeat in ritibus & rebus externis. Videtis itaque quomodo habent *ſpeciem ſapientiæ* traditiones humanę; nimirum, 1. Ex fraude impoſtorum, qui ſemper jactitant illas dimanâſſe à Spiritu ſapientię. 2. Ex carnali ingenio hominum ſuperſtitioſorum, quibus placet ſemper quęrere ſalutem, & juſtitiam in ritibus & exercitiis externis. Sed illud tamen tenendum, quòd ſpeciem tantummodò, & quaſi inanem umbram habent ſapientię, rem non habent. Nam ut Lactantius verè dixit, *illîc potiſſimùm quærendam ſapientiam, ubi ſtultitiæ titulus apparet*; ſic nos verè affirmemus, illîc ſtultitiam ſemper inveniri, ubi homini animali ſapientię titulus apparet. *Non enim iſta ſapientia deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum; ſed terrena, animalis, diabolica*; Iacob.3.15.

Inſtit.l.4.2.

Documenta.

Docum. 1. Pro impoſtoribus habendi ſunt, qui in negotio ſalutis obtrudunt nobis doctrinas, ſub prętextu revelationum vel traditionum, abſque Verbi teſtimonio. Vtcunque enim poterit eſſe ſpecies, vel ſpectrum potiùs ſapientię in hiſce inventis humanis; vera tamen & ſalutaris ſapientia nunquam in illis reperietur.

Docum. 2. Non debemus in cultu Dei ea ſectari & amplecti quę maximè probantur rationi humanę; nam ſi hac duce utamur, pro

vera

vera ſapientia in umbram & fucatam quandam ſapientię ſpeciem incidemus.

Hinc collige quid de Papiſmo ſtatuendum ſit, an ſcilicet habeat ipſam germanam ſapientiam, an ſolummodò λόγον σοφίας. Obtrudit ſuas doctrinas & ſua mandata innumera tanquam ad ſalutem neceſſaria; ſed quo prætextu? Eodem quo omnes impoſtores: ſcilicet ſua omnia decreta dimanare à Spiritu ſancto dirigente & inſpirante Eccleſiam; ſe non proferre commenta humana, ſed illas traditiones non ſcriptas quas Apoſtoli in depoſito Romæ reliquerunt. En miram ſpeciem ſapientiæ divinæ: ſed ſi adhuc quęro, quî mihi conſtabit hæc veſtra placita dimanâſſe à Spiritu Dei, & ab Apoſtolis; illud regerunt illicò, Aut Crede aut Anathema eſto; interim ex verbo Dei teſtimonium nullum. Qui ſua dogmata ſic confirmant, oſtentare poſſunt apud imperitos λόγον σοφίας, ſed apud ſobrios & prudentes rem ipſam perdidiſſe judicabuntur. Hæc de conceſſione Apoſtolica, quòd in doctrinis & mandatis ſeductorum inſit ſpecies ſolummodò divinæ ſapientiæ. *Docum.* 3.

In cultu voluntario, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ] Oſtendere incipit quibus coloribus ſeductores hanc falſam ſapientiam pingere ſolent. Primus eſt ἐθελοθρησκεία, quaſi dicas *cultum voluntarium*, id eſt, non mandatum aut præſcriptum ab ipſo Deo, ſed illi oblatum humanâ voluntate & electione. Hoc igitur urgetur ab impoſtoribus, Qui illa facit ſolummodò quæ ab ipſo Deo juſſa & mandata ſunt, nihil agit non vulgare; ſed qui tranſcendit ipſa præcepta, & Deum colit voluntariis quibuſdam operibus ad quę non tenetur, hic Angelus eſt inter homines, hic ſibi accumulat merita ſupererogationis, hic denique Deum ſibi obæratum facit. Atque hæc ἐθελοθρησκεία valde arridet humano ingenio. Nam cùm duplex ſit cultus voluntarius; unus quando quis pro ſua voluntate eligit creaturam aliquam cui deferat cultum Deo debitum; alius quando verum Deum colit, ſed non illo modo, neque illis operibus quibus cultum ſuum definivit, ſed aliis pro ſuo arbitrio electis: prior ſpecies ἐθελοθρησκείας ab omnibus ferè damnatur, quia apertè Deo detrahit quod ſuum eſt, & transfert in creaturam; ſed hęc altera laudatur à multis, quia videtur Deo quod ſuum eſt, & aliquid ultrà deferre; habet igitur quaſi voluntarię cujuſdam oblationis rationem. Hic color Monachis impoſuit, qui putant ſe ex eo quòd Deum colunt operibus quibuſdam ab ipſo Deo non mandatis eſſe in ſtatu altiori & perfectiori quàm cęteros homines qui conantur ea tantùm facere quę ſub prępcepto ſunt. Hinc etiam ſomniârunt ſe meritis adeo circumfluere, ut minimè dubitent de ingenti ſuo theſauro aliis quotidie erogare. Hinc etiam imperita plebecula non modò emendicare, ſed emercari ſolet quovis pretio merita illa exuberantia Monachorum. Imò in hunc

finem conſtituta dicunt Monaſteria, *ut ſatisfacerent pro peccatis fundatorum, & generaliter omnium*; Gerſon par. 2. Ser. de Abſtinen. Carthuſ. Ne autem nos hoc eodem colore decipiamur, meminiſſe debemus, Deum amare quidem cultorem voluntarium, hoc eſt, eum qui lętus & lubens ea facit quæ ipſe fieri juſſit; ſed odiſſe cultum voluntarium, hoc eſt, illa opera quę pro immediato Dei cultu illi offeruntur, cùm ab ipſo non fuerint prę-ſcripta & mandata ad hunc finem. Hoc enim eſt *fornicari in adinventionibus ſuis*; Pſal. 106. 39.

Illud etiam ſcire oportet, abſtinentiam à quibuſdam cibis, cælibatum, paupertatem voluntariam, reliquáq; ejus generis in quibus impoſtores hunc voluntarium cultum Dei conſtituunt, & meritum neſcio quod ſupererogationis, nihil aliud eſſe quàm res & actiones adiaphoras quæ aliquibus aliquo tempore poſſunt eſſe inſtrumenta vel media promoventia in cultu Dei; quemadmodum etiam & eorum contraria eſſe poſſunt. Sed neque in his, neque in illis, aut cultum aut meritum ſomniare debemus. Atque de primo colore, quo ſua mandata fucare ſolent ſeductores, hactenus.

Et ſubmiſſione animi] Hic eſt ſecundus color quo pinguntur hominum mandata & doctrinæ: populo enim perſuadere conantur omnes ſeductores, nihil Deo gratius humilitate, & devotâ *animi ſubmiſſione*; quam in eo conſtitutam volunt, ut Chriſtiani ſimpliciter & abſolutè ſeſe ſubjiciant præpoſitis ſuis & illorum traditionibus & mandatis, credant quæcunque illi proponunt credenda, faciant quæ illi jubent facienda. Hanc animi ſubmiſſionem maximi eſſe meriti apud Deum nugantur, quia is mandavit omnibus, *Obedite præpoſitis veſtris*; Heb. 13. quia ipſe hâc de re apertè pronunciavit, *Qui vos audit, me audit*; Mat. 8. Quinetiam addunt, hoc maximè expedire ſaluti Chriſtianorum, ut prępoſitorum mandata (ut cultum, & fidem ab illis Eccleſiæ commendatam) non diſcutiant, ſed faciant & amplectantur; quia tutiſſimum eſt ignaris ſequi ſententiam ſapientiorum.

Cùm hoc artificio ritibus & doctrinis ſuis authoritatem planè divinam paraverint, ſubmiſſio & obedientia populi Chriſtiani videtur habere λόγον σοφίας, ità ut in hac ſua ſubjectione non piè ſolùm, ſed prudenter ſe facere arbitrentur.

Ieſuitarum Pater Ignatius Loyola hoc colore deceptus, in ea epiſtola quæ in Collegiis Ieſuitarum ſingulis menſibus ad menſam legitur, monet & mandat ſeriò, ut ea quæ ſuperior jubet cæcâ obedientiâ ſimpliciter perficiant, non conſiderantes an bonum vel utile ſit quod præcipitur; quandoquidem omnis ejuſmodi cogitatio meritum tollit & valorem obedientiæ. Eſt etiam communis ſententia Romanenſium, in Chriſtianis tantam animi ſubmiſſionem eſſe debere, ut ne leviſſimè dubitent de illis quę ab Ec-

cleſia

cleſia Romana proponuntur ſive credenda ſive facienda in religione, & cultu Dei. Sed nos, hiſce non obſtantibus, verè dicamus, cæcam hanc obedientiam & animi ſubmiſſionem, non modò ſtultam eſſe, ſed impiam & irreligioſam.

Rationes.

Quia non tenemur obedire ſuperioribus niſi in caſibus in quibus ipſi ſunt nobis ſuperiores; jam quod attinet ad dogmata fidei condenda, ad cultum Dei inſtituendum, ſolus Deus nobis præeſt: ſi itaque homines conentur dogmata fidei procudere, aut novum cultum introducere, egrediuntur limites poteſtatis ſibi datæ, neque hac in re agnoſcendi ſunt ſuperiores. *Rat. 1.*

Quia præceptum inferioris poteſtatis non obligat ad obedientiam quando contrariatur præcepto ſuperioris: hinc illud Apoſtolorum Act.4. *Obedire oportet Deo potiùs quàm hominibus.* Et Cypr. de Sing. Cler. *Hominibus placere non licet ubi voluntas hominum non capit Domini voluntatem.* Hujuſmodi autem monita vana eſſent ſi in omnibus cæca obedientia deberetur ſuperioribus noſtris. *Rat.2.*

Quia nemo ſciens ſe exponit diſcrimini peccati mortalis, quin peccet mortaliter, ut loquuntur Scholaſtici; ſed quiſquis abſolutam ſubjectionem, & cæcam obedientiam hominibus vovet, aut præſtat, manifeſto diſcrimini ſe exponit; nam omnis homo errare poteſt tam jubendo ea facere quæ mala ſunt, quàm præſcribendo ea credere quę falſa ſunt. *Rat. 3.*

Quia quod Dei proprium eſt, ſine ingenti impietate hominibus non tribuitur: ſed abſolutum dominium in corpora & animas noſtras eſt Dei ſolius proprium. Illi debet voluntas humana abſolutam obedientiam, illi debet intellectus promptum in omnibus aſſenſum: hujuſmodi autem ſubjectio voluntatis & intellectus, ſi mortali alicui prętetur, lęſę majeſtatis divinę crimen incurritur. Eſt enim verum illud Tertulliani de Deo & divinis mandatis, *Audaciam exiſtimo de bono divini præcepti diſputare; neque enim quia bonum eſt auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit.* At non minùs verum illud Apoſtoli, quando homines jubent aliquid facere aut credere, *Omnia explorate, quod bonum eſt retinete*, 1. Theſ.5.21. *Rat. 4.* *Depenit.*

Sed qui hanc prępoſteram ſubmiſſionem, & cæcam obedienitam à populo efflagitant, objicere ſolent; non eſſe ſubditorum judicare de doctrina, aut juſſis ſuperiorum ſuorum, ſed potiùs pertinere ad Prelatos & ſuperiores de fide & actibus ſubditorum judicare: videntur igitur ab officio recedere, quando dubitant an illa vera ſint & legitima, quæ promulgantur & confirmantur authoritate præpoſitorum. *Dub.*

Subditi neque debent, neque poſſunt de ſuperiorum decretis judicare *Solut.*

judicare judicio authoritatis; ſed poſſunt & debent de iiſdem quatenus ad ſe ſpectant judicare judicio diſcretionis. Hujus rei cauſam optimè explicat Aquinas queſt. diſp. de Conſenſ. art. 5. *Vnusquiſque* (inquit) *tenetur actus ſuos examinare ad ſcientiam quam à Deo habet, ſive ſit naturalis, ſive acquiſita, ſive infuſa; omnis enim homo debet ſecundum rationem agere.* Hæc ille. Confirmatur hoc omnium piorum exemplo; qui etſi non arrogârunt ſibi judicium authoritatis in ipſos Prælatos aut Magiſtratus, tamen adhibuerunt judicium diſcretionis de rebus ab illis propoſitis. Videmus hoc factum à Daniele, qui judicavit edictum Darii de Deo non invocando, non eſſe à ſe obſervandum. Videmus hoc in Apoſtolis, qui judicârunt ſe piè non poſſe ſacerdotum mandatis parere; Act. 4.20. Fuit denique hoc factitatum temporibus Marianis, ab omnibus martyribus noſtris; qui rectè judicabant ſe nec credere debere quæ tum à Prælatis proponebantur credenda, nec facere quæ facienda mandabantur. Ex his igitur patet ſecundum etiam colorem ſubmiſſionis & meritoriæ humilitatis, quo humana decreta populo commendantur, evanidum eſſe, nec aliquid veræ ſapientiæ in ſe habere.

Et in eo quòd corpori non parcant, ἐν ἀφειδίᾳ σώματος] En tertium colorem, quo illito & inducto videntur humana decreta ſpeciem pietatis & ſapientiæ præ ſe ferre. Nam cùm homines carnales ut plurimùm plùs æquo occupentur in cute curanda; qui corpuſculum illud, quod cæteri impensè fovent, affligunt jejuniis, macerant vigiliis, domant flagellationibus, ſpiritualia ſapere & ſalùtem ſuam præ aliis curare judicantur. Omnia igitur illa decreta quę referri poſſunt ad hanc carnis ſubjugationem, hac larvâ ſanctitatis & mortificationis oculos imperitorum ità perſtringunt, ut interim non animadvertant venenatos errores qui in iiſdem occultari ſolent. In hiſce enim omnibus impoſtores ſemper carnis mortificationem prętendunt, ſed intus animi elationem & hypocriticam ſuperbiam alunt.

Sed quò meliùs totam hanc rem intelligamus, primò exempla quædam proferemus eorum qui hanc corporis ἀφειδίαν exercuerunt; ſecundò errores detegemus qui ſubeſſe ſolent hujuſmodi decretis & exercitiis; poſtremò, quid ſtatuendum ſit de externis hiſce exercitiis mortificandæ carnis oſtendemus.

1 Refert Evagrius Hiſtoriæ Eccl. lib. 1. cap. 21. *Monachos Palæſtinæ quandoq; quinq; dies continuos & ampliùs jejunare, atque eouſque laboribus & vigiliis ſe affligere, ut mortui videantur ſuper terram jacentes inſepulti.* Multáque alia prodigioſa narrat de iiſdem, ità tamen ut ob hoc vitæ inſtitutum eos ad cœlum laudibus efferat, vocétque illud *ſanctiſſimum & diviniſſimum vitæ genus.* Idem author alios ob continuas vigilias ἀκοιμήτους appellatos ſcribit, lib. 3. cap. 49. Bernardus Serm. 6. cap. 49. in Pſalm.

Qui

Qui habitat, ſcribit quoſdam Monachos variis corporis exercitiis, & abſtinentiis contritos eſſe ſupra vires, ſupra naturam, ſupra conſuetudinem. Hieronymus in Paulæ Epitaphio, refert illam cùm ex ardentiſſima febri reſpirâſſet, etiam tenui & parco vino uti omnino noluiſſe, licèt medicus atq; ipſe Hieronymus hoc ei inſtantiſſimè ſuaderent, & hydropis periculum ex continuo aquę potu illi imminere oſtenderent. Sed omnium celeberrimi ſunt ob hanc corporis ἀφειδίαν, Flagellantes, *quorum ordo exortus eſt anno* 1260. *Perusiæ in Thuſciâ, quando orbis terrarum fame maximâ laboravit. Hi paſſim errantes publicè ſeſe flagris ad mortem penè concidebant, atq; hæc cruenta ſacra per* 33 *dies peragebant; tum ſe expiatos ſceleribus, Deóque reconciliatos exiſtimabant, atque demum domos ſuas repetebant*; Hoſpinian. pag. 271. Facile eſſet plura exempla eorum congerere, qui hanc corporis ἀφειδίαν exercuerunt; ſed hæc ſufficiant.

Iam ſecundo in loco errores detegemus, quibus plerunque obnoxii ſunt qui vel jubere ſolent hæc, vel præſtare. 2

Errant primò in ipſa natura mortificationis Chriſtianæ: nam corporis afflictionem & injuriam reputant pro vera mortificatione; cùm illa non ad carnem præcipuè, aut inferiorem animæ partem, ſed ad mentem & voluntatem maximè pertineat: ipſa enim mens & voluntas hominis nondum renati, carnalis eſt. Stultè igitur ſomniant ſe mortificatos, debilitato, & penè confecto corpore, cùm interim anima, quæ peccati ſedes eſt, incredulitate, ſuperbiâ, invidia, aliiſque vitiis ſpiritualibus referta ſit. Vide Mirand. de Fide & Ordi. Credend. & in Expoſit. Orat. Dom.

2. Errant in ipſis mediis, vel ſaltem in modo adhibendo circa hæc media: aliud eſt enim moderatis jejuniis & vigiliis carnem edomare, ne recalcitret Spiritui; aliud ſic ejus naturales vires affligere & conterere, ut non poſſit commodè inſervire Spiritui. Nam *dum plùs juſto caro reſtringitur etiam ab exercitatione boni operis enervatur; ut ad orationem vel prædicationem non ſufficiat, dum incentiva vitiorum funditus ſuffocare feſtinat*; Gregor. Moral. 30. cap. 28. Vnde Aquinas in 12. ad Roman. ſcribit *illum amittere dignitatem hominis rationalis, qui jejunium vel vigilias præfert ſenſus integritati*. Et Gerſon par. 3. *Fuere multi, qui pro gratia contemplationis promerenda conati ſunt imitari Eliam, vel Danielem, vel Ioannem Baptiſtam, qui hac abſtinentiâ non Prophetici, ſed phantaſtici facti ſunt*.

3. Errant quòd ſeſe ad hæc externa exercitia obligant, opinione tam abſolutę neceſſitatis, ut ne valetudinis quidem causâ liceat ea violare. Hoc in Paulæ exemplo vidimus; hoc in Monachis Carthuſienſibus videtur, qui carnes ne guſtare quidem audent, flagitante licèt corporis infirmitate; hoc in omnibus qui

ſubduntur imperio Eccleſiæ Romanæ conſpicitur, qui putant ſe mortale peccatum admiſiſſe, ſi non jejunaverint juxta ſtatuta Pontificia. Sed cùm ipſam Dei Legem Cæremonialem charitati cedere æquum fuit, quàm iniquum eſt humana de rebus adiaphoris mandata eidem nolle cedere?

4. Errant quòd in hiſce exercitiis externis, cultum Dei, meritum ſalutis, expiationem peccatorum ineſſe arbitrantur. Sic Petrus Soto; *Negare* (inquit) *jejunium eſſe opus quo meremur æternam vitam, & ſatisfacimus pro peccatis, error eſt apertiſſimus.* Part.4.qu.18. Alenſis; *Iejunium ſive injunctum, ſive aſſumptum, eſt pro peccatis ſatisfactorium.* Thomas 2.2. quæſt. 147. *Iejunium aſſumitur ad tria: ad carnis concupiſcentias comprimendas; ut mens hominis elevetur ad ſuperiora; ad ſatisfaciendum pro peccatis.* Hi ſunt errores quibus ferè implicantur omnes, qui hanc corporis ἀσκησιν exercent.

Iam ultimo in loco, ne rejicere videamur externa mortificationis exercitia, de hiſce quæ ſit Eccleſiarum noſtrarum ſententia breviter oſtendemus.

3 Primò, valde probamus illud Athanaſii, Καλὸν ἡ ἄσκησις μετὰ ἀληθοῦς γνώσεως καὶ συμμετρίας, *Laudabiles ſunt hæ corporales exercitationes, ſi jungantur cum ſcientia & moderatione.* Iejunia itaque & vigilias, cæteráque ejus generis habere ſuam utilitatem fatemur, ſi cognoſcamus eorum uſum & finem; id eſt, ſi referantur ad caſtigationem corporis, ne ſaturitate aut deſidiâ extimuletur ad peccatum; ſi referantur ad externam teſtificationem internæ pœnitentiæ; ſi denique ad id referantur, ut illis adminiculis adjuti, ardentiùs Deum invocemus. Nam rectè Tertullianus adverſus Pſychicos; *Multò pollentioris mentis & vivacioris cordis ſumus ad hæc ſpiritualia jejuni, quàm cùm illud domicilium interioris hominis eſcis ſtipatur, vinis inundatur.* Sed ſi in hiſce externis exercitiis ſitum putamus meritum aliquod ſatisfactionis, aut juſtificationis, tum non uſurpantur μετὰ ἀληθοῦς γνώσεως, & proinde rejiciuntur à Deo; ut videmus Eſaiæ 58. ubi ipſum opus operatum obtrudunt Deo hiſce verbis, *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? affliximus animas noſtras, & neſciviſti?* Reſpondet Deus *ſe tale jejunium non elegiſſe* &c. Sic Zachariæ 7. negat illos ſibi jejunare, qui in externo opere ſanctitatem & cultum Dei collocant. Apoſtolus autem apertiſſimè diſtinguit inter σωματικὴν γυμνασίαν, & εὐσέβειαν. 1. Tim.4.8. Nos igitur ſcire debemus hæc omnia ad titulum externæ diſciplinæ, non ad opera cultus eſſe referenda.

Requiritur etiam, præter hanc ſcientiam, debita in hiſce omnibus moderatio; ſtulta enim eſt illa abſtinentia, vel corporis caſtigatio, quæ proprię infirmitatis nullam habet rationem. Hinc apud Euſebium lib. 5.cap.3. legimus Alcibiadem reprehen-

ſum

ſum quòd creaturis Dei non uteretur, ſed ſolùm panem & aquam in corporis ſui ſuſtentationem ſumebat. Videmus etiam ipſum Timotheum à Paulo monitum, *ne ampliùs eſſet abſtemius, ſed vino pauculo uteretur propter crebras ſuas infirmitates.* 1. Tim. 5. 23 Primitivę Eccleſiæ libera hæc & moderata jejunia in uſu erant; neceſſaria illa, & ſupra vires corporis rigida, à ſapientioribus ſemper damnabantur. Sic teſtatur Auguſtinus, 1. de Mor. Cath. Eccl. cap. 33. *Nemo urgetur in aſpera quæ ferre non poteſt; nulli quod recuſat imponitur.* Prudentius 1. Cathemer. hym. poſt jejun.

Laxus ac liber modus abſtinendi
Ponitur cunctis, neque nos ſeverus
Terror impellit: ſua quemque cogit
Velle poteſtas.

Proſper de Vit. Contemp. lib. 2. cap. 24. *Sic jejunare debemus ut non nos jejunandi neceſſitati ſubdamus, ne jam non devoti, ſed inviti rem voluntariam faciamus.* Atque ſic videtis explodendam eſſe illam corporis ἀφειδίαν quæ plena eſt ſuperſtitionis, licèt retinenda ſit illa corporis caſtigatio quæ cum vera cognitione & debita moderatione conjuncta eſt. Hæc de tribus coloribus, quibus impoſtores pingere ſolent ſua mandata ac ſuperſtitioſas doctrinas: jam de hujuſmodi mandatis, & rebus, quæ ſit Apoſtoli cenſura audiamus.

Nec tamen ullius ſunt pretii, cùm ad ea ſpectent, quibus farcitur caro] Sic Beza. [*Neque in honore ullo* (ſupple *habent corpus*) *ad ſaturitatem*, vel *expletionem carnis*] Sic alii.

Qui probant hanc poſteriorem interpretationem, putant in hiſce verbis exponere Apoſtolum quæ ſit illa ἀφειδία corporis quam reprehendit; nimirum, cùm corpus in nullo honore habetur ad ſaturitatem, vel expletionem ejuſdem. Honoris itaque vocabulum hoc in loco curam interpretantur; ut 1. ad Tim. 5. 4. *Viduas honora*, id eſt, cura, & rationem habeto illarum: non in honore igitur habere corpus, eſt debitam curam illi non impendere. Quod verò adjungitur, πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκὸς, *ſaturitatem* vocant, quæ opponitur illi inanitioni quâ vires corporis extenuantur & læduntur; atque exiſtimant Apoſtolum uſum hoc pleniori vocabulo, ad taxandos hypocritas qui corpora fraudabant cibo neceſſario, quaſi vitium eſſet corpus ſatiare; cùm crapula & ingluvies vitia ſint, non ſatietas. Sed debetur honor juſtæ ſuſtentationis huic corpori terreno, non modò quia eſt animæ organum neceſſarium, ſed quia eſt Spiritus ſancti templum, quia eſt Chriſti corporis membrum; imò ſi jumenti loco habeatur, adhuc illi alimoniam ſufficientem deberi probatur: *Nam curat juſtus vitam jumenti ſui*; Prover. 12. 9.

Nôſſe itaq; oportet duplicem eſſe carnis curam: unam malam & prohibitam, quæ tendit ad explendas cupiditates illius illici-

illicitas; Rom. 13. 14. alteram bonam & licitam, quæ eò ſpectat, ut corpori tribuantur ad vitam victúmque neceſſaria, ne vires & valetudo illi deſint ad præſtanda officia quæ nobis incumbunt ex vocatione. Qui poſteriorem curam abjecit, is in nullo honore habet corpus ſuum; eúmque hoc in loco perſtringi putant nonnulli.

Probabilis eſt hæc interpretatio; ſed nec Bezæ interpretationem puto aſpernandam. Qui hæc verba, ἐκ ἐν τιμῇ τινι, refert ad ipſos ritus & mandata de abſtinentia & delectu ciborum; & putat ex adverſo reſpondere illis, *Quæ quidem rationem habent ſapientiæ; nec tamen ſunt ullius pretii.* Supplet Beza vocabulum *tamen*, quia uſitatum eſt illis qui Hebræam phraſin imitantur (quod Paulus paſſim facit) ſubaudire adverſativam particulam. Iam verò ſi quæratur cur non ſint ullius pretii illa hominum mandata, addit Apoſtolus cauſam, πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκὸς, ſupple ὄντα vel σωτείνοντα· *ſpectant ad carnem ſaturandam*, id eſt, ſita ſunt in cibo, potu, & rebus terrenis & caducis, in quibus non eſt poſitum regnum Dei, ſed in illis quæ ad Spiritus alimentum & vitam æternam referuntur; ut verſu ſuperiore oſtenſum eſt. Dicit autem Apoſtolus hujuſmodi mandata nullius eſſe pretii aut momenti, non quòd careant omni utilitate, ſi proponantur & obſerventur μετὰ ἀληθοῦς γνάσεως καὶ συμμετρίας, ut monet Athanaſius: ſed quòd per ſe nullius ſint pretii & momenti ad juſtificationem, ſanctificationem, ſatisfactionem peccatorum, & cultum Dei, ut ſeductores voluerunt. Non opus eſt plura attexere de hac Apoſtoli cenſura, quod attinet ad hæc mandata res externas ſpectantia; ſæpe enim hac de re diſſeruimus. Hic itaque Apoſtolicæ refutationis finem habemus. Reſtat quarta pars hujus Epiſtolæ; quæ inſtitutionem morum continet, vitia extirpat, virtutes inſerit, format denique vitam Chriſtianorum, tum quoad communia officia, tum quoad œconomica.

Finis ſecundi Capitis.

CAP.

CAPITIS TERTII EXPOSITIO.

DVo priora hujus Epiſtolæ Capita jam abſolvimus; ad tertii Capitis explicationem (Deo juvante) accingamur. Inprimis autem illud præmittendum, quis ſit Apoſtoli ſcopus; hunc enim utile eſt, imò neceſſarium præ oculis habere, ut intelligamus quam aptè & accõmodatè omnia dicantur. Eò igitur ſpectat tota Apoſtoli diſſertatio, ut poſt fidei Evangelicæ ſtabilitam doctrinam, & exploſas Pſeudoapoſtolorum impoſturas, accendat Coloſſenſes ad exercendam vitæ ſanctimoniam, & fugiendas morum corruptelas. Paulo enim hoc ſolenne eſt in omnibus Epiſtolis, ut diſputationibus de fide ſubjiciat hortationes ad vitæ novitatem; vult enim arborem bonam bonos fructus proferre, fidem nempe ſanam vitam ſanctam parere. Scopum videtis; jam ſecundo in loco ſummam ſive argumentum totius Capitis facile eſt elicere, & quaſi brevibus lineis includere. Hoc igitur illud eſt quod hîc urgetur ab Apoſtolo, Coloſſenſes, adeóque omnes veros Chriſtianos, mortis ac reſurrectionis Chriſti participes factos eſſe, atque ob hanc cauſam mori oportere peccato, vivere Deo, exuere veterem hominem cum actionibus ſuis, induere novum. Hiſce itaque duabus propoſitionibus continetur ſumma hortationis Apoſtolicæ. 1. Reſuſcitatis cum Chriſto, vita nova atque cœleſtis inſtituenda eſt. 2. Mortuis cum Chriſto, naturæ noſtræ inſita corruptio mortificanda eſt.

Ad partes hujus Capitis reſtat ut accedamus. Habemus autem hîc duplicem exhortationem: Generalem, quę ex æquo omnes Chriſtianos ſpectat; ab initio Capitis ad verſum 18. Specialem ſive perſonalem, quæ ad certos Chriſtianorum ordines dirigitur, ad uxores nempe & viros, filios & parentes, ſervos & dominos; à verſu 18. ad finem Capitis. Generalis hortatio in tria membra conſumitur.

Primum, quatuor primis verſiculis comprehenſum, inſtruit & excitat ad appetendum verum finem, cœlum ſcilicet, & Chriſtum in cœlis ſedentem.

Secundum hortatur ad agenda ea quę ſunt ordinata in hunc finem. Praxis autem hæc conſtat mortificatione, id eſt, depoſitione vitiorum; & vivificatione, id eſt, exercitio omnium virtutum: de quibus fusè diſſerit à 5. verſu ad 16.

Tertium vocat ad meditationem & ſtudium verbi divini, & ſimul

ſimul præſcribit generalem regulam in omnibus noſtris actionibus obſervandam; verſ. 16. & 17.

Hęc pręmittenda putavi, quia faciliùs per partes in cognitionem totius adducimur. Plura hujus generis non perſequar, quia (ut rectè Seneca) *idem vitii habet nimia quod nulla diviſio.* In partes materiam propoſitam dividere utile eſt, in fruſta concidere nugatorium; nam comprehendere quemadmodum maxima, ità minima laborioſum eſt. Partium itaque partes & minutias ut ſeſe offerent in contextus explicatione obſervabimus; quem, freti auxilio divino & ſancti Spiritus illuminatione, protinus aggrediemur.

CAP. III. VERS. I & II.

Itaque ſi reſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite, ubi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens.

Superna ſapite, non terreſtria.

STabilitâ Evangelii doctrinâ, ac debellatis ſeductoribus, ad hortandi munus deſcendit Apoſtolus; ut quos ad tenendam fidei veritatem inſtituerat, ad ſervandam vitæ ſanctitatem pariter imbueret. Fluit autem atq; deducitur hæc hortatio ex verſ. 12. & 13. Capitis præcedentis, ubi hæc habentur verba, *Conſepulti eſtis cum eo per Baptiſmum, qui etiam excitavit vos & vivificavit:* hinc jam infert, *Si reſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite.* Diximus primum generalis hortationis membrum includi quatuor primis verſiculis, atque eò ſpectare ut excitet Coloſſenſes ad appetitum atque deſiderium veri boni, ſpiritualis ſcilicet & divini; atque inſuper ut gigneret contemptum in illis bonorum apparentium, rerum ſcilicet corporalium & terrenarum. Prudenter autem facit Apoſtolus, quòd primo in loco præſcribit atque præſtituit veri finis appetitum: nam inordinatio voluntatis circa finem, parit in toto vitæ noſtræ curſu inordinatas & monſtrificas actiones; quia ut forma in Naturalibus, ſic finis principium eſt in Moralibus.

Sed ut ad ipſam rem veniamus, duo ſunt hîc à nobis obſervanda.

1. Officium ad quod excitamur ab Apoſtolo, tribus præceptis comprehenſum: *Quærite ſuperna*; φρονεῖτε, id eſt, *cogitate* atq; *amate ſuperna*; *Ne quærite, ne curate terrena.*

2. In-

2. Incitamenta, ſive motiva (ut loquuntur) ad hoc officium præſtandum. Ad ſuperna quærenda atque amanda duo afferuntur: unum à noſtra reſurrectione petitum; verſ. 1. *Reſurrexiſtis cum Chriſto:* alterum à Chriſti exaltatione; *ubi Chriſtus ſedet ad &c.* Ad terreſtria contemnenda duo alia adhibentur: prius ſumitur à morte noſtra ſpirituali; *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto*; verſ. 4. poſterius ab expectatione vitæ noſtræ glorioſæ; *Quando Chriſtus vita noſtra &c.*

1. De Officiis.

Superna quærite] *Quærendi* vocabulum indicat laborem & conatum, atque excludit ocioſam velleitatem, ut utar verbo Scholaſtico: per *ſuperna* autem intelligere oportet primariò regnum cœlorum, ſive viſionem Dei beatificam, atque illa gaudia cum Chriſto Capite noſtro, & beatis Angelis olim percipienda, *qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt*; 1. Cor. 2. 9. Secundariò autem & conſequenter intelligere oportet illa dona gratiæ quæ ſunt ſemina hujus deſideratæ gloriæ, utpote fidem, charitatem, ſanctimoniam, eáque omnia per quæ tanquam per mediam viam Deus voluit nos progredi ad hanc metam ſupernæ gloriæ. Rectè enim obſervavit Auguſtinus hæc etiam dici poſſe ſuperna, quòd *merito excellentiæ longè ſuperent res terrenas*; adde etiam, quòd hujuſmodi omnia *ſunt ſupernè data, & deſcendunt à Patre luminum*; Iacob. 1. 17. Cùm itaque hortatur Apoſtolus ſuperna quærere, illud vult, nos non modò appetere debere gaudia cœleſtia, ſed ità vivere ut ad illa tandem perveniamus. Qui enim in fide, charitate, ſanctitate non progreditur, is toto vitæ ſuæ curſu, non cœlum quærit, ſed ad gehennam properat.

Corollaria.

Cœlum non datur ociantibus, ſed ſummo labore illud quærentibus. *Quærite regnum cœlorum & juſtitiam ejus*; Mat. 6. 33. Et alibi, *Violenti rapiunt illud*, non ſomnolenti. *Coroll.* 1.

In hac vita non poſſidentur gaudia cœleſtia; debemus itaque ſuſpirare illa, & patienter expectare, obtenturi tandem ſi quæramus ut oportet. *Coroll.* 2.

Τὰ ἄνω φρονεῖτε, *Superna curate, cogitate*, vel *ſapite*] Vocabulum φρονεῖν duos actus complectitur; actum mentis ſive intellectus de re aliqua cogitantis; atque actum voluntatis ſive affectus rem aliquam approbantis & amantis. Vult itaq; Apoſtolus ut mentem ad cœlum attollamus, atque in animo noſtro hæc ſuperna perpetuò habeamus; neque illud ſolùm, ſed etiam ut ardenter amemus ſuperna, atque in illis affectum figamus. Niſi conjungantur hæc duo, nemo ſe accinget ad quærendum cœleſtia; nam *ignoti nulla cupido*: neceſſe eſt igitur nôſſe, & in animo frequenter verſare hæc cœleſtia; nemo enim quærit illud de quo non cogi-

tat. Sed nec cogitare ſufficit, niſi fiat cum amore & affectu; non enim quæritur à nobis, niſi illud quod appetitur & amatur. Verè obſervavit Bernardus, ***Intellectum & affectum in hominibus quandoque ſibi adverſari, ut alter ſuperna nôſſe & probare, alter tamen infima appetere inveniatur.*** Id cùm acciderit, diſtrahitur, & dilaceratur animus, non excitatur ad quærendum. Hinc eſt quòd Paulus hortatur, non tantùm ut ſciamus, ſed ut *ſapiamus ſuperna.*

Documenta.

Docum.1. Eſt pii atque Chriſtiani hominis officium, ſemper in animo habere cœleſte illud regnum, atq; ſuperna illa bona quæ ſpectant ad illud conſequendum. Hoc videmus in Patre fidelium Abrahamo, de quo teſtatur Apoſtolus, quòd *expectabat* τὸν τὰς θεμελίους ἔχουσαν πόλιν, Hebr.11.10. Hoc legimus de Chriſtianis primitivæ Eccleſiæ, qui tam crebrò in animis & ſermonibus habebant hoc regnum ſupernum, ut indè apud Ethnicos in ſuſpicionem venerint regni affectati. Iuſt.Mart.Apol.2.ad Antoninum.

Docum.2. Eſt etiam illorum,qui æternam beatitudinem ſperant ſe conſecuturos,ordinare vitæ ſuæ curſum ſecundum ſupernas rationes, & judicare de rebus omnibus, habito ſemper reſpectu ad hæc ſuperna: nam hoc eſt efficaciter ſapere ſuperna, ità ſcilicet affici illorum dulcedine & ſuavitate, ut illa inexplebili deſiderio ſitiamus, & omnia ad illorum conſecutionem referamus. Hunc affectum ſenſit in corde ſuo, & optimè expreſſit Pſalmiſta Pſalm. 42.2. *Quemadmodum deſiderat cervus &c.* Hinc colligere poſſumus,illos omnes qui pollicentur ſibi gaudia ſuperna,cùm interim non omninò ſapiunt ſuperna,quaſi jucundo quodam ſomnio delectari, neque unquam illis rebus ſaturandos, quia nunquam ea ſitire & eſurire ex animo ſolebant. Reſtat ultima particula hortatoriæ hujus materiæ.

Non terreſtria, ſupple, *quærite & ſapite*] Terreſtria vocat Apoſtolus ea omnia in quibus regnum Dei ſitum non eſt; opes, voluptates, honores,ad extremum addo & cæremonias illas atq; obſervationes ſitas in rebus terrenis & corporalibus: hæc enim concluſio hortatoria petita à morte & reſurrectione noſtrî cum Chriſto, illa omnia oſtendit flocci facienda. Iam verò dicuntur ſapere terrena vel quærere, qui in hiſce rebus felicitatem ſuam conſtituunt, qui ſecundum hęc terrena quę dicuntur bona, omnia ordinant & judicant. Scitè depinguntur ab Apoſtolo terrena hęc animalia. Ad Phil.3.18. ***Multi incedunt &c.*** οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. Hujuſmodi fuerunt quos Servator noſter parabolicè taxavit Luc.14. quòd dum agros, boves, & uxores curent, vocationem ſalutiferam prorſus negligant. Hinc obſervemus,

L.c 1. Non poſſe quenquam ſimul ſapere cœleſtia & terrena. Si enim hoc fieri poſſet, non opus fuiſſet hac clauſulâ negante &

vetante;

vetante; sed satis fuisset dixisse, *Sapite superna*, absque hoc additamento, *& non terrestria*. Sed verum est illud Salvatoris, *nemo potest duobus Dominis servire*; Mat. 6. 24. Si igitur terrenis cupiditatibus serviamus, saluti nostræ promovendæ nunquam invigilabimus. *Pectora nostra duas non admittentia curas*, olim cecinit Poeta; & Apostolus dixit, *amentes & damnosas cupiditates demergere homines in exitium*; 1. Tim. 6. 9.

2. Observandũ quòd Paulus prohibet quærere, & sapere terrestria; non vetuit uti rebus terrenis, imò ne parare quidem. Sine usu rerum terrenarum non vivitur; ad usum autem necessarium nobis non suppetent, nisi priùs acquirantur. Est itaque quærere, & sapere hoc in loco, toto corde desiderare, omni ope & industriâ; atque in istis tanquam in summo bono acquiescere. Hoc faciunt homines carnales & mundani, quicquid obtendunt: id evincitur quia hæc terrena sine omni modo & mensura concupiscunt. Certum autem est, illud quæri & proponi tanquam finem, quod quæritur nullâ mensurâ adhibitâ: nam in eo quod quæritur propter finem, adhibetur mensura secundum proportionem ad finem.

3. Rationem adjungamus cur non oportet sapere terrena, sed sola superna; eámque duplicem: unam ex harum rerum vanitate desumptam; nam terrena, ut bene Parisiensis, *nec plenitudinem conferre possunt continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti. Quid* igitur *proderit homini si mundum universum &c.* Mat. 16. Alteram ex contrarietate quam habent ad vera & superna gaudia; nam ut Manna cœlestis defecit postquam filii Israel comederant de frugibus terræ, sic suavitas gaudii spiritualis non percipitur ab iis qui inhiant hisce rebus terrenis. Unde Augustinus; *Si animus habet unde delectetur extrinsecus, sine delectatione manebit intrinsecus.* Atq; hæc de materia hortationis Apostolicæ, ad incitamenta veniamus.

Si resurrexistis cum Christo] Superna esse nobis quærenda & sapienda primò arguitur à resurrectione nostra cum Christo: nam verba hæc, *si resurrexistis*, non sunt dubitantis, sed inferentis & concludentis: assumptio enim, scilicet *Resurrexistis cum Christo*, præsupponitur ex illis quæ disputata sunt Capite superiore, vers. 12. & 13. Ductûm autem est hoc argumentum à causa ad effectum; nam hæc resurrectio nostra quam habemus per Christum, est principium effectivum novæ vitæ, & proinde novæ conversationis, & operationis. Sciendum enim est, Christum eâdem virtute quâ seipsum excitavit à morte corporali, excitâsse suos omnes à morte spirituali. Hinc Bernardus; *Duplex est resurrectio: una animæ, quam occultus Christi adventus operatur; altera corporis, quam gloriosus Christi adventus perficiet: atque ut exterior homo in resurrectione sua corporali recipiet novam*

vitam & operationes; ſic in reſurrectione hac ſpirituali interior homo jam recipit novam vitam, & novum ſenſum. Hinc illud Apoſtoli ad Rom. 6.4. *Sicut excitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris, ità & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Hæc ſpiritualis reſurrectio, in Baptiſmo & Sacramentaliter & Realiter efficitur; ſacramentaliter per externam myſterii adminiſtrationem; realiter per internam ſancti Spiritus operationem. Vtrumque complexus eſt Apoſtolus ad Tit.3.5. *Secundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti.* Hiſce poſitis, clarum eſt hoc eſſe debere omnibus fidelibus maximum incitamentum ad ſuperna quærenda & ſapienda. Nam qui reſurrexit, ad aliud vitæ genus reſurrexit; qui autem cum Chriſto reſurrexit, is, quatenus id fieri poteſt in hac vita, debet Chriſtum reſurgentem imitari. Quemadmodum igitur Chriſtus excitatus à mortuis non curavit terrena, ſed aſcendit in cœlum, ut glorioſam & cœleſtem vitam ageret: ſic Chriſtiani qui ſunt ſpiritualiter excitati, non debent adhæreſcere rebus & concupiſcentiis terrenis, ſed mentes ad cœlum attollere.

Obſervationes.

Obſerv. 1. Chriſtianorum eſt Chriſtum imitari, & ea facere ſpiritualiter quæ Chriſtus fecit corporaliter. Verbi causâ; Chriſtus mortuus eſt; nos itidem peccato mori oporet: Chriſtus excitatus eſt; nos etiam oportet ad novam vitam reſurgere: Chriſtus aſcendit in cœlum; noſtrum officium eſt animis in cœlum evolare. Hoc eſt quod Apoſtolus vult ad Rom.6.5. ubi requirit ut complantati coaleſcamus conformatione tam mortis quàm reſurrectionis Chriſti. *In omnibus* (inquit Chryſoſtomus) *vult Apoſtolus ut Chriſtiani conſortes fiant Chriſti.*

Obſerv. 2. Non modò officium noſtrum eſt reſurgere cum Chriſto, ſed à reſurrectione Chriſti vim habemus ad hanc reſurrectionem ſpiritualem: nam Chriſtus communicat ſuis omnibus illam virtutem quâ ſeipſum excitavit, ad eos quoque excitandos. Valet igitur argumentum à reſurrectione Chriſti ad reſurrectionem noſtram ſpiritualem. Vnde Apoſtolus, poſitâ morte & reſurrectione Chriſti, ſubjungit, οὕτω καὶ ὑμεῖς λογίζεσθε &c. *Ità etiam vos colligite, vos ipſos tum mortuos eſſe peccato, tum verò* &c. Rom. 6.11.

Obſerv. 3. Inexcuſabiles illi jam ſunt qui adhuc volutantur in terrenis rebus & cupiditatibus, quia habent novam naturam proportionatam & inclinatam ad ſuperna, communicatâ illis vivificâ potentiâ reſurrectionis Chriſti. Vt igitur ferrum quod ſeipſum in ſublime attollere non poteſt per naturam ſuam, receptâ tamen magnetis in ſe operatione ſurſum fertur: ſic animi humani ſuâ indole terrenis rebus affixi, virtute Chriſti reſurgentis poſſunt ſeſe ad ſuperna & cœleſtia erigere. Hæc de primo incitamento.

Vbi

Vbi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens] Hoc eſt illud alterum calcar ſive incitamentum ad quærenda & ſapienda ſuperna ſive cœleſtia: Chriſtus ſedet ad dextram Dei; ergò nos oportet ſuperna quærere & ſapere. Explicabimus primò ſententiam horum verborum; tum oſtendemus vim argumenti, ſive conſequentiam rationis.

Illud igitur inprimis tenendum, hæc dici de Chriſto propriè & præcipuè ſecundum naturam ejus humanam, quâ reſurrexit, & aſcendit, & ſedet ad dextram Patris, ut habetur in Symbolo Apoſtolico: quanquam & ſecundum divinam naturam credendum eſt, illum ab omni æternitate ſediſſe ad dextram Patris, id eſt, ut exponit Damaſcenus, obtinuiſſe æqualitatem divinæ majeſtatis cum Deo Patre. Δεξιὰν δὲ τοῦ πατρὸς λέγομεν τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμὴν τῆς θεότητος, ἐν ᾗ ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς πρὸ αἰώνων ὑπάρχων ὡς θεὸς καὶ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, ἐκαθέσθη, καὶ σωματικῶς κάθησιν, συνδοξασθέντος τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. *Lib. 3. cap. 31.* Miſsâ itaque hac expoſitione Damaſceni, quæ reſpicit divinam Chriſti naturam, & æternam illius majeſtatem, inquiramus, quid ſub vocabulis *ſedere ad dextram Dei* innuatur, cùm ad humanam Chriſti naturam, & exaltationem ejuſdem in tempore factam accommodentur.

Summa eſt, cùm Deus corporalem dextram non habeat, hac ſeſſione ſignificari, Chriſtum quà homo eſt, peracto opere redemptionis noſtræ, non modò immortalitate & perfecta beatitudine donatum, ſed in cœlos evectum, ſupra omnes creaturas collocatum, totius mundi Dominum, Gubernatorem, & Iudicem; Eccleſiæ autem inprimis Regem & Patronum glorioſiſſimum & potentiſſimum conſtitutum.

Auguſtinus de Fide & Symbolo, *Sedere* (inquit) *eſt judiciariam poteſtatem habere. Ad dextram autem Dei eſſe, eſt in ſumma beatitudine eſſe; ſicut ad ſiniſtram, in ſumma miſeria*; Tom. 3. Sed optimè explicatur ab Apoſtolo, quid ſit Chriſtum hominem ſedere ad dextram Patris, ad Epheſ. 1. ver. 20. 21. & 22. Complectitur igitur exaltationem humanæ naturæ ad ſtatum beatitudinis & gloriæ maximæ, cujus ea capax eſſe potuit; atque etiam dominationem ejuſdem atque elevationem ſupra omnes alias creaturas.

Cavendus itaque error quorundam Modernorum, qui ex hac ſeſſione Chriſti ad dextram Dei, conantur deducere, humanæ Chriſti naturæ realiter communicatam eſſe divinam majeſtatem, ubiquitatem, omniáq; Deitatis idiomata. Sed facilè refelluntur;

1. Quia ſi divina idiomata realiter communicarentur naturæ humanæ, humana natura realiter eſſet Deus; divina enim idiomata nil aliud ſunt quàm divina eſſentia. Fatemur igitur Chriſtum incarnatum habere æqualitatem gloriæ & majeſtatis cum

Deo Patre: ſed negamus Chriſti carnem, vel humanam naturam, habere, aut habere poſſe; quia non eſt conſubſtantialis Deo, quamvis ſit Deo hypoſtaticè unita.

2. Refelluntur ex circumſtantia temporis: nam (ut illi volunt) realis idiomatum communicatio humanæ naturæ oritur ex hypoſtatica ejuſdem unione ad divinam; ſed hæc ſeſſio Chriſti hominis ad dextram Dei de qua loquitur Apoſtolus paſſionem & reſurrectionem conſecuta eſt. Hoc diſcimus ex ordine Articulorum in Symbolo Apoſtolico; *Reſurrexit, aſcendit, ſedit.* Hoc ipſe Chriſtus nos docuit, Lucæ 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ità intrare in gloriam?* Et ad Hebr. 1. 3. *Poſtquam purgâſſet peccata noſtra, ſedit ad dextram majeſtatis in excelſis.*

3. Quod attinet ad ubiquitatem corporis Chriſti, ea refellitur manifeſtè hoc in loco, non ſtabilitur. Nam Apoſtolus idcirco dicit Chriſtianorum animos in cœlo verſari oportere, non in terris, quòd Chriſtus evectus ſit ad dextram Dei in cœlis, neq; jam ampliùs moretur nobiſcum in terris ſecundum præſentiam carnis, quamvis ſecundum præſentiam divinæ majeſtatis ſit perpetuo nobiſcum. Sic 1. ad Epheſ. 20. *Collocavit Chriſtum ad dextram ſuam.* Vbi? Ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Et 1. ad Heb. 3. ἐν ὑψηλοῖς. Quamvis igitur dextra Dei ſit ubique, ſi per illam intelligamus divinam majeſtatem & potentiam; quia Deus eſt ubique: tamen Chriſtus corpore ſuo, vel ſecundum humanam ſuam naturam, collocatus eſt ad hanc dextram Dei, non quatenus eſt ubique, ſed quatenus in cœlis eſt.

Atque ſic breviter habetis quo ſenſu Chriſtus ſedeat ad dextram Dei: divina ejus natura ſive perſona λόγου ſedet in æqualitate majeſtatis & gloriæ, atque omnium attributorum divinorum; humana natura ſedet exaltata ſupra omnes res creatas, ſed tamen infra Deum, prædita ſcilicet majeſtate & gloriâ maximâ ei congruente, & cujus capax eſſe poteſt.

Hiſce explicatis reſtat ut oſtendamus vim hujus rationis: Chriſtus ſedet in ſupernis ad dextram Dei; ergò nos oportet quærere & ſapere ſuperna. Duæ ſunt cauſæ quæ firmam reddunt hanc conſequentiam. Prior ducta ab affectu fidelium omnium ad Caput & Servatorem ſuum Chriſtum Ieſum. Tritum eſt, *Animum eſſe ubi amat, non ubi animat*; & notum eſt etiam illud ex Evangelio, *Vbi eſt theſaurus tuus illic erit cor tuum*; Matth. 6. 21. Cùm igitur Chriſtus, qui eſt amor & delicium animarum fidelium, ſit in cœlis collocatus ad dextram Dei; neceſſe eſt omnem piam & caſtam animam quaſi rectis lineis in cœleſtem illum locum ſubvolare, & affectu ſaltem ac mentis cogitatione cum eo indies verſari. Ab hoc affectu manavit illa Pauli vox, *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Partes inferiores nunquam bene ſe habere poſſunt, ſi ſejungantur & divellantur à capite

ſuo:

ſuo: non mirum igitur ſi fideles omnes quà poſſunt cœlum ſcandant, & Chriſto Capiti ſuo ſeſe adjungere contendant. Altera cauſa ducitur ab influxu capitis in membra. Chriſtus enim non ſedet ociosè ad dextram Patris; ſed inſpirat ſuis omnibus gratiam ſalutiferam, atque ſuppeditat illis vires ad conculcanda terrena, & cœleſtia appetenda. Nam Chriſtus exaltatus virtutem habet attractivam, trahit ſurſum ſuos omnes, nec patitur terræ adhęreſcere. Non ſecùs atque cœleſtis ille ſol ſuâ virtute craſſos & terrenos vapores in ſublime evocat: ſic Sol juſtitiæ Chriſtus craſſos & obſtipos animos noſtros dejungit à fæce rerum terrenarum, & efficaci ſuâ operatione attollit ad cœleſtia. Eſt itaque argumentum ductum à poſſibili vel facili: quaſi dixiſſet, Quanquam non potuiſtis viribus naturæ quærere & ſapere ſuperna, tamen auxilio Chriſti ſedentis ad dextram Dei, & vos trahentis ad ſe per Spiritum gratiæ, jam poteſtis id facere; *Omnia enim poſſum* (inquit Apoſtolus) *in me confortante Chriſto*; Phil. 4. 13.

Corollaria.

Non eſt quòd metuamus hoſtes noſtros ſpirituales, diabolum, mundum, carnem; quia Chriſtus Salvator noſter hiſce omnibus potentior eſt, utpote exaltatus ad dextram Dei, longè ſupra omnem creaturam. *Quis ei de ſeculo metus eſt, cui in ſeculo Deus tutor eſt. Non labefaciat mentem humana infeſtatio, ſed corroboret fidem divina protectio*; Cypr. de Orat. Domin. Et de Exhor. Mart. *Coroll.* 1.

Perpetuum fidei hoc exercitium eſſe debet, ut quoties infeſtemur terrenis cupiditatibus, illicò ſuſpiciamus in cœlum, Chriſtum intueamur ſedentem ad dextram Dei, atque ab eo robur ſpirituale petamus. Sic Stephanus confirmatus eſt etiam adverſus ipſos mortis terrores; Actor. 7. verſ. 55. *Coroll.* 2.

Non ſunt vera & viva membra ſub Chriſto Capite quorum animi non verſantur in cœlis. *Vbicunque enim fuerit cadaver, illic congregabuntur aquilæ*; Matth. 24. 28. Hæc de incitamentis ad quærenda ſuperna. *Coroll.* 3.

VERS. III. IIII.

Nam mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

Quando Chriſtus vita noſtra patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis in gloria.

SVperna Coloſſenſibus atque adeò omnibus fidelibus eſſe quærenda & ſapienda, duabus rationibus probatum eſt; à reſurrectione noſtrî cum Chriſto, atque ab exaltatione ipſius Chriſti: jam aggreditur Apoſtolus illam alteram partem admonitionis ſuæ, quâ vetuit quærere ac ſapere terrena; atque illam corroborat duobus aliis argumentis. Prius ducitur à morte noſtra ſpirituali; *Nam mortui eſtis*: cui ſubnectit tacitam occupationem; *vita veſtra &c.* Poſterius petitur à certa expectatione futuræ gloriæ. Certitudo autem hæc demonſtratur aſſignatâ temporis circumſtantiâ quando nobis dabitur hæc vita glorioſa; nimirum *Quando Chriſtus apparuerit.* Ordiamur à priore ratione.

Nam mortui eſtis] Peccato ſcilicet, mundo, & carni, ut paſſim teſtatur Apoſtolus. *Colligite vos mortuos eſſe peccato*; Rom. 6. 11. *Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo*; Gal. 6. 14. Et alibi, *Qui ſunt Chriſti, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis.* Perpendamus hîc duo: quomodo ſimus mortui; & quantum valeat hujus rei conſideratio ad terrena ſpernenda.

Quod attinet ad primum; renati mortui ſunt peccato, non quòd peccatum planè eradicatum ſit & extirpatum ex mortali hoc illorum corpore; repugnat enim hoc propriæ uniuſcujuſque experientiæ, qui fomitem peccati in ſe ſentit: ſed quòd ejus dominium fractum, enervatum, & debilitatum ſit; quòd ejus vires paulatim abſumantur operatione gratiæ; quòd tandem prorſus conficientur & extinguentur perfectione gloriæ. Sunt igitur peccato mortui quotquot in Chriſto renaſcuntur, quia in Sacramento regenerationis omnia peccata illorum abolentur quoad reatum, quia abolenda prorſus obſignantur etiam quoad actum, ac aboleri incipiunt per inoperantem Spiritum, denique quia ad ea mortificanda tenentur propter mortificationis in Baptiſmo conceptum votum. Quemadmodum igitur vulgatâ loquendi formulâ illum dicimus jam mortuum hominem, in quem ſententia mortis lata eſt; ſic dicimus rectè renatos mortuos, vel peccatum in illis jam mortuum eſſe, quia in Baptiſmo eorum lata fuit quaſi mortis ſententia in peccatum; cujus ſententiæ executio protinus inchoatur, quotidie promovetur, tandem perficitur. Non malè Pariſienſis, *Mortuum reputatur omne peccatum, quod vitam gratiæ*

De Legib. c. 18

tiæ non extinguit; quare mortuum habetur cùm regnare non permittitur. Facile eſſet hoc confirmare multis Scripturarum teſtimoniis. Docent enim paſſim renatos in Baptiſmo non ſolummodo mori peccato Sacramentaliter; ſed etiam accipere Spiritum Chriſti, cujus virtute & efficaciâ Realiter in illis mortificantur cupiditates carnis. Ad Rom. 6.6. *Sciamus veterem illum noſtrum hominem cum Chriſto crucifixum, ut enervetur corpus peccati.* Docent inſuper nos ſtipulari Deo perpetuum mortificationis & piæ vitæ ſtudium: ſic loquitur Petrus 1.Epiſt.3.cap.ver.21. ubi Baptiſmum appellat *ſtipulationem bonæ conſcientiæ apud Deum.* Intelligimus jam quid ſibi velit Apoſtolus, cùm dicat Coloſſenſes *mortuos eſſe*, & quo ſenſu per Baptiſmum ſuum Chriſtiani dicantur *mortui peccato.* Jam ſecundo in loco reſtat ut penſitemus rationem hujus conſecutionis, *Non debetis quærere* vel *ſapere terrena, quia mortui eſtis:* quæ validiſſima eſt multas ob cauſas.

Primò, valet à remotione cauſæ ad remotionem effectus: nam ſapere & quærere terrena ſunt effecta peccati dominantis; ſed in illis qui mortui ſunt peccato, peccatum amiſit hanc poteſtatem imperatoriam; non poteſt igitur illos ad illicitas concupiſcentias cogere. Hoc diſertis verbis affirmavit Apoſtolus ad Rom. 6.7. *Qui mortuus eſt, liber eſt à peccato.* Et verſ.14. *Peccatum vobis non dominabitur.* Poteſt hoc illuſtrari ſimilitudine Tyranni florentis & dominantis primò, mox vulnerati, victi, & in carcerem conjecti. Quemadmodum enim ille dum ſtipatus ſatellitio ſuo arcem tenet, imperat miſeris civibus, eóſque cogit juſſa facere; poſtquam verò præſidio ſuo nudatus, ex arce dejectus, ſuperatus, atque vinctus fuerit, jam deridetur & contemnitur ab omnibus, nec quenquam habet dictis ſuis obedientem: ſic peccatum dum vget in homine non renato, urget & impellit illum in omnem nequitiam; ſed poſtquam fractum fuerit illius dominium, nil poteſt niſi in ultrò ſeſe dedentibus.

Secundò, cùm argumentatur Apoſtolus, Mortui eſtis, ergò non debetis ſapere terrena, ineſt argumentum ductum à Simili. Quemadmodum enim mors corporalis abſtrahit homines ab omni commercio rerum terrenarum; ſic mortificatio hæc ſpiritualis abalienare debet animos à ſtudio & deſiderio rerum terrenarum. Mors corporalis violentâ neceſſitate abripit homines ab omnibus rebus mundanis; mortificatio ſpiritualis divinâ quadam operatione abducit nos ab amore rerum iſtarum: mortui igitur, hoc eſt, qui habent Spiritum ſanctum mortificantem in ſe cupiditates carnis, poſſunt ejuſdem auxilio terrena contemnere, ſuperna deſiderare. Præclarum ſpecimen hujus rei Paulus exhibuit, qui tantum abfuit à deſiderio gloriæ mundanæ, ut pro ſtercoribus duceret, quicquid mundi oculis deſiderabile & glorioſum eſt.

Vltimò, valet Apoſtoli conſequentia ab Honeſto & Debito.

Ho-

Honeſtum eſt, ut qui mortui fuerint in Baptiſmo Sacramentaliter, oſtendant ſe mortificatos in vita ſua Veraciter. Debitum eſt, ut qui votum mortificandæ carnis in Baptiſmo emiſerint, officium mortificationis in contemptu rerum terrenarum exerceant. Atque ſic videtis hanc conſequentiam, *Ne quærite terrena, quia mortui eſtis*, multarum rationum nervis firmiſſimè colligatam. Iam obſervationes ſive doctrinas eliciamus.

Obſerv. 1. Chriſtianus concupiſcentiis peccati inſerviens, transfuga eſt atque captivus voluntarius. Liberatur enim à ſervitute peccati, tyranno hoc lethali vulnere debilitato & confoſſo. Horum miſeram & turpem conditionem vide 2. Pet. 2. 19. 20.

Obſerv. 2. Non eſt quòd animum deſpondeat Chriſtianus, quòd ſentiat in ſe rebellem peccati motum, niſi pareat illius concupiſcentiis, ac præceps ipſe trahatur in rebellionem. Non obſtantibus enim hiſce peccati illecebris, mortuus cenſetur peccato, qui nec conſenſum voluntatis, nec membra corporis tanquam arma iniquitatis eidem exhibeat.

Obſerv. 3. Requirit Apoſtolus ut myſteria Baptiſmi noſtri probè teneamus, atque ad uſum pietatis & ſanctitatis transferamus. Pulcherrimam enim hanc hortationem, *Ne quærite terrena, quia mortui eſtis*, deduxit à conſideratione Baptiſmi, utì apparebit reſpicientibus ad verſum 12. Sic ad Rom. 6. 3. *An ignoratis quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem ejus eſſe baptizatos?* Quaſi dixiſſet, Turpe eſt & indignum Chriſtiano hoc ignorare.

Obſerv. 4. Graviter peccant qui Baptiſmum ſuum, quaſi cæremoniam evanidam, patiuntur ſibi è memoria excidere; nam hoc ſacrum myſterium, quamvis ſemel peragendum, perpetuò in animis revolvendum eſt, in actionibus exprimendum. Pergamus ad clauſulam ſequentem.

Et vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo] Tacitam occupationem hiſce verbis contineri dictum eſt, quâ occurritur duplici objectioni.

Obiect. 1. 1. Objicitur, Apoſtolum ſibi ipſi contradicere: modò dixerat Coloſſenſes reſurrexiſſe; at reſuſcitati vivunt: jam eodem penè ſpiritu affirmat illos mortuos; at mortui non vivunt. Solvitur hic nodus diſtinguendo: Mortui ſunt mundo, peccato, & carni, ut antè declaratum eſt; vivunt Deo & Chriſto. Idem Spiritus qui vitam carnalem in nobis mortificat, nos ad vitam novam & ſpiritualem exuſcitat. Atque hæc illa vita eſt quam vivunt in Chriſto omnes illi qui mortui ſunt peccato.

Solut.

Obiect. 2. 2. Et illud dici potuit, Paulum repugnare experientiæ communi: ſentiunt enim pii omnes ſeſe adhuc infeſtari peccati reliquiis, premi variis ærumnis, morte tandem abſumi; quomodo igitur verum eſt, eos jam reſurrexiſſe cum Chriſto, & novam vitam conſecutos eſſe? Reſpondet Apoſtolus, novam hanc vitam

Solut.

eſſe

eſſe quidem in ipſis fidelibus adhuc inchoatam, imperfectam, obſcuram: ſed in Chriſto Capite illorum conſummatam, perfectam, glorioſam; abſconditam tamen. Haſce itaque objectiones prevenire voluit Paulus dicendo, *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Iam ipſa verba ſigillatim excutiamus.

Vita veſtra] Vitæ vocabulum capitur pro illa ſupernaturali vitâ quâ vivimus Deo ſub ſtatu gratiæ, & quâ victuri ſumus cum Deo in ſtatu gloriæ. Nam vita gratiæ nil aliud eſt, quàm (ut ità dicam) ætas infantilis glorię: atque utraque hæc κατ' ἐξοχὴν dicitur vita noſtra; prę quâ mors cenſenda eſt vita carnalis & corporalis. Nam carnalis vita ducit ad mortem, eámq; æternam: unde in ſacra Scriptura mortui habentur qui vivunt ſecundum carnem; *Sinite mortuos ſepelire mortuos.* Et 1. Timot. 5.6. *Quæ in deliciis vivit, vivens mortua eſt.* Iam verò qui vivit vitam gratiæ ſecundum Spiritus ſancti ductum, is indies tendit ad æternitatem; Rom.8.13. Atque ut carnalis vita peccatorum, mors eſt, ſi conferatur ad ſpiritualem vitam fidelium; ſic naturalis vita hominum, mors eſt, ſi conferatur ad ſupernaturalem vitam beatorum. Nam corporalis hęc vita tota fluit & evaneſcit quolibet momento, nec quicquam habet permanens: at illa ſupernaturalis tota ſtat in perpetuitate ſoliditatis ſuæ, & nihil habet fluens. Rectè igitur & Emphaticè Apoſtolus, deſignans hanc vitam ſpiritualem & ſupernaturalem, dixit, *Vita veſtra.*

Abſcondita eſt] Poteſt hoc accommodari tum ad vitam gratiæ, tum ad vitam gloriæ. Vita ſpiritualis Sanctorum abſcondita eſt, Primò quoad improbos. Mundus enim non agnoſcit aliquid ſpirituale in filiis Dei; ſed habet illos pro deſpicatiſſimis, ſtultiſſimis, miſerrimis homuncionibus. Sic Apoſtolus ad Hebræos 11.36.37.&c. *Ludibria & flagella ſunt experti, deſtituti, oppreſſi, malè vexati, quibus indignus erat mundus.* Nec mirum, cum hæc ſpiritualis vita in illis rebus ſita ſit, quæ non incurrunt in oculos, aut ſenſum; nimirum in adoptione, in regeneratione, in unione ad Chriſtum, in fide & charitate, aliiſq; Spiritus ſancti donis. Hinc illa improborum ſera confeſſio, Sapient. 5.3. *Hi ſunt quos habuimus aliquando deriſui: nos inſenſati vitam illorum exiſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum.*

Secundò, quoad ipſos Sanctos & Fideles, vita illorum ſpiritualis abſcondita eſt; ſed ex parte, non ſimpliciter. Dico aliquatenus abſconditam, quia ne ipſi quidem ſemper vividè ſentiunt in ſe vitam gratiæ, ſed quandoque, pulſati tentationibus diaboli & carnis, ſubdubitant ſe eſſe planè occiſos, & Spiritu Dei deſtitutos. Hinc illa Pſalmiſtæ vox Pſalm.51.10. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.* Quin-

etiam

etiam cùm ſentiunt in ſe hanc vitam ſpiritualem; tamen illam agnoſcunt eſſe valde infirmam, languidam, & obſcuratam propter perpetuam illam pugnam, & rebellionem carnis. Sic Paulus ſentit ſe *delectari lege Dei quoad interiorem hominem*; en vitam ſpiritualem: idem tamen Paulus videt *aliam legem in membris ſuis rebellantem legi mentis ſuæ*; en vitam eandem abſconditam & obfuſcatam.

Nunc quod attinet ad vitam futuræ gloriæ, illa multò magis abſcondita eſt; nam etſi habemus ſemina hujus vitæ in nobis, tamen obruuntur ſub corpore hoc mortali, neq; in apricum proferentur ante diem adventus Chriſti. Interim, ut eſt apud Ioannem, 1. Epiſt. cap. 3. verſ. 2. ***Filii Dei ſumus, ſed nondum apparet quid erimus.*** Imò ne cogitatione quidem complecti poſſumus hanc abſconditam vitam; 1. Cor. 2. 9.

Cum Chriſto in Deo] Hoc etiam aptè quadrat tum in vitam ſpiritualem, ad quam ſumus jam reſuſcitati; tum ad vitam illam glorioſam, ad quam ſumus reſuſcitandi: nam utraque in Chriſto abſcondita eſt tanquam in fonte, radice, vel principio. Verba autem hæc *in Deo* adjunguntur, quia ipſe Chriſtus qua homo è terris ſe ſubduxit, & ad Deum Patrem aſcendit. Deus igitur inviſibilis eſt & mundo abſconditus, & Chriſtus cum Deo, & vita noſtra cum Chriſto. Ad ſpiritualem vitam quod attinet, certum eſt ad nos derivari exiguos quoſdam rivulos, ipſum autem fontem in Chriſto latere: imò ne rivuli quidem vitæ ſpiritualis ad nos derivantur, niſi quatenus Chriſto conjungimur, in quo hæc vita reconditur. ***Vivo*** (inquit Apoſtolus) ***non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus***; Gal. 2. 20. Hinc eſt quòd ***niſi quis maneat in Chriſto, & Chriſtus in illo, ſtatim ut palmes abjectus extra vineam areſcet***; Ioan. 15. 6.

Sed & vita noſtra glorioſa in Chriſto quoque abſcondita eſt. Quemadmodum enim palmitum vita hyberno tempore non extincta eſt, ſed abſcondita in radice ipſius vitis: ſic fidelium vita beata & glorioſa, hoc terrenæ ſuæ peregrinationis tempore, reconditur & reſervatur in Chriſto ſpirituali vite. Imò & nos hoc ſenſu inducti jam dicimur in poſſeſſionem hujus vitæ cœleſtis, quatenus nimirum in Chriſto Capite jam ſumus in cœlum ſublati, & vitâ æternâ atque immortalitate donati. Hoc voluit Apoſtolus ad Epheſ. 2. 6. ***Vnà excitavit nos, unáque collocavit in cœlis in Chriſto Ieſu.*** In Chriſto igitur homine vita noſtra cœleſtis abſcondita eſt, tanquam in cauſa exemplari: nam ***corpus noſtrum humile configurâbitur corpori ſuo glorioſo***; Phil. 3. 21. Abſcondita etiam eſt tanquam in cauſa materiali, & meritoriâ; nam in carne per mortem expiavit peccata noſtra, & promeruit nobis hanc vitam. ***In filio*** igitur ***eſt*** illa ***vita æterna*** quam Deus nobis largitur; 1. Ioan. 5. 11. Abſcondita denique in Chriſto homine

mine eſt, tanquam in cauſa efficienti, ſecundariâ ſcilicet & inſtrumentali. Iam verò in Deo recondita eſt omnis vita ſupernaturalis, tanquam in cauſa principali & fonte primario. Vtramque cauſam, & primariam & inſtrumentalem conjunxit Apoſtolus, ad Roman. 6.23. *Donum Dei eſt vita æterna in Chriſto Ieſu &c.*

Corollaria.

Hinc docemur, quoties langueſcere ſentimus gratiam ſpiritualem in nobis, à Chriſto ſubſidiariam opem petere, in quo fons vitæ ſpiritualis recondi̇tur. *Coroll.* 1.

Hinc perſpicitur quàm neceſſarium ſit per fidem & Spiritum Chriſto conjungi: ab illo enim ſi ſejungamur, non Chriſtiani ſumus, ſed cadavera Chriſtianorum; quia in illo vita noſtra omnis abſcondita eſt. *Coroll.* 2.

Hîc habemus noſtræ infirmitatis & imperfectionis ſolatium, quia licèt in nobis omnia ſpiritualia ſunt infirma & imperfecta, utpote fides, charitas, ſanctitas; tamen in Chriſto Capite habemus vitam ſpiritualem omnibus numeris abſolutam. Hoc eſt illud quo ſe ſuſtentat Apoſtolus ad Phil. 3.8.9. *Duco omnia pro ſtercoribus, ut Chriſtum lucrifaciam: & comperiar in eo, non habens meam juſtitiam &c.* *Coroll.* 3.

Hîc habemus in omnibus externis miſeriis paratiſſimam conſolationem, & ſpei noſtræ anchoram firmiſſimam. Nam vita noſtra in Deo repoſita eſt; at Deus non abnegabit depoſitum: cum Chriſto abſcondita eſt; at Chriſtum vitâ excidere impoſſibile eſt; nec minùs impoſſibile illos perire, quorum vita cum Chriſto recondita eſt. Concludamus itaque cœleſtia eſſe nobis quærenda, terreſtria conculcanda; quia & mortui ſumus rebus hiſce terrenis, & habemus vitam ſupernaturalem tam gratiæ quàm gloriæ reconditam cum Chriſto in Deo. *Coroll.* 4.

Vers. IIII.

Quando Chriſtus vita noſtra patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis in gloria.

IN eo adhuc pergit Apoſtolus, ut oſtendat terrena non eſſe Chriſtianis quærenda, aut ſapienda; ſed cœleſtia. Petitur ratio ab expectatione gloriæ nobis deſtinatæ.

Nos primò ipſam materiam hiſce verbis contentam in ſe conſiderabimus.

Secundò, conſecutionis vim oſtendemus; ut intelligatur quantum valeat ad inferendam hanc concluſionem, Terrena non eſſe nobis ſapienda.

In priore tria conſideranda; Author doni, Tempus donationis, ipſum Donum.

1 Author ſive cauſa glorioſę & beatę vitę quam expectamus ipſe Chriſtus eſt: unde dicitur vita noſtra, Cauſali prædicatione, non Eſſentiali; quia ille promiſit nobis hanc vitam, ille promeruit, ille pręparavit, ille reddet. Promiſit Patris nomine, Lucę 12.32. *Nolite timere puſille grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*; Et ſuo, Ioan. 10.28. *Ego vitam æternam do eis &c.* Promeruit; 1.Ioan. 4.9. *Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Et 1. Ioan. 5.11. *Vitam æternam dedit nobis Deus.* Pręparavit & nos huic vitæ, & hanc vitam æternam nobis. Nos pręparavit, atque idoneos fecit ad participationem hujus vitæ Spiritu ſuo; *Idoneos nos fecit ad participandam ſortem Sanctorum in luce*; ad Coloſ.1.12. *Vivificavit nos per Chriſtum, cujus gratiâ eſtis ſervati*; ad Epheſ. 2.5. Pręparavit etiam hoc regnum nobis aſcenſu ſuo; *Proficiſcor paraturus vobis locum; & cùm paravero, rurſus veniam, & aſſumam vos &c.* Ioan.14.3. Ille denique reddet ſuis hanc coronam æternę vitę; *Dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut quotquot dediſti ei, det illis vitam æternam*; Ioan. 17.2. *Repoſita eſt mihi corona quam reddet mihi Dominus*; 2.Tim.4.8.Chriſtus igitur rectè dicitur *vita noſtra*, id eſt, Author ſive Cauſa vitę noſtrę æternę: ut eſt ad Hebræos 5.9. *Et conſecratus factus eſt author ſalutis æternæ &c.*

2 Iam temporis circumſtantia perpendenda eſt: *Quando patefactus fuerit, tum* nos glorioſam vitam conſequemur. Chriſti patefactio, vel manifeſtatio, ſive apparitio, triplex in Scripturis proponitur.

Primò, manifeſtatus eſt in carne corporaliter, corporalibus hominum oculis, in nativitate ſua. Vnde Simeon ſibi gratulatur de corporeo Chriſti aſpectu; *Nunc dimittis ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*; Luc.2.30. *Deus conſpicuus factus eſt in carne*, 1. Tim. 3.16.

Secundò, manifeſtatus eſt in Evangelii prædicatione ſpiritualiter, ſpiritualibus fidelium oculis. De hac manifeſtatione loquitur Apoſtolus, ad Galatas 3.1. *Quis vos faſcinavit, ne obſequeremini veritati, quibus ob oculos Ieſus Chriſtus priùs fuerit depictus.* Et 1.Ioan.1.verſ.2. *Vita patefacta eſt &c.*

Tertiò, manifeſtandus reſtat toti mundo in ſplendore gloriæ ſuę, per adventum ſuum ad judicandos vivos & mortuos. De hac poſtrema patefactione loquitur Apoſtolus. In hunc enim uſque diem differtur glorificatio Sanctorum, tum abſque dubio perficienda. *Scio quòd redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra reſurrecturus ſum*; Iob.19. 25. Et 1.ad Cor. 15.52. &c. *Canet tuba, & mortui ſuſcitabuntur incorrupti, & nos mutabimur: oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Hic igitur ille dies feſtus eſt, de quo ſubjungit Apoſtolus præclaram & jucundiſſimam promiſſionem,

hiſce

hiſce verbis ſequentibus,

Tum & vos cum eo patefietis in gloria, vel *glorioſi*] Hoc eſt, tum & vos ſinguli conformes fietis glorioſo veſtro Capiti,& Servatori Ieſu Chriſto. Hujus æternæ vitæ promiſſa gloria (ut cum Schola loquar) ſita eſt in duplici ſtola: in ſtola animæ, & ſtola corporis. Stola animæ conſiſtit, Primò, in manifeſta Dei viſione, quæ ſuccedit fidei; juxta illud Apoſtoli, *Nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*; 1.Cor.13.12. Secundò, in perfecta ejus fruitione, quæ ſuccedit ſpei. *Non eſurient, non ſitient: quoniam agnus qui in medio throni eſt reget illos & deducet ad vitæ fontes, & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*; Apocal.7.16.17. Tertiò in perfecto Dei amore, qui ſuccedit imperfectæ noſtræ charitati, eámque perficiet in ſeculo futuro. *Prophetiæ evacuabuntur, linguæ ceſſabunt, charitas nunquam excidet*; 1.Cor.13.8. Iam verò quanta gloriæ & felicitatis congeries ſit, Deum videre, amare, poſſidere, non modò oratione conſequi, ſed ne cogitatione complecti poſſumus; nam verè Gregorius Moral.27.26. *Cùm homo mortalis de æterna gloria diſſerit, cæcus de luce diſputat.*

Glorioſa illa ſtola corporis ſita eſt in variis dotibus, quibus tum ornabitur. In claritate; *Iuſti fulgebunt ſicut ſol*; Mat. 13.43. In impaſſibilitate; *Corruptibile hoc induet incorruptionem*; 1.Cor.15.53. In agilitate; quæ ſecundum Auguſtinum tanta erit, quòd *ubi volet Spiritus, ibi protinus erit & corpus.* Adduntur & aliæ à Scholaſticis nonnullis, ſed non eſt inſtituti mei curioſè hiſce de rebus aliquid definire: ſufficit illud Apoſtoli 1.Cor.15.43. *Seminatur in ignobilitate, ſurgit in gloria; ſeminatur in infirmitate, ſurgit in virtute; ſeminatur corpus animale, ſurgit corpus ſpirituale.* Si quis plura cupiat videre de hoc ſtatu beatorum, conſulat Proſper. de Vit. Contemp.lib.1.cap.4. Pariſienſ. de Vniverſo; Alber. Compend.lib.7.cap.23. & 24. &c. Thom. Sum.part.3.quæſt.82.artic.1.2.&c. Atque hæc de Dono gloriæ, de Tempore retributionis, de Chriſto Donatore ejuſdem. Iam ſecundo in loco conſideremus, quàm mirificè hæc omnia faciant ad contemptum terrenorum, & deſiderium cœleſtium.

Primò igitur ipſe ſtatus gloriæ nobis promiſſus, & indies expectatus movere debet ad ſpernenda terrena: nam ſi regni terreni hæredes dedignantur vilibus & abjectis negotiis occupari; quantò magis oportet ad cœleſte regnum deſignatos, ſub pedibus conculcare concupiſcentiam rerum terrenarum? Notum eſt illud Alexandri, qui, cùm invitaretur ad certamen curſus unà cum plebeiis quibuſdam hominibus, dicebat Regis filio non convenire ut in ſtadio curreret, niſi cum Regibus. Regium hunc animum & nos gerere oportet, atque ſtatuere, non poſſe nos pro dignitate conditionis noſtræ currere cum mundanis hominibus

in ſtadio rerum terrenarum; ſed cum filiis Dei & cohęredibus cœli debere curſum noſtrum ſic inſtituere, ut quæramus & comprehendamus cœleſtia. Hoc eſt quod Chriſtus monuit: *Ne eſtote ſoliciti dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quo amiciemur? nam omnia iſta gentes exquirunt; vos autem quærite regnum Dei & juſtitiam ejus*; Mat. 6. 31. &c. *Sanctus dum ſolam appetit æternitatem, infra ſe habet omne quod tranſit*; Gregor. Moral. 1. 3. 14.

Secundò, ſi ſeriò perpendamus quis ſit donator hujus gloriosæ coronæ, & illud nos excitabit ad terrena contemnenda. Chriſtus vita noſtra ut antè oſtenſum eſt, ille promiſit, ille promeruit, ille reddet hanc coronam gloriæ; ſed quibus? num quęrentibus & diligentibus terrena? Minimè, ſed quærentibus ſuperna, & *diligentibus adventum ſuum*. Ab illo oportet ſtipendium expectare, cui militâſti: ſi mundo, carni, aut diabolo, non aliud donativum quàm mortem expecta; ſi Chriſto, tum demum licebit ſperare gloriam. *Qui ſeminat carni ſuæ, ex carne metet interitum: qui verò ſeminat ſpiritui, ex ſpiritu metet vitam æternam*; Galat. 6. 8. Præclarè Bernardus; *Non eſt via ad regnum ſine primitiis regni; nec ſperare poteſt cœleſte regnum, cui neque ſuper propriam regnare concupiſcentiam adhuc datur*. Sic 1 Ioan. 3. 2. &c. *Cum Chriſtus patefactus fuerit ſimiles ei erimus; & quiſquis habet hanc ſpem purificat ſe ſicut ille purus eſt*. Chriſtus autem tam purus fuit à concupiſcentia rerum terrenarum, quàm potuit maximè: nam noluit vel parvam corporis ſui inclinationem diabolo præſtare, ut omnia regna mundi indè lucrifaceret & gloriam eorum; Mat. 4. 8. Sic animati eſſe debemus, ſi à Chriſto vitâ noſtrâ vitam æternam expectamus.

2. *Tim.* 4. 8.

Tertiò, temporis circumſtantia quo expectamus hanc vitam glorioſam, validiſſimum incitamentum eſt ad dejungendos animos noſtros ab amore rerum terrenarum. Quando enim reddetur hæc corona glorię? *Quando ipſe apparuerit*, id eſt, in die adventus Domini. At hic dies, ſi Scripturis fidem adhibemus, & Citò adveniet, & Subitò.

Citò; *Adhuc modicum, qui venturus eſt veniet, & non tardabit*; Heb. 10. 37. Et Apocal. 22. 12. *Ecce venio citò & merces mea mecum*. Iam verò non videri debet moleſtum aut oneroſum, ad exiguum temporis ſpatium temperare nobis, & abſtinere à rebus terrenis, appropinquante Chriſto, & gloriam æternam nobis ſpondente; *Mercenarius, quod grave perpendit ex opere, leve reputat ex præmio*, inquit Gregor. Moral. 8. 8. *Patientes* igitur *eſtote vos, & confirmate corda veſtra, quoniam adventus Domini appropinquabit*; Iacobi 5. 8.

Subitò etiam adveniet ille dies; *Sicut fulgur coruſcans de cœlo, ità erit filius hominis in die ſuo*; Lucæ 17. 24. *Adveniet dies Domini ut fur*; 2. Petri. 3. 10. Iam verò quis

non

non videt quàm periculoſum ſit implicari rebus & deſideriis terrenis; & ſic opprimi inopinantem? Chriſtus prævidit hoc periculum noſtrum, & præmonuit vitandum; *Similes eſtote hominibus expectantibus Dominum ſuum quando revertatur à nuptiis &c.* Luc.12.36. *Ecce venio ſicut fur, beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus*; Apoc.16.15. Quid igitur de nobis fiet, ſi ſubitò deprehendamur toti hiſce rebus terrenis immerſi? Audi Gregorium; *Qui defluere devitat, fugiat quod defluit, ne per hoc quod amat, in hoc cogatur devenire quod vitat, illò enim trahitur quò tendit*; Moral.22.2. Atq; ſic breviter oſtenſum eſt, quòd ſive ipſum donum gloriæ æternæ, ſive donatorem, ſive tempus donationis conſideremus; hæc omnia & ſingula debent nos retrahere ab affectu terrenorum, & excitare ad cœleſtia perpetuò quærenda & cogitanda. Id jam reſtat ut ex hiſce omnibus Corollaria deducamus, tum ad Doctrinam, tum ad Correctionem, tum denique ad Conſolationem noſtram ſpectantia.

Documenta ex hoc verſu exurgentia.

Quando Chriſtus vita noſtra patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis in gloria]

Deus voluit Chriſtum filium ſuum eſſe fontem & largitorem vitę glorioſæ omnibus ſuis membris fidelibus: non igitur ab aliis ſperanda, aut emendicanda. *Docum.1.*

Hic Chriſtus in cœlum ſublatus, ab oculis noſtris removetur: fidei igitur oculis apprehendendus eſt; atque hoc perpetuum debet eſſe exercitium piorum, in cœlum ſubvolare, Chriſtum glorioſum contemplari, atque in illo futuræ ſuæ gloriæ certitudinem ſibimetipſis certam reddere. *Docum.2.*

Chriſtianorum felicitas non ſita eſt in rebus præſentis ſeculi; ſed tota dependet ab expectatione rerum futurarum. *Fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum*, inquit Tertull. Opus eſt igitur fide ſpeciali. *Docum.3.*

Solatia.

Non noſmetipſi, ſed Chriſtus cuſtos eſt vitæ æternę nobis promiſſæ: licèt igitur trepidare cogimur quoties labilem noſtram conditionem in ſe conſideramus; tamen quoties Chriſti firmiſſimam & fidiſſimam cuſtodiam cogitamus, animoſam illam fidei vocem emittimus, *Scio quòd mihi repoſita eſt corona.* *Solat. 1.*

Gloria hæc piis reſervata lenire poteſt omnes calamitates temporales. Præclarè hanc rem tractat Cyprianus contra Demetrianum; *Pœnam* (inquit) *de adverſis mundi ille ſentit, cui & lætitia & gloria omnis in mundo eſt: ille mœret ſi ſibi malè ſit in ſeculo, cui non poteſt bene eſſe poſt ſeculum.* At fideles mala atque adverſa mundi fortiter tolerant, dum bona & proſpera futura proſpectant. Vide Abac.3.17.18. *Solat. 2.*

Solat. 3. Nihil poteſt eripi homini pio quod alicujus momenti & pretii ſit. In bona noſtra (quæ dicuntur) fortunæ, in vitam etiam hanc caducam prævalere poteſt injuria improborum; ſed in bona promiſſę glorię & in vitam noſtram æternam nihil poteſt.

Reprehenſiones.

Repreh. 1. Taxandi qui Chriſtum, & Chriſti adventum, aut nunquam cogitant, aut non cogitant cum gaudio. Quis enim poteſt torporem iſtorum excuſare, qui vitam vitę ſuæ non cupienter cupiunt; qui diem illum hujus novæ vitæ natalem cum gaudio non præſtolantur?

Repreh. 2. Et illi etiam meritò increpandi, qui ambiunt gloriam hujus mundi: quid enim hoc aliud eſt, quàm violare velle decretum hoc divinum? Is gloriam Chriſtianorum ab adventu Chriſti ſecundo ſanxit expectandam: intereà temporis injurias & miſerias ferre oportet, non glorias & felicitates ſomniare, niſi velimus cum Divite in ſeculo futuro audire, *Recordare quia recepiſti bona in vita tua & Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic reficitur, tu verò cruciaris*; Luc. 16.25.

Repreh. 3. Irridenda, vel miſeranda potiùs inſania hominum mundanorum, qui ſe felices putant, quòd fruantur voluptatibus, honoribus, opibus hujus ſeculi; & pios è contrà abjectiſſimos & miſerrimos ducunt quòd iiſdem maximam ob partem deſtituantur. Sed nec iſti vere felices quos manet æterna miſeria, nec hi miſeri quos expectat æterna gloria. Scitè Lactantius Inſtit. 6.22. *Sicut ad verum bonum per fallacia mala, ſic ad verum malum per fallacia bona pervenitur.* Atque ſic abſolvimus primum membrum generalis hortationis.

VERS. V.

Mortificate igitur membra veſtra terreſtria, ſcortationem, immundiciem, mollitiem, cupiditatem malam, & avaritiam quæ eſt idololatria.

PEractâ illâ primâ hortationis parte, quæ docuit quid extra nos quærendum, quid fugiendum ſit: progreditur Apoſtolus atque docet quid intra nos extirpandum & abolendum; quid alendum & fovendum ſit. Illa prior nos dirigebat ad appetendum verum finem, cœleſtem ſcilicet beatitudinem; hæc nos dirigit ad viam ineundam quę eò ducit, nimirum ad veram ſanctificationē.

Sunt autem hujus hortationis quæ vocat ad vitæ ſanctitatem duo membra. In priore excitat Coloſſenſes ad deponendum ſive exuendum vitioſos actus & affectus: in poſteriore ad induendum & exercendum bonos.

Mortificanda autem ſuadet Apoſtolus, primò, vitia carnalia,

quę

quæ immediatè ſpectant proprias noſtras ſed illicitas voluptates, in hoc verſu, & duobus ſequentibus: ſecundò, vitia ſpiritualia, quæ tendunt immediatè ad proximorum injurias, in illis qui ſequuntur. Sed accedamus ad hunc verſiculum quintum. Duo hîc facit Apoſtolus: primò, proponit generalem hortationem ad ſtudium mortificationis: ſecundò, particularem enumerationem quorundam vitioſorum actuum, & affectuum quos vult mortificari.

Mortificate igitur membra veſtra terreſtria.] In hiſce verbis habetis generalem illam hortationem ad praxin mortificationis. In ea obſervemus,

Primò, connexionem vel dependentiam horum verborum; nam particula illativa *igitur*, cogit nos reſpicere ad ea quæ præceſſerunt. Sic itaque connectenda ſunt cum ſuperioribus. Quia reſurrexiſtis cum Chriſto, quia mortui eſtis cum Chriſto, quia glorioſam vitam abſconditam habetis in Chriſto; *igitur mortificate membra veſtra &c.* Vnde colligitur κοινωνίαν noſtram cum Chriſto moriente, reſurgente, aſcendente, validiſſimum eſſe incitamentum ad vitæ novitatem & ſanctitatem.

Secundò, ipſum actum conſideremus ad quem provocamur, hoc vocabulo expreſſum, Νεκρώσατε, *Mortificate*, id eſt, facite corpus veteris Adami inſtar cadaveris, ut quamvis retineat quædam membra, & lineamenta, ſint tamen inefficacia, vitâ motúque deſtituta; id eſt, *Ne regnet peccatum in mortali hoc veſtro corpore, ut obediatis ei in concupiſcentiis ejus.* Eſt itaque hæc mortificatio noſtra nihil aliud quàm ſtudium ſive praxis reprimendi corruptam noſtram naturam, & coercendi omnes illicitas actiones & affectiones quæ indè ſolent ebullire. In hoc autem ſtudio hæc tria involvuntur: ſerium propoſitum reſiſtendi peccato; cautela occaſionum quæ inducere ſolent ad peccandum; uſus aſſiduus omnium mediorum quæ conducunt ad peccatum ſubjugandum. Bonum propoſitum avertit ipſum cor à viis peccati; diligens cautela facit ne revertamur; uſus mediorum ut conſtantes ſimus in propoſito, & feliciter progrediamur. *Rom. 6. 12.*

Cùm Apoſtolus hortetur ut nos mortificemus membra noſtra, quæritur an mortificatio ſit opus humanum, vel arbitrii humani. Videtur Apoſtolus id perſpicuè aſſerere hoc in loco: at tota Scriptura clamat mortificationem & vivificationem noſtram eſſe effecta ſolius potentiæ divinæ, per Spiritum ſanctum regenerantem & vitam novam hominibus inſpirantem producta. *Non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*; Ioh. 1. 13. *Dei factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu in bonis operibus*; Epheſ. 2. 10. Rectè Gerſon, par. 3. *Deus non ſolùm ſuſcitat mortuos in peccatis, ſed animæ affectus concitat ad deſiderium ſuſcitationis.* Et Auguſtinus, *Liberum ar-* *Queſt. 1.*

bitrium non in iis quæ ad Deum pertinent, ſed tantùm in operibus vitæ præſentis valet; contr. Pelag. Hypognoſt. lib. 3.

Solut. Facilè hunc nodum ſolvamus, ſi animadvertere velimus quales tandem ſunt quos hîc alloquitur Apoſtolus: non profanos affatur, & in peccatis mortuos; ſed Chriſtianos, id eſt, eos quos præſumit jam renatos, illos jubet mortificare membra &c. Oportet itaq; perſpicuitatis causâ, duplicem mortificationem ponere. Primam, quam Habitualem, ſive Internam appellare licet; eſtque opus ſolius Spiritus divini ſpirantis ubi vult: hanc autem mortificationem efficit dum ſe unà cum donis gratiæ ſuæ infundit in animam humanam, quorum efficaciâ peccati vis & dominium mortificatur & diſſolvitur. Secundam, quam Externam ſive Practicam appellamus; eſtque opus ipſius hominis renati, dum Spiritus adjutorio profert fructus iſtius internæ mortificationis, nimirum dum reſiſtit peccati tentationibus, dum cohibet inordinatos affectus, dum cavet diligenter ne ruat in illicitos actus: hoc enim qui facit, dicitur mortificare carnem ſuam. Actio igitur mortificationis nobis tributa, nihil aliud eſt quàm ἐνέργεια, ſive operatio dimanans ab infuſa gratia, & illâ quam appellavimus internam ſive habitualem mortificationem à Spiritu ſancto effectam.

Quæſt. 2. Iterum quæritur, quomodo cohæreat hæc Apoſtolica hortatio cum præcedentibus. Dixerat illos *mortuos*, ver. 3. jam addit *Mortificate membra veſtra:* at quid opus eſt ut quis jubeat mortuum adhuc mortificare ſeipſum?

Solut. Pendet ſolutio ex prædictis. Primò igitur reſpondemus, mortuos fuiſſe Coloſſenſes Sacramentaliter in Baptiſmi ſuſceptione; juberi autem ut mortificent membra ſua Actualiter, in vitæ ſcilicet converſatione: hæc autem connexa ſunt, non pugnantia. Secundò, dicimus illos fuiſſe inſuper mortuos Habituali mortificatione, infuſo ſcilicet cordibus illorum Spiritu ſancto effectore internæ mortificationis: debere autem mortificare ſeipſos Practicâ mortificatione, exercendo infuſam gratiam in oppugnandis ſuis concupiſcentiis. Tertiò & illud adjungimus, mortis naturalis & mortificationis ſpiritualis non eſſe eandem rationem. Qui mortem oppetiit naturalem fruſtra juberetur ſeipſum indies magis mortificare, quia mors naturalis eſt pura privatio, nec admittit in ſubjecto aliquid de contrario: ſed mortificatio ſpiritualis non eſt pura privatio; nam dum corpus hoc mortale geſtamus, relinquitur aliquid de contrario fomite, quod perpetuò oppugnandum, & magis magiſque mortificandum eſt. Rectè Origenes in Epiſt. ad Romanos; *Mortificatio peccati non fit uno momento, ſed opus eſt luctâ aſſiduâ. Peccatum langueſcit ab initio mortificationis noſtræ, in progreſſu tabeſcit, ad extremum (hoc eſt, in ipſa morte noſtra) abolebitur.* Vltimò, & illud non incommo-

dè

dè respondetur, juberi mortuos ut sese adhuc mortificent, quia si neglexerint perpetuam praxin mortificationis, vitia conculcata & subacta resumunt vires, corruptio absterſa repullulat, & suffocatâ gratiâ Spiritus sancti, redit homo ad ingenium suum. Eleganti similitudine hoc illustratur à Chrysostomo: *Quemadmodum* (inquit) *si quis ſtatuam pulvere & rubigine oppletam purgaverit, & ſplendidam effecerit, verè dicat illam exterſam, rectè tamen moneat ut quotidiè extergatur; quia hæc admonitio reſpicit illas ſordes quæ de novo huic ſtatuæ adhærebunt ſi neglecta fuerit: Sic Apoſtolus verè dixit Coloſſenſes mortuos fuiſſe peccato, ſapienter etiam monet ut quotidiè mortificent opera carnis; quia hæc admonitio ſpectat impuras illas concupiſcentias quæ denuò ſuccreſcent & invaleſcent, niſi perpetuâ & diligenti operâ reprimantur.* Hæc de actu mortificationis, ad quam non frustra excitari videtis, etiam eos qui jam mortui sunt peccato.

Membra veſtra terreſtria] Ab actu ad objectum transit circa quod versari debet hæc practica mortificatio. Tertio igitur in loco, consideremus hoc objectum; & quoniam singula verba ab Apostolo hîc usurpata habent in se aliquid momenti, ea sigillatim expendemus. 3

Membra] Quod ad primum hoc vocabulum attinet, duo nobis ostendenda sunt. Primum, quid per *membra* designet Apostolus. Secundum, quæ ratio hujus nuncupationis. Membra igitur vocat vitiosas omnes & inordinatas dispositiones, cupiditates, motus, & actus corruptæ naturæ: hæc enim omnia sunt a nobis mortificanda, id est, oppugnanda, subjuganda, comprimenda. Primaria hujus corruptæ nostræ naturæ membra tria sunt: intellectus obtenebratio & vanitas; voluntatis depravatio & obliquitas; appetitus inferioris rebellio, & ad peccatum pronitas. Hisce agnata sunt, atque ab iisdem quasi dependent inferiora membra innumera; quorum quædam hoc in loco statim subjunguntur, plura occurrunt 5. ad Galatas ver. 19, 20, 21. ubi nomine mutato *opera carnis* vocantur.

Iam videamus cur membra nuncupentur. Tres causas hujus appellationis afferre licet;

Primò, quia vetus Adamus, vel massa corruptæ naturæ in nobis habitans, confertur *corpori*. Rom. 6. 6. vel *homini*, ibidem; ideò æquum & aptum fuit, retentâ eâdem Metaphorâ, hujus corruptionis partes *membra* appellare. Habet unusquisq; nostrûm tres homines, vel tria corpora: corpus naturale & visibile; cujus membra etiam nota sunt & visibilia: corpus peccati, seu veteris Adami; cujus membra sunt vitiosæ illæ dispositiones, cupiditates, actiones, quas modò perstrinximus: corpus novi hominis, qui secundum imaginem Dei reformatus est; cujus membra

sunt

ſunt fides, charitas, ſanctitas, cæteráque dona Spiritus ſancti.

2. Appellantur fortaſſe membra, vitioſi affectus & actus ab hoc vetere Adamo prodeuntes, quia inhærent & ſeſe exerunt in ſingulis membris & partibus hujus corporis naturalis. Per illam itaque figuram quam dicunt μετονυμίαν Subjecti, traductum eſt nomen membrorum ad ſignificandum vitioſos affectus & actus, qui ſunt in membris, & à membris corporalibus.

3. Membra appellantur à proportione, vel uſu conſimili quem habent ſi conferantur cum membris corporis naturalis. Quemadmodum enim nos utimur membris hujus corporis naturalis, ad explenda deſideria, & perficienda opera naturæ: ſic vetus homo utitur illis vitioſis affectibus, tanquam inſtrumentis, ad explenda deſideria, & perficienda opera peccati.

Videtis cur *membra* dicantur; jam videamus cur *veſtra* & *terreſtria* addidit.

Veſtra] Noſtra dicuntur hæc membra, quia & totum etiam corpus illud peccati propriè noſtrum eſt. Corpus hoc naturale quod geſtamus, noſtrum jam eſt quoad uſum; ſed quoad creationem à Deo illud accepimus. Iob. 10. 10. *Nonne ſicut lac fudiſti me? & tanquam caſeum coagulaſti me? Pelle & carnibus veſtiſti me? oſſibus & nervis compegiſti me?* Sed corpus hoc peccati, & ſingula ejus membra ſunt omnimodò noſtra: nam Deus fecit hominem rectum, ipſe homo ſeipſum curvum reddidit & vitioſum.

Terreſtria] Sic vocat vitioſas cupiditates, quia ſemper tendunt ad terrena; quia detinent hominum animos in rebus terrenis; quia in terris ſolummodò locum habent corrupti mores & affectus, è cœlis autem excluduntur. Apocal. 21. 27. *Non intrabit aliquid coinquinatum.* Et 22. 15. *Foris canes &c.* Explicatâ jam generali hac hortatione ad mortificandum membra noſtra terreſtria, deducamus Corollaria.

Mortificate igitur membra veſtra terreſtria]

Coroll. 1. Cum Chriſto non reſurrexit, qui carni mortificandæ non dat operam: ex communicata enim nobis virtute mortis & reſurrectionis Chriſti ſemper ſequitur ſtudium mortificationis & ſanctitatis; non igitur mortificati, ſed in peccatis mortui ſunt quotquot carni delicias faciunt.

Coroll. 2. In hominibus peccato corruptis non poteſt ſe exerere verum ſtudium externæ mortificationis, niſi habeant intra ſe principium effectivum internæ mortificationis, gratiam dico Spiritus regenerantis. Externa itaque exercitia quę fiunt nonnunquam ab improbis, & ſpeciem præ ſe ferunt mortificationis, non ſunt internæ mortificationis genuina effecta, ſed falſa ſimulachra.

Ab Actu imperato; *Mortificate*]

Coroll. 3. Ipſi renati in hac vita nunquam conſequuntur tam perfectam mor-

mortificationem, quin ſemper illis laborandum, ut magis magiſq; mortificentur.

Si remiſerint hoc ſtudium, accidere poteſt cuivis quod ſancto Davidi accidit, ut abripiatur impetu concupiſcentiarum, & ad tempus miſerè ſerviat peccato, de quo priùs triumphum glorioſè egerat. *Coroll.* 4.

Ab Objecto; *Membra*]

Tam eſt unicuique noſtrum agnatum corpus hoc peccati, quàm eſt ipſum corpus carnis noſtræ: nec conſtat paucioribus membris quàm illud alterum. *Coroll.* 5.

Quemadmodum dum hîc vivitur neceſſariò geſtamus corpus hoc naturale, neque poſſumus illud exuere; ſic nec corpus peccati quod nobis adhæreſcit penitus deponere poſſumus, licèt caſtigare & ſubjugare illud & poſſumus & debemus. Chriſtiano itaque pugna eſt Perpetua, Laborioſa, Periculoſa. Perpetua; quia cum hoſte non in hac vita extirpando: Laborioſa; quia cum hoſte multiplici: Periculoſa; quia cum domeſtico. *Coroll.* 6.

Peccatum originale non ſitum eſt in mera privatione, vel ſubtractione originalis juſtitiæ, ut nugantur quidam Scholaſtici; ſed inſuper in multis depravatis & corruptis diſpoſitionibus, habitibus, & affectibus. Sententiam hanc doctè probavit Pariſienſis in lib. de Vitiis & Peccatis cap.5. & 6. Huic aſtipulatur Thomas 1.2.quæſt.82.artic.1. cujus verba adſcribam. *Dicendum quòd ſicut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione in quantum tollitur æqualitas ſanitatis, & aliquid habet poſitivè, ſcilicet ipſos humores inordinatè diſpoſitos: ità etiam peccatum originale habet privationem originalis juſtitiæ, & cum hoc inordinatam diſpoſitionem partium animæ: unde non eſt privatio pura, ſed eſt quidam habitus corruptus.* Hæc Thomas. Neque probabile eſt, vocabula hæc quæ uſurpantur ab Apoſtolo; *Vetus Adamus, Corpus peccati, Membra terreſtria*, deſignare nihil aliud quàm meram privationem. *Coroll.* 7.

Ab Epithetis; *Veſtra, Terreſtria*]

Peccatum originale, nec à Deo Conditore noſtro, nec à principiis naturæ noſtræ puræ & integræ, ſed à peccato voluntario primorum parentum originem habuit. Hinc membra noſtra dicuntur illius partes, id eſt, veteris Adami ad nos propagati, & in nobis habitantis. *Coroll.* 8.

Si quid boni in nobis ſit, id Deo ſoli acceptum ferre oportet; *Quid enim habes quod non accepiſti?* Nobis ſi quid arrogare velimus, quæ propria ſunt & noſtra vendicemus, id eſt, peccata & corruptionem, non merita & juſtitiam. *Coroll.* 9.

In terrenis tota demerſa jacet mens hominis animalis, neque poteſt ad cœlum ſe erigere ante infuſam gratiam: nam membra animæ noſtræ, id eſt, inclinationes & affectus ſunt ἐπὶ τῆς γῆς, *Coroll.* 10.

terrenæ,

terrenæ, vel terræ affixæ Naturaliter; ad cœlum verò elevatæ non niſi trahente Gratiâ.

Coroll. 11. Reſiſtendum omnibus hiſce cupiditatibus terrenis quia membra ſunt veteris Adami, cui obedire nihil aliud eſt quàm in interitum ruere. Hæc de generali hortatione.

Fornicationem, impuritatem, effrænatam libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam quæ eſt idololatria]

Membra terrena veteris Adami eſſe mortificanda generali hortatione ſuaſit Apoſtolus; jam ut conſtet quænam illa membra ſint, addit particularem quorundam ſpecificationem, ex quorum enumeratione vult & cætera omnia intelligi, quæ ſunt ejuſdem naturæ, & originis, id eſt, quæ veteris hominis ſunt effecta. Ordi-tur (uti videtis) à vitiis carnalibus; hiſce copulat avaritiam; quam denique atro carbone notat, dum idololatriæ comparat. Quod attinet ad vitia carnalis luxuriæ, 1. Mihi damnare videtur externos actus; ad hos enim refero *fornicationem & impuritatem*: 2. Internos motus & affectus, quos vocabulum illud πάθος deſignat: 3. Ipſam radicem, ſive fontem externæ & internæ libidinis, quam *concupiſcentiam malam* vocat. Percurramus hęc ſingula ſuo ordine.

Fornicationem] Fornicationem definit Auguſtinus, *Concubitum vagum, & à legitimo connubio ſolutum, explendæ libidinis causâ ſolummodò expetitum*; in Expoſit. Epiſt. ad Galat. Tom. 4. Reſtringi ſolet ad eos, qui cum fœminis proſtitutis conſuetudinem habent, aut ſaltem cum concubinis: nam ſi matronæ aut virgines violentur, illud adulterii, hoc ſtupri nomine cenſetur. Tam familiare fuit hoc vitium Ethnicis, ut nomen & infamiam criminis amiſerit, & inter voluptates legitimas à pleriſque habitum fuerit. Notum eſt illud Comici; *Non eſt flagitium (mihi crede) adoleſcentulum ſcortari.* Et ne quis dicat hoc pro perſona Mitionis dictum, eandem fuiſſe tetrici Catonis ſententiam reperiet apud Horatium: qui cùm conſpexiſſet juvenem ingredientem lupanar, dixit, *Huc æquum eſt juvenes deſcendere*; quaſi illud probitatis & honeſtatis argumentum fuiſſet. Altas radices egerat in animos omnium penè Ethnicorum hæc opinio, fornicationem aut licitam eſſe, aut ſaltem tolerabilem. Huic itaque errori inprimis occurrit Apoſtolus, & fornicationem dicit à Chriſtianis procul arcendam: nam ſi hæc probetur, facilè ſequetur, alias luxuriæ ſpecies, quæ graviorem inducunt reatum, eſſe multò magis fugiendas.

Quod attinet ad hoc vitium, 1. Oſtendemus ex ſacris Scripturis quàm pernicioſum ſit: 2. Diluemus ea quæ afferri ſolent ab iſtis libidinum patronis. Grave admodum eſſe hoc peccatum patebit ſi ad ſtateras Sanctuarii ponderetur.

1. Quia non inter legitimas voluptates, ſed inter fœtidas & deteſta-

teſtabiles impuritates ſemper recenſetur. Rom.1.29. ſcribit Apoſtolus homines in reprobum ſenſum traditos, *repletos eſſe omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, &c.* Et ad Eph. 5. 3. *Fornicatio & omnis immunditia ne nominetur &c.*

2. Quia judicantur excludendi à conſortio fidelium Chriſtianorum, qui fornicationem ſectantur: at nemo ob leviuſcula errata ejiciendus eſt extra Eccleſiam. Habemus Pauli in fornicatores latam ſententiam, 1. Cor.5.11. *Scripſi vobis ne commiſceamini cum ſcortatoribus: ſi quis frater nominetur ſcortator, cum ejuſmodi ne edatis quidem.*

3. Quia ob hoc flagitium excluduntur à regno cœlorum, & ſubduntur homines vindictæ & iræ divinæ. 1. Cor.6.9. *Neque ſcortatores, neque idololatræ, neque fures regnum Dei poſſidebunt.* Et ad Heb.13.ver.14. *Fornicatores & adulteros judicabit Deus.*

Hiſce alias quamplurimas rationes adjungere facillimum eſt, quæ etiam gravitatem hujus criminis demonſtrant.

4. Quia corpus præ aliis vitiis maximè polluit: at corpora noſtra ſunt *membra Chriſti, & templa Spiritus ſancti*; 1.Cor.6.15. &c. Non eſt itaque leve crimen, membra Chriſti facere membra meretricis, templum Spiritus ſancti facere officinam libidinis.

5. Quia animam & mentem maximè occæcat. Hoc vitio occæcatus prudentiſſimus Salomon, idololatra evaſit; *Averterunt mulieres cor ejus*; 1.Reg.11.3. Ne Philoſophum quidem hoc latuit; Eth.7.10. Οὐχ ἅμα φρόνιμον καὶ ἀκρατῆ ἐνδέχεται εἶναι τὸν αὐτόν. Gregor. Magn. Moral. 33. *cæcitatem mentis*, dicit, *eſſe luxuriæ filiam natu maximam.*

6. Quia non ſolum ipſum fornicatorem reum conſtituit æternæ mortis, ſed miſeras etiam illas in quas peccat. Hoc valde facit ad aggravationem hujus peccati: non enim ità ſe habet in aliis criminibus. Si quis furetur bona mulierculæ, ſi falſum dicat teſtimonium in illam, ſi occidat denique, injuriâ afficit; ſed non reatu conſtringit damnabili, quia participem non facit peccati ſui: at fornicatores ſuo peccato eas ſimul commaculant, adeò ut ſi ipſi quandoque reſipiſcant, tamen angantur animo neceſſe eſt, quòd quantum in illis eſt, alienas animas in gehennam ſui criminis contagione præcipitaverint. Hæc de gravitate hujus criminis.

Iam audiamus quid obtendi ſolet ab illis, qui negant fornicationem ſimplicem (utar enim verbis illorum) eſſe mortale peccatum: atque etiam ab iſtis, qui cùm dederint eſſe peccatum mortale, tamen retinenda lupanaria & proſtibula contendunt. Prior error non modò Ethnicorum, ſed (ſi Alberto credimus) Chriſtianorum quorundam fuit: ſcribit enim Græcos hoc palam defendiſſe, & refutatos fuiſſe à Latinis in Concilio Lugdunenſi; par. 2. tract. 18. queſt.122. Idem refert Alfonſus de Caſtro ex Gui- 2

done lib. 7. tit. *Fornicatio.* Alter error Pontificiorum eſt, qui arctè tenent, lupanaria non eſſe è civitatibus removenda: quod colligitur tum ex ſcriptis, tum ex factis illorum; non enim conantur tollere.

Object. 1. pro fornicationis licentia. Qui fornicationem negant eſſe peccatum mortale, ſic arguunt ex 15. Actor. 20. Quæ ibi connumerantur videntur eſſe unius rationis: ſed fornicatio connumeratur cum rebus quibuſdam adiaphoris; *Abſtineant à contaminationibus ſimulachrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine.*

Solut. Reſpondeo, fornicationem non ſemper in Scripturis connumerari cum rebus ſuâ naturâ adiaphoris, ſed quandoque cum ſimpliciter malis, ut oſtenſum eſt. Ratio autem cur hoc in loco connumeretur rebus quibuſdam adiaphoris, non eſt quòd ſint ejuſdem naturæ, aut æqualis culpæ; ſed quòd pariter hæc omnia valebant ad perturbandam Eccleſiam, & diſſidium excitandum inter Gentiles converſos & Iudæos adhuc infirmos.

Object. 2. Quod eſt peccatum mortale, & per ſe malum moraliter, id tale intelligitur etiam lumine naturæ: ſed Ethnici qui adulterium, ſtuprum, & inceſtum, tanquam flagitioſa crimina averſabantur, fornicationem nemini vitio vertendam putabant; quia ſcilicet, non dictabat natura illud eſſe peccatum.

Solut. Reſpondeo primò, non eſſe ſtatuendum *de rebus ſecundum opinionem impiorum*, ſicuti nec *de ſaporibus ſecundum æſtimationem ægrorum*; ut rectè Aquinas. Quamvis igitur corrupta & occœcata mens non judicet fornicationem eſſe peccatum, minimè tamen evincitur non eſſe idcircò habendam pro peccato. Nam (fatente Oratore) *tanta eſt corruptela malæ conſuetudinis, ut ab ea igniculi extinguantur à natura dati, exoriantúrque vitia contraria*; de Leg. 1. Sed hec illud admittimus, non fuiſſe ſcortationem etiam ab Ethnicis ſapientioribus damnatam. Alcmena apud Plautum; *Quam tu impudicam eſſe arbitrere cum ea tu ſermonem nec joco nec ſeriò tibi habeas, niſi ſis ſtultior ſtultiſſimo. Animo per libidines corrupto nihil honeſtum ineſt*; Tacitus.

Object. 3. Peccatum non poteſt cadere ſub præcepto divino; ſed Deus præcipit Oſeæ Prophetæ, *Vade, ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum &c.* cap. 1. ver. 2; ergò fornicari non eſt peccatum.

Solut. Reſpondeo, illud verbum *fac*, quod adjicitur in vulgata verſione, neq; in Hebræo, nec in Græco haberi: ſed jubetur Propheta ſumere ſibi in uxorem mulierem illam fornicariam, & domum ad ſe adducere etiam filios, quos illa ex fornicatione ſuſceperat. Sive hoc verè factum, ſive in typo ſolummodò propoſitum fuerit, ad exprimendam ſpiritualem fornicationem Iudæorum, quos Deus ſibi deſponſaverat; nil juvat iſtos fornicationis patronos.

Si

Si cum Origine, Hieronymo, Chaldæo Paraphraſte, Tremellio, multiſque aliis dicamus in ſpiritu ſolummodò hoc factum; ad rem omninò non facit. Si cum Irenæo, Baſilio, Auguſtino, Cyrillo, aliiſque fateamur revera ſic factum fuiſſe; nihil tamen valet ad fornicationis defenſionem: nam Propheta non jubetur fornicari, ſed in uxorem ſibi ſumere mulierem fornicationibus olim deditam. Vnde Auguſtinus contra Fauſtum lib. 22. cap. 80. *Quid quæſo habet inimicum fidei Chriſtianæ, ſi meretrix, relictâ fornicatione, in caſtum conjugium commutetur?* Quod autem ſequitur in vulgata verſione, *& fac tibi filios fornicationum*, non repugnat huic ſententiæ, quæ ponit Prophetam uxorem duxiſſe hanc mulierculam fornicariam: nam aut vocantur filii fornicationum, quos antè ſuſceperat, ut conſtat ex originali contextu; aut ſi referatur ad eos quos ſuſceptura erat ex Propheta, & illi dicti ſunt filii fornicationum, quòd matris exemplum ſequentes plurimùm eſſent fornicaturi. Denique utcunque ſe res habet, reſponderi poteſt, Deum poſſe privatim aliquid jubere, quod à Lege ordinaria diſſideat: ſic juſſit Abrahamum trucidare innocentem filium, & Iudæos aſportare bona Ægyptiorum; intervenientе igitur ſpeciali & extraordinario præcepto, ceſſat obligatio ordinarii, quia materiæ conditio mutatur.

Fornicatio non contrariatur charitati, ergò non eſt peccatum. Sic enim apud Auguſtinum ratiocinantur; *Cùm ad meretricem eo, cui facio quod pati nolo? quomodo violo illud, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris? Si concupiſco uxorem proximi mei, nolo ut quiſquam concupiſcat meam: ſi concupiſco rem proximi, nolo ut auferatur meа: id facio itaq; quod pati nolo. Cùm verò meretricem adeo, cui facio quod pati nolo?* Aug. Tom. 9. de decem chor. cap. 10. *Obiect. 4.*

Vel maximè contrariatur charitati; 1. Quatenus repugnat bono prolis naſcituræ, cujus educatio & inſtructio negligitur, dum ex vago concubitu concipitur. 2. Quatenus repugnat bono mulieris corruptæ, & bono ipſius fornicatoris, dum in utroque corpus animúſque polluitur, & lethalis reatus incurritur. 3. Quatenus repugnat amori divino, dum Dei imago hac fœdâ libidine corrumpitur, Deíq; mandatum violatur. Neq; juvat iſtos quod dicunt, fornicando ſe non violare illam regulam, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Neq; enim ſpectandum ſimpliciter quid quiſque ab aliis ſibi velit fieri, ſed quid velit voluntate ordinatâ & ſanâ. Si quis velit ſuam filiam ſtuprari, non igitur licebit illi ſtuprare alienam, quia hoc vult voluntate malâ & inordinatâ. *Solutio.*

Iam accedamus ad Pontificios, qui fornicationem peccatum mortale eſſe concedunt, ſed nihilominus tamen lupanaria & publica proſtibula tuentur in civitatibus eſſe toleranda, ne in matronas peccet hominum libidinoſorum petulantia. *In regimine humano qui præſunt, rectè aliqua mala tolerant, ne pejora incurrantur*

currantur, inquit Aquinas, 2. 2. quæſt. 10. art. 11. atque inſtat in meretricibus. Hoc fuit ipſiſſimum argumentum Ethnicorum; ſic enim Cato dicebat, *Iuvenes ad ſcorta ire debere, ne ad uxores alienas accederent*. Sed Auguſtinus etiam vocatur in ſubſidium, & illud citatur ex lib.2. cap.4.de Ordin. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

Reſp. 1. Plùs æquo favent Pontificii fornicationi, cùm vitandi adulterii causâ tolerant fornicationem, vitandæ autem fornicationis non permittunt matrimonium. Loquor de Clericis & Monachis quibus extraordinarium continentiæ donum à Deo non conceſſum eſt. Cur enim in Laicis tolerant fornicationem, quam dicunt eſſe peccatum mortale; in Clericis non tolerant conjugium, quod Spiritus ſanctus dicit eſſe *honorabile*; niſi quòd, quicquid diſputent in contrarium, non ex animo ſtatuant eſſe peccatum lethale? Hinc illud (diſtin.82. in Gloſſ.) *Dicunt hodie pro fornicatione neminẽ eſſe deponendum, quia fragiliora ſunt corpora noſtra quàm olim erant.* Et cauſ. 2.qu.7.in Gloſſ. *Pro ſimplici fornicatione hodie nemo deponitur.* Clarum eſt itaq; Pontificios apertos eſſe patronos fornicationis: nec mirum ſi tam libenter abſtineant à conjugio.

Reſp. 2. Quod dicunt, toleranda lupanaria ne matronæ violentur, adverſatur divino mandato, Deut. 23. 17. *Nulla ſit meretrix aut proſtituta in Iſrael:* adverſatur doctrinæ Apoſtolicæ, qui voluit matrimonium, non ſcortationem eſſe remedium libidinis: adverſatur receptæ Theologorum ſententiæ, qui negant compenſationem delictorum eſſe admittendam. Non itaq; proſtituendæ ſunt meretrices, ne matronæ violentur. Adverſatur denique officio

Rom. 13. Chriſtiani Magiſtratus, qui tenetur, quantum in ſe eſt, curare ut omnes piè, ſobriè, & juſtè vivant: ferre itaque non debet eos, qui palàm profitentur artem meretriciam.

Reſp. 3. Quod attinet ad Auguſtini dictum, *Aufer meretrices de rebus humanis, & omnia impleveris libidinibus:* reſpondemus non tanti faciendum; quia illos libros de Ordine conſcripſit adoleſcens, & nondum baptizatus, ut patet ex primo Retractat. Opponimus etiam Patres graviores. Lactant. lib.6.cap.23. *Diabolus lupanaria conſtituit, & puderem infelicium mulierum publicavit.* Clem. Pædag. 3. cap.3. *Lupanaria ſunt publicæ intemperantiæ trophæa.* Tertullianus, de Cultu Fœminarum, *meretrices* appellat *infeliciſſimas publicarum libidinum victimas.* Iam verò quàm pudendum Chriſtiano Magiſtratui, ſi Diaboli inventa tueatur, ſi libidini publicas victimas immolari patiatur, ſi deniq; trophæa intemperantiæ non demoliatur? Illud addo, cùm Magiſtratus quàm diligentiſſimè curaverit ſcortationem reprimere, tamen ex rebus humanis nec meretrices nec fornicatores prorſus tollet, ſicuti nec fures nec ſicarios tollere poteſt. Deponant itaque licet hunc metum Pontificii.

Poſtremò, & illud adjungendum eſt, remedium hoc eſſe deterius ipſo malo quod timetur. Quamvis enim adulterium ſit ſimpliciter deterius fornicatione, tamen pejus eſt totam urbem lupanaribus perpetuò conſpurcatam eſſe, quàm ſi contigerit aliquando quaſdam conjugatas violari. Sed ne hoc quidem concedendum, meliùs poſſe cuſtodiri pudicitiam matronarum permiſſione ſcortationis, quàm ſeverâ ejuſdem punitione. Impunitate enim & conſuetudine peccandi creſcit audacia; & qui tyrocinium libidinis in ſcortationibus exercuerant, poſtmodùm tacti veterani matronas eò confidentiùs oppugnabunt. Huic rei fidem facit, quòd nunquam penè aut legimus aut audivimus matronas ab aliis conſtupratas, quàm ab iſtis qui ſcortationibus anteà fuerint aſſueti: tam bellè facit ad tuendam pudicitiam matronarum toleratio lupanarium. Atque hæc dicta ſufficiant contra illos qui vel negant fornicationem pro peccato habendam, vel aiunt adulterii vitandi causâ eſſe tolerandam. Hæſimus diutiùs in oppugnanda fornicatione, quia nacta eſt patronos ſuos; quæ reliqua ſunt vitia breviùs percurremus. *Reſp.* 4.

Sequitur igitur ſecundo in loco ἀκαθαρσία, ſive *impuritas*; quo nomine complecti voluit Apoſtolus fœdiora omnia libidinum genera, ut adulterium, inceſtum, ſtuprum, & ſpeciatim illa luxuriæ peccata, à quibus vel ipſa natura abhorret. Immundi itaque vocantur, qui non in una tantùm libidinis ſpecie, ſed in diverſis, iiſque fœdiſſimis volutantur. Hæc ἀκαθαρσία viguit ferè inter omnes Gentiles, quod ex eorum Poetis facilè colligas, qui ſæpè taxant, nonnunquam etiam probant haſce impuritates. Sed habemus clarum Pauli teſtimonium de hac Gentium impuritate, ad Rom. 1. 27. De hac impuritate loquitur Tertullianus de Pudicit. *Impias* (inquit) *libidinum furias ultra naturæ ipſius jura, non modò limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſummovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra.* Quia igitur à ſcortatione ad hanc immunditiem quandoque progredi ſolet effrænata libidinoſorum petulantia, ideò poſt ſcortationem, & omnem aliam impuritatem mortificandam dicit Apoſtolus. Ἀκαθαρσία

Nullum peccatum tam fœdum, tam ab ipſa humanitate alienum, in quod impellere non poſſit hominem nondum mortificatum inſita naturæ noſtræ corruptio. *Obſerv.* 1.

Leviora peccata viam quaſi ſternunt & muniunt gravioribus; hæc ἀκαθαρσία ſemper à tergo ſequitur fornicationem: unde Apoſtolus ad Epheſ. 5. 3. πορνεία δὲ καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία &c. *Obſerv.* 2.

Vt occurratur gravioribus peccatis, tutiſſimum eſt non tolerare leviora, ſed quantùm in nobis eſt extirpare. Si principiis obſtes, non fiet progreſſus ad ulteriora; ſi hîc vel tantillùm indulgeas, creſcit nequitia. Hactenus contra externos libidinis actus dimicatum eſt. *Obſerv.* 3.

πάθος alii vertunt *mollitiem*, alii *libidinem*.] Poſt repreſſos omnes externos actus libidinis, ipſum internum motum, & effrænatam paſſionem compeſcendam docet. πάθος igitur illam animi diſpoſitionem denotat, quâ quis aptus & paratus eſt ad peccatum libidinis, quacunque occaſione oblatâ: & quia hoc vitium ex animi mollitie naſcitur, nolentis ſuſtinere impetum vel minimæ tentationis; ergò non ineptè quidam reddidere πάθος *mollitiem*. Molles enim jure cenſentur, quorum animi non reluctantur carnis tentationibus, ſed ultrò & illicò ſe conſtringendos præbent vinculis libidinum, non ſecùs ac Samſon Dalilæ ſe ligandum præbuit.

Talem animi diſpoſitionem mortificandam & deponendam eſſe ab homine Chriſtiano ſuadet Apoſtolus, nec renuere poteſt quilibet Chriſtianus;

1. Quia Ethnicum eſt ſervire ſuis cupiditatibus; Chriſtianum ſervire Deo & ſanctitati: unde Apoſtolus 1. ad Theſ. 4. 3. &c. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut ſciat unuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in honore*, μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, *non in morbo cupiditatis, ſicut Gentes quæ non noverunt Deum.*

2. Non modò Ethnicum eſt, ſed belluinum hoc morbo laborare. Nam belluarum eſt agi & regi ſuis paſſionibus; humanum eas refrænare, & in gyrum rationis reducere. Qui igitur rapitur ad quamvis ſpeciem voluptatis animo aut oculis objectam, is factus eſt *inſtar equi & muli, quibus non eſt intellectus*; Pſal. 32. 9.

3. Hanc animi mollitiem procul abigere ſoliti ſunt omnes viri ſancti & laudati. Pulchrum extat Ioſephi exemplum, Gen. 39. quem quotidiè hera ſolicitavit ſuis blanditiis ad libidinem, neque tamen potuit perpellere. Si hac mollitie laboraſſet, primo quoque tempore cepiſſet opportunitatem explendæ libidinis. Sed, ut ſcitè Tertullianus in Apologetico, *Vir pius & caſtus ſalvis oculis fœminam videt, quia animo adverſus libidinem cæcus eſt.* Niſi animi obfirmentur contra peccati illecebras, & corroborentur gratiâ divinâ, fiunt homines viliſſima libidinis mancipia, neque reſiſtunt vel leviſſimis tentationibus ejus, ſed quaſi captivi abducuntur in omnia flagitia.

Cupiditatem malam] Iam ipſam radicem nequitiæ excindere conatur Apoſtolus: nam fornicatio & impuritas, ut dictum eſt, malos actus denotabant; πάθος, ſive mollities, illum morbidum & intemperatum animi habitum, quo ità comparati ſunt homines, ut protinus arripiant omnem occaſionem exercendæ libidinis, nec poſſunt ſibi temperare; quales Græci appellant κυφρομανεῖς. Iam verò *cupiditas mala* deſignat primum motum inordinatæ concupiſcentiæ: quæ mala dicitur, ut ſecernatur à concupiſcentiâ naturali & ſpirituali. Eſt enim triplex concupiſcentia:

tia: Naturalis, quæ complectitur potentiam concupiſcibilem animo inſitam ab ipſo Deo, & ordinatam motionem ejuſdem: Vitioſa ſive Carnalis, quæ deſignat inordinationem hujus potentiæ, & motum rebellem: Spiritualis, quæ novam, & ſanctam inclinationem animæ reformatæ denotat; de qua concupiſcentia Apoſtolus ad Gal. 5. 17. *Spiritus concupiſcit adverſus carnem.* Naturalis, quando fertur ad debitum objectum, & modo debito, implenda eſt: Spiritualis, quæ tendit ad cœleſtia, fovenda & alenda eſt: Carnalis, quæ itidem mala dicitur, quia inordinatè, & inordinata appetit, mortificanda eſt. Hinc duo documenta petamus.

Homo Chriſtianus debet tendere etiam ad illam perfectionem, quam intelligit ſe conſequi non poſſe in hac vita. Nam mortificare & cohibere omnes primos motus inordinatæ concupiſcentiæ, nullus peccator unquam potuit; omnes tamen tenentur ad conatum: ſtat enim immobile illud mandatum divinum, *Non concupiſces.* De quo verè Auguſtinus epiſt. 200 ad Aſellicum. *Lex dicendo non concupiſces, id poſuit, non quod hîc valeamus, ſed ad quod proficiendo tendamus.* *Docum. 1.*

Primi illi inordinatæ cupiditatis motus peccata ſunt, licèt conſenſus non accedat: fallitur itaque Bellarminus, qui ſtatuit illum rebellem motum concupiſcentiæ habere non culpæ, ſed pœnæ tantùm rationem; de Stat. Pec. 5. 7. Cur malum? cur mortificandum dicit Apoſtolus? Non ſic de pœnis loqui ſolet, quas docet patienter ferendas, non mortificandas, aut oppugnandas. Audiat Ieſuita Paulum, qui 7. ad Rom. non ſemel, ſed ſæpè appellat inordinatam concupiſcentiam peccatum, etiam in renatis qui Legi conſentiunt, & hiſce motibus repugnant. Audiat etiam Auguſtinum lib. 5. contra Iulian. cap. 3. *Concupiſcentia carnis adverſus quam bonus concupiſcit Spiritus, peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis.* Audiat denique ſuos Scholaſticos; Pariſienſ. *Latrunculos primorum, ſecundorum, & tertiorum motuum, hoc eſt, cogitationum, deſideriorum, delectationum quæ ſunt citra conſenſum gladio perſequi debemus*; de Sacram. Pœnit. cap. 15. *Totus exercitus carnis, qui militat adverſus ſpiritum, iniquus eſt: ergò & omnes acies exercitus ipſius: quare & prima acies, quæ eſt primorum motuum; & ſecunda, quæ eſt delectationum citra conſenſum*; de Sacram. Matrimon. cap. 7. Aquinatem etiam habemus nobis adſtipulantem, qui cogitur fateri primos motus in infidelibus eſſe peccata; unde conſtat in fidelibus etiam habere naturam peccati, licèt reatum non habeant, utpote remiſſum in Baptiſmo. Poſtremò, habemus etiam Gerſonem, par. 3. in Reg. Moral. 6. *Omnes primi motus, qui apti ſunt inſequi rationem & per eam regulari, ſi eam prævenerint, dici poſſunt peccata, quia* *Docum. 2.*

ſunt præter ordinem naturæ primitus inſtitutæ. Iam pergamus ad ea quæ reliqua ſunt.

Et avaritiam quæ eſt Idololatria] Quæramus, 1. Quid intelligat Apoſtolus ſub nomine *avaritiæ* vel πλεονεξίας. 2. Cur colligata ſit cum vitiis hiſce carnalibus. 3. Quo ſenſu dicitur *Idololatria.*

1 Eſt inexplebilis appetitus animi quærentis divitias, & in illis tanquam in ſummo ſuo bono fidentis. Inexplebilem hanc ſitim propriam eſſe avaritiæ, oſtendit Eccleſiaſtes, cap. 5. ver. 9. *Avarus non implebitur pecuniâ; & qui amat divitias fructum non capiet ex iis.* Solere autem divites in divitiis ſuis confidere, & in illis tanquam in ſummo bono acquieſcere, videmus in Parabola divitis, quæ habetur Luc. 12. 18. *Dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona repoſita in multos annos: requieſce, comede, bibe, epulare.* Non eſt itaque vitium πλεονεξίας, ſimpliciter appetere, aut quærere bona temporalia; ſed id facere inexplebili deſiderio, modis illicitis, & corde in illis acquieſcente & fidente. Tribus enim modis appeti poſſunt temporalia; ad vitæ neceſſitatem; ad opera beneficentiæ exercenda; ad fruitionem, vel ad finem in illis conſtituendum. Vltimum hoc eſt illud πλεονεξίας vitium, fugiendum, & mortificandum.

2 Cur avaritia inter pecc. carnalia recenſeatur?

Dubitari poteſt cur *avaritiam* ſubjunxit hiſce vitiis carnalibus; inter ſpiritualia enim videtur potiùs collocanda. Sed prudenter Apoſtolus avaritiam mediam interſeruit, idque haſce ob cauſas:

1. Quia eſt mediæ naturæ inter peccata carnalia, & ſpiritualia. Carnalia propriè dicuntur, quæ habent ſenſibilem delectationem in objecto ſenſibili; ut videmus in peccatis gulæ & luxuriæ: Spiritualia, quæ quærunt delectationem ſpiritualem circa objecta ſpiritualia, ſicut ſuperbia circa excellentiam propriam. Iam verò avaritia medium locum occupat: ratione objecti eſt carnale, quia quærit delectationem in rebus externis & corporalibus; ratione delectationis ipſius eſt ſpirituale, quia in hoc delectatur avarus tantùm quòd poſſideat opes.

2. Quia utriſque, carnalibus ſcilicet & ſpiritualibus vitiis, præbet fomenta, cauſas, occaſiones. Hinc luxuriæ, hinc ſuperbiæ, hinc iræ & invidiæ fomenta ſunt & incitamenta maxima. Tolle avaritiam, maximam partem vitiorum abſtuleris; eſt enim radix omnium malorum.

3 Iam ultimo in loco videndum eſt, quomodo dicatur *Idololatria.* Reſpondet Aquinas; *Non ſecundum ſpeciem, quia avarus non intendit circa pecuniam ſe habere, ut ad Deum; ſed ſecundum ſimilitudinem, quia maximum obſequium illi dat.* Sic Alenſis; *Avarus dicitur Idololatra, quia ſicut Idololatra ſe habet ad Idolum, ſic in quadam ſimilitudine avarus ad nummum.* Chryſoſtomus hanc comparationem fusè perſequitur; Homil. 65. in 11.

Ioan.

Ioan. *Vt Idololatra suspicit, & venerabundus intuetur sua Idola; sic avarus congestas opes, nec audet eas tangere. Vt illi Idola sua in aliquem angulum conjiciunt, & clausstris ac vectibus includunt: sic isti nummos suos. Brevi; illi colunt Idolum, hi aurum; illi boves & oves immolant Idolis, hi animum & affectus suos avaritiæ offerunt.* Hæc & multa plura Chrysost. Sed magis perspicuè dici potest, avarum dici Idololatram, quia amat divitias super omnia; quia confidit illis præ omnibus; quia inservit divitiis plùs quàm ipsi Deo.

Quia amat super omnia; nam ut rectè Clemens pædagog. 2. 12. *Cœlum apertum est, & Deum non quærit; aurum absconsum est, & terræ viscera recludit.* Vnde hoc, nisi quòd mavult divitiis frui quàm Deo? Idololatriam igitur spiritualem cum divitiis mundi peragit, *non exhibitione cæremoniarum, sed oblatione concupiscentiarum*, ut alicubi Gregorius. Cuicunque enim cordis affectus tanquam summo bono impenditur, illud in Dei locum assumitur. 1

Quia fiduciam etiam soli Deo debitam collocat in divitiis. Dicit enim in corde suo (quod Iobus aversatur) *auro, tu es robur meum; & obryzo, tu es fiducia mea.* Illud verò in quo speramus, Deum nostrum facimus. Est igitur omnium piorum vox, *In Deo speravi, posui Deum adjutorium meum.* At avarus pecuniam solam habet ἐγγυητὴν, sponsorem, sive fidejussorem suæ felicitatis. 2 *Iob.* 31.24.

Quia obsequium Deo debitum prorsus negligit, & pecuniæ corradendæ totus inservit. *Non potestis Deo servire, & Mammonæ*, Matth. 6. 24. Non secùs igitur atque guloforum Deus venter est, quia ventri perpetuò inserviunt; sic Deus avarorum nummus est, quia nummo inserviunt dies noctésque. 3

Corollaria.

Nihil homine avaro aut miserius aut stultius; quia Deum deserit, & luto confidit. Sed *argentum & aurum eorum non poterit eos liberare in die iræ domini*; Zephan. 1. 18. Sperandum itaq; est *non in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*; 1. Tim. 6. 17. *Coroll.* 1.

Nihil etiam avaro improbius & flagitiosius; quia Deum, quantum in se est, de solio majestatis suæ deturbat, & pecuniam in eodem collocat. *Coroll.* 2.

Hoc vitium præ omnibus est fugiendum; quia (ut utar verbis Scholasticorum) est maximè *adhæsivum creaturæ*, & maximè *à Deo aversivum*: at in conversione ad creaturam, & aversione à Deo consistit omnis peccati inordinatio & macula. *Coroll.* 3.

Nemo ferè est ab hac Idololatriâ prorsus immunis; omnes enim plùs æquo adhærescimus creaturis, & sic incurrimus *Coroll.* 4.

aliquam

aliquam labem Idololatriæ: ſed abducendus eſt animus ab iſtis, & ad Dei amorem & obſequium revocandus.

Atque hæc de ipſa Dehortatione a vitiis ſupradictis; ſequitur Confirmatio dehortationis, in duobus verſiculis ſequentibus.

VERS. VI. VII.

Ob quæ venit ira Dei in filios contumaces.
In quibus & vos ambulâſtis quondam, quum in iis viveretis.

PRædictam dehortationem corroborat duobus argumentis. Prius petitur ab eventu pernicioſo: nam peccata illa commemorata iram provocant divinam; verſ. 6.

Secundum ducitur à remotione cauſæ: nam in renatis inſitum peccatum quondam vixit, jam mortuum eſt; verſ. 7.

In priore argumento tria annotanda ſunt. Cauſa eventi; *Ob quæ*. Ipſum Eventum, Effuſio ſcilicet iræ divinæ; *Venit ira Dei*. Qualitas perſonarum huic iræ divinæ ſubjectarum; *In filios contumaces*, ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας.

Ob quæ] Scortationem ſcilicet, impuritatem, mollitiem, cupiditatem malam, & avaritiam, ira Dei incumbit in peccatores. Non eo ſenſu hæc verba accipienda, quaſi peculiare eſſet ſolis hiſce peccatis iram divinam accendere; nam hoc omnibus peccatis convenit: ſed quia craſſis iſtis flagitiis, quæ maximè turbant res humanas, maximè provocatur Deus ad vindictam exercendam. Eſt itaque optimum argumentum: Hęc peccata cauſæ ſunt gravium ſuppliciorum; ergò ab illis omni curâ abſtinendum: nam *horribile eſt cadere in manus Dei viventis*; Heb. 10. 31. Voluit Apoſtolus quaſi digito demonſtrare cauſam humanarum miſeriarum, & judiciorum divinorum, duas ob rationes;

1. Vt Deus liberetur ab omni ſuſpicione crudelitatis aut injuſtitiæ, & ab omnibus agnoſcatur clementiſſimus & juſtiſſimus. Deus enim Pater eſt miſericordiarum, nec volens obruit humanum genus tot calamitatibus; ſed, ut Poeta olim cecinit,

Cœlum ipſum petimus ſtultitiâ: neq; Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Deum ponere fulmina. Scelera itaque noſtra iram divinam in nos provocant.

2. Vt frænum injiceretur improbis: nam *maxima vis eſt admittendi ſceleris, cùm in deliberationibus occurrit impunitas*; ut inquit Cyprianus. E contrà, magnam vim habet inhibendi peccati, cùm intelligitur eſſe cauſam certiſſimam futuræ miſeriæ: quod innuit Apoſtolus hiſce verbis, *Ob quæ venit ira Dei &c.*

Ira Dei] A Cauſa tranſeamus ad Effectum. Patres unanimi ferè conſenſu, *iram Dei* exponunt ultionem, vel vindictam divinam: neque enim in Deo turbidas affectiones ponere oportet.

Nam

Nam, ut verè Auguſtinus in Evangelium Ioannis; *Ira Dei non eſt perturbatio concitati animi, ſed tranquilla conſtitutio juſti ſupplicii.* Et in Ench. ad Laurent. cap. 33. *Cùm iraſci dicitur Deus, non ſignificatur perturbatio, qualis eſt in animo iraſcentis hominis; ſed ex humanis motibus vindicta ejus, iræ nomen accepit.* Ambroſius in Pſalm. 37. *Non Deus paſſioni patet ut iraſcatur, cùm ſit impaſſibilis; ſed quia vindicat, videtur iraſci. Hoc nobis ità videtur, quia ipſi cum commotione vindicare conſuevimus.* Scholaſtici idem dicunt, ſed preſſiùs. Ira Deo tribuitur, non ſecundum *turbationis affectum*, ſed ſecundum *ultionis effectum*. Ab hac communi Theologorum ſententia videntur diſſentire Tertullianus in 1. contra Marcionem, & Lactantius in libr. de Ira Dei cap. 5. & 16. quorum ſententia aut commodâ interpretatione lenienda eſt, aut repudianda.

Sumamus itaque per *iram Dei* intelligi vindictam, ſive pœnam peccatoribus irrogatam, & facile erit demonſtrare hanc iram Dei eſſe peccato connexam & concatenatam, & præcipuè peccatis luxuriæ. Geneſ. 6. *Corrupta eſt terra, & repleta iniquitate*, en peccatum: ſed protinus ſequitur, *Adducam aquas diluvii, & interficiam omnem carnem*; en iram ſeu vindictam. Sic Gen. 18. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis*; vides peccatum: igitur *Dominus pluit ſuper Sodomam ſulphur & ignem*; habes vindictam. Longum eſſet ire per omnia ſacræ Scripturæ exempla; ſufficiat illud Iobi 31. 3. *Nunquid non perditio eſt iniquo, & alienatio operantibus injuſtitiam?* Quaſi diceret, certum eſt, & poſitum extra dubitationis aleam, Deum alienari à peccatoribus, & provocari ad illos perdendos.

Rarò antecedentem ſceleſtum Deſeruit pede pœna claudo; imò nunquam deſeret, niſi peccator reſipiſcat & ſcelera deſerat. *Horat.*

Iam ſi quæratur cur ira Dei effundatur in peccatores, rationes in promptu ſunt.

Prima petitur à juſtitia divina; nam quamvis non delectetur pœnis hominum, delectatur tamen juſtitiâ ſuâ, ſecundum quam peccantibus pœna debetur. Non igitur malum eſt in Deo punire ſceleratos, quia provenit ex amore juſtitiæ: ſed malum eſt in homine mereri pœnam, quia provenit ex amore nequitiæ. *Rat. 1.*

Secunda petitur ab utilitate humana; nam hic eſt finis præcipuus ſuppliciorum ut pariant emendationem peccatorum. *Quicquid divinitùs ante ultimum judicium vindicatur, non ad interitum hominum, ſed ad medicinam valere credendum eſt*; Auguſt. contra epiſt. Man. cap. 1. Nec obſtat huic rationi quòd infideles hiſce pœnis non tam admoneantur ad converſionem quàm excæcentur ad damnationem, quia ſortiuntur nihilominus utilem *Rat. 2.*

hunc

hunc effectum in piis; nam *ſupplicia imprudentium prudentibus conferunt ſanitatem*, Cypr. de zelo.

Rat. 3. Tertia ducitur ab ordinata Dei providentia; Deus enim eſt author ordinis in hoc univerſo, nec patitur quicquam inordinatum eſſe. Iam verò peccatum ſuâ naturâ nil aliud eſt quàm mera inordinatio: ***Culpa autem omnis ordinatur per pœnam, dum ejus inæqualitatem ad quandam æqualitatem reducit***; ut rectè Aquinas, quæſt. diſput. de Pec. Orig. art. 8. ***Æquum enim & ordinatum eſt, ut qui contra voluntatem divinam percipere voluit peccati voluptatem, contra voluntatem propriam cogatur experiri ſupplicii acerbitatem***; quæſt. diſput. de Pec. Venial. art. 10. Optimè hac de re Ioan. Gerſon. par. 3. ***Quæcunque res aberrat ab uno ordine, impellitur in alterum; ut quod aberrat ab ordine miſericordiæ, reponitur in ordine juſtitiæ: ubi non minùs ordinatè collocatur damnatus in inferno, quàm beatus in paradiſo.*** Hæc de cauſa iræ divinæ, & de effuſione ejuſdem.

In filios contumaces] Hiſce in verbis qualitas deſcribitur perſonarum huic irę divinę ſubjectarum. In Græco eſt ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας alii vertunt *filios diffidentiæ*, vel *incredulitatis*; alii *filios intractabiles*, vel *contumaces*. Eodèm redeunt hæc omnia, atque deſignant hujuſmodi homines, quibus perſuaderi nullo modo poteſt ut fidem adhibeant verbo divino, & renuntient peccatis ſuis. In hac itaque ἀπειθείᾳ duo involvuntur crimina; unum infidelitatis, alterum inobedientiæ: poſterius hoc eſt prioris proles genuina. Tales erant qui ante diluvium vixerunt in diebus Noe, quos Petrus vocat *incredulos*; 1. Pet. 3. 20. quos Chriſtus dicit ſecurè ***ediſſe, bibiſſe, uxores duxiſſe, nec agnoviſſe diluvium, uſque dum veniſſet, & ſuſtuliſſet omnes***; Mat. 24. 38. 39. Tales erant Sodomitæ, & Gomorrhæi, qui Loto prædicanti fidem adhibere nolebant, ſed quaſi per ludum locutus fuiſſet, illum negligebant. Tales denique ſunt omnes reprobi, in quos competit illud Prophetæ Zachariæ, cap. 7. 11. ***Noluerunt attendere, averterunt ſcapulam recedentes, & aures ſuas aggravaverunt ne audirent.*** Clarum eſt itaque hoc in loco depingi reprobos & occæcatos: nam quamvis Electi ad tempus eſſe poſſunt immorigeri, non ſunt tamen filii contumaces in quos ira Dei venit; quia tandem cedunt emolliti efficaci operatione gratiæ divinæ, ut in omnibus piorum lapſorum exemplis licet videre.

Gen. 19. 14.

Dub. Sed hîc dubitari poteſt, quid ſibi velit Apoſtolus, cùm dicat ob hæc peccata, fornicationem ſcilicet, impuritatem &c. venire iram Dei ſuper filios incredulitatis. Annon etiam ſuper filios Dei? Quis ignorat Davidem ſenſiſſe aculeos iræ divinæ ob ſtupratam Vriæ uxorem? alióſque Sanctos graviter punitos ob alia delicta ſua?

Non

Non eſt negandum etiam filios Dei cùm fræna carni laxaverint, & in hujuſmodi flagitia ſeſe conjecerint, ſentire iram Dei ſibi incumbentem; ſed non manet perpetuò ſuper illis, quia nec illi in hiſce peccatis. Diſtinguendum tamen eſt de ira Dei: nam in filios lapſos vibrat Deus iram ſuam, ſed Paternam, ſed Caſtigantem; in filios autem contumaces, Hoſtilem & Exterminantem. In hiſce itaque maluit Apoſtolus exempla iræ divinæ oſtendere, ut eo pacto, quaſi ex obliquo, piis ejuſdem formidinem incuteret. Sed & illud etiam addendum eſt, cùm fideles ruunt in hujuſmodi peccata contra conſcientiam, etſi non ſolvatur illud vinculum æternæ Dei benevolentiæ, quod pendet ab electione; ſolvitur tamen ad tempus amor amicitiæ, aut ſaltem ſenſus & uſus ejuſdem, qui pendet ex fide & ſanctificatione. Dum itaque indormiunt talibus peccatis, Deus agit cum illis tanquam cum hoſtibus; illi Deum apprehendere aliter non poſſunt quàm ſibi infeſtum & iratum: non itaque cum fiducia accedunt ad thronum gratiæ, ſed cum Adamo fugiunt Deum, & in latebras ſe conjiciunt. Opus eſt itaque excitatâ fide, & charitate; opus eſt ſeriâ pœnitentiâ, ut Dei iram avertant, & gratiam, ac vultum placidum obtineant: verum eſt enim illud Pauli pronuntiatum, Rom. 2.9. &c. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. Gloria & pax omni operanti bonum. Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum.* *Solut.*

Ex hiſce hæc Documenta eliciuntur.

In calamitatibus & miſeriis publicis non eſt obmurmurandum Deo; ſed peccatis noſtris imputandum quicquid mali patimur. *Docum.* 1.

Quoties ſolicitamur ad peccandum, peccati illecebris opponenda eſt cogitatio iræ divinæ, quæ à tergo inſequitur peccatores. *Docum.* 2.

Nihil homini Chriſtiano magis appetendum, quàm ut retineat favorem divinum; nihil tam formidandum, quàm ne iram Dei provocet. *Docum.* 3.

Deus non tam irritatur ad vindictam ipſo peccato, quàm obſtinatione increduli & impœnitentis peccatoris. *Docum.* 4.

Quicquid ſibi blandiuntur filii incredulitatis, non poſſunt effugere iram divinam; venit enim jam in eos ira, & *veniendo veniet, neque tardabit.* *Docum.* 5.

Non modò in improbos, ſed in ipſos filios Dei effundetur ira divina, ſi gratiam Spiritus ſuffocantes, carnis libidinibus indulſerint. Studium igitur mortificationis omnibus incumbit, qui iram Dei prout æquum eſt pertimeſcunt. *Docum.* 6.

Vers.7. *In quibus & vos ambulâſtis quondam, cùm in iis viveretis.*] Adhuc verſatur Apoſtolus in confirmandâ ſuperiori dehortatione; atque oſtendit novo argumento, Coloſſenſibus abſtinendum jam eſſe à fornicatione omníque adeò vitæ impu-

ritate. Ductum autem eſt hoc argumentum à remotione cauſæ ad remotionem effectus: ſic autem inſtituenda eſt ratio Apoſtoli. Peccatum non niſi vivens & regnans cauſa eſſe ſolet vitæ improbę & libidinoſę; ſed peccatum non eſt vivum, ſed mortificatum in vobis; ceſſante itaque causâ ceſſet effectus. Major ſupponitur. Minor in hoc verſiculo per Antitheſin priſtini ſtatus oſtenditur. Fuit quidem illud tempus cùm vixeritis in hiſce peccatis, ſcilicet ante converſionem; ergò jam prętęriit, & non vivitis in illis, ſed mortui eſtis peccato per Baptiſmum. Vſitatum eſt apud Authores, ut cùm de aliquo dicant, *vixit*, innuant mortuus eſt, vel non vivit: ſic Apoſtolus dicendo, *cùm viveretis in iis, tum ambulâſtis in peccatis*, illud vult, Iam non ultra in illis vivitis; ergò in iis ambulare diutiùs non debetis. Sic habetis vim rationis; jam verba perpendamus.

In quibus] Eraſmus vertit *inter quos*, & refert ad *filios immorigeros:* ſed meliùs Beza, *in quibus*, ſcilicet vitiis prædictis, *ob quæ venit ira Dei in filios contumaces.*

Et vos ambulâſtis] Ambulare in vitiis dicuntur, qui aſſiduè peccata perpetrant, quíque concupiſcentiis non reſiſtunt, ſed cum voluptate parent. Quemadmodum igitur homines ſolent huc atque illuc ambulare in expediendis negotiis ſuis quotidianis; ſic iſti verſantur in peccatis, quaſi in vocatione ſuâ ordinariâ, ac quaſi nihil aliud haberent quod agant. *Eph.2. 2.3.*

Cùm in iis viveretis] id eſt, cùm horum peccatorum cauſa, vetus ſcilicet Adamus, ſive corruptio inſita, vixit & regnavit in vobis; quæ corruptio jam debilitata & mortificata eſt. Ambulare igitur & vivere, ſive ad carnem ſive ad ſpiritum referuntur, eo modo differunt quo potentia & operatio apud Philoſophos: nam præcedit vita, ſequuntur operationes vitæ congruentes: ut ad Galat.5.25. *Si vivimus ſpiritu, ſpiritu ambulemus*; ſic qui vivunt in peccato, ambulant in peccato. Senſu verborum jam explicato, duo hîc, quod attinet ad materiam, perpendenda ſunt.

1. Status Coloſſenſium priſtinus in peccato viventium; qui exprimitur.

2. Status novus eorundem jam peccato mortuorum; qui ex Antitheſi innuitur.

Ex conſideratione priſtini ſtatus hæc emergunt documenta.

Documenta.

Docum. 1. Nihil hominibus non renatis infelicius: nam in peccatis cum voluptate ambulare, eſt cum voluptate ad infernum tendere. ***Stipendia peccati mors***; Rom.6.

Docum. 2. Fructus hominis in ſtatu corrupto, non ſunt opera Præparatoria ad gratiam, aut Meritoria de Congruo, ut loquuntur; ſed Præparatoria ad gehennam, & Meritoria de Condigno mortis

æternæ:

æternæ: ambulat enim in peccatis craſſiſſimis & graviſſimis, non in viis mandatorum Dei.

Qui videntur ambulare in virtutibus, externâ tantùm & ſimulatâ ſpecie perſtringunt hominum oculos, reverà ambulant in peccatis, in quibus vivunt; operationes enim reſpondent potentiis unde originem trahunt. *Docum. 3.*

Errant itaque Pontificii, qui hiſce operibus hominum carnalium & infidelium aſcribunt non modò laudem veræ virtutis, ſed efficaciam diſponendi ad ſuſceptionem gratiæ; Durand. lib.4. diſtin.15. quæſt.3. Aliter Proſper; *In impiorum animis non habitant ullæ veræ virtutes.* Et Lactantius lib.6.cap.9. *Non eſt dubium quin impius ſit quiſquis Deum non agnoverit; omnéſque virtutes ejus quas habere, aut tenere ſe putat, in illa mortifera via reperiuntur quæ eſt tota tenebrarum.* *Docum. 4.*

Iam quod attinet ad novum ſtatum converſorum & renatorum, in quo innuit Apoſtolus Coloſſenſes jam eſſe collocatos, hæc occurrunt obſervanda

Documenta.

Non eſt inutile ipſis renatis revocare in memoriam priſtinum ſuum ſtatum ſub peccato: non enim exprobrandi causâ, ſed juvandi, commemorat Apoſtolus illos quondam ambulâſſe & vixiſſe in peccato, qui jam mortui ſunt peccato. *Docum. 1.*

Non ægrè ferre debent Chriſtiani jam fideles, cùm Miniſtri proponunt illis ob oculos, quales fuerint ſub ſtatu peccati in infidelitate: nam hoc ſolenne Apoſtolo eſt in omnibus penè Epiſtolis. *Exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem* &c. ad Roman.6.ver.19. *Neque fures, neque avari, neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt; & hæc eratis, ſed ſanctificati eſtis* &c.1. ad Cor.6.11. Sed apertiſſimè ad Epheſ.2.11.12.&c. *Mementote vos quondam Gentes in carne fuiſſe abſque Chriſto, alienos à Republica Iſraelis, ſpem non habentes. At nunc in Chriſto Ieſu &c.* Bene in hanc ſententiam Tertullianus de Pudicit. *Non ſuffundor errore quo careo, quia meliorem me factum recognoſco.* Nemo proficiens erubeſcit. *Docum. 2.*

Ex hujuſmodi commemoratione duplicem capiunt utilitatem renati. *Docum. 3.*

1. Excitantur indè ad gratitudinem: nam neceſſe eſt agnoſcant ſe mutatos non virtute liberi arbitrii, ſed efficaci operatione Spiritus ſancti. Hinc Propheta; *Converte nos Domine, & convertemur.* Et Ier.13.23. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere cùm didiceritis malum.* Hinc igitur (ut dixi) excitantur renati ad gratias Deo agendas. *Gratia ſit Deo quòd fuiſtis ſervi peccati, ſed ex corde obediſtis ei formæ doctrinæ in quam eſtis traditi*; Rom.6. 17. Et Paulus de ſeipſo loquens 1. ad Timot.1.12.13. *Gratiam*

habeo Domino, qui me robuſtum fecit, qui priùs eram blaſphemus & perſecutor &c. Cur gratiam Deo agat verè pœnitens & fidelis? Quia non ſolùm cùm agitur pœnitentia, verùm etiam ut agatur, Dei miſericordia neceſſaria eſt.

2. Excitantur ad vitæ novitatem; nam nova vita novos mores poſtulat. Cùm itaque ex collatione, & oppoſitione perpenderint ſe alios jam eſſe quàm fuerint olim, ſimul intelligant neceſſe eſt ſe alio modo vivere oportere. Chriſtiana enim religio, non modò vocat homines ad credenda nova dogmata, ſed ad facienda nova opera. Vnde Cyprianus de zelo; *Chriſti nomen induere, & non per Chriſti viam pergere, quid aliud eſt quàm prævaricatio divini nominis?* Hoc igitur paſſim inculcatur renatis; ut ad Rom. 13. 12. *Nox præceſſit, dies appropinquavit: abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur habitu qui luci conveniat.* Et ad Epheſ. 5. 8. *Eratis olim tenebræ; nunc autem lux in Domino: ut filii lucis incedite.*

Docum. 4. Hîc habemus diſcrimen renati à non renato; renati poſſunt incidere in peccata, ſed non ſolent ambulare, neque poſſunt vivere in peccato: ambulat enim in peccato, qui lubenter, aſſiduè, & plenâ voluntate peccat; cadit in peccatum, qui rarenter, timidè, & cum lucta abſtrahitur in aliquod flagitium, ſive *peccatum devoratorium*, ut vocat Tertullianus. Falluntur itaque multùm opinione ſuâ, qui putant ſe fideles & renatos, quando de illis dici non poteſt, quod hîc dicitur de Coloſſenſibus, *Vos quondam in vitiis ambulâſtis, cùm in iis vivertis*; ſed, Vos adhuc in vitiis ambulatis, & in iis vivitis. Atque hæc de duabus Apoſtoli rationibus quibus corroboravit dehortationem ſuam à peccatis verſu quinto enumeratis.

VERS. VIII. IX. X. XI.

At nunc deponite etiam vos omnia; iram, excandeſcentiam, malitiam, blaſphemiam, turpiloquium ab ore veſtro:

Nec mentimini alius alii, cùm exueritis veterem illum hominem cum factis ipſius,

Et indueritis novum illum, qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus qui ipſum condidit.

Vbi non eſt Græcus & Judæus, circunciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber; ſed omnia & in omnibus Chriſtus.

POſt dehortationem à vitiis carnalibus, in quibus propria voluptas quæritur, dehortatur etiam à ſpiritualibus, in quibus injuria proximo intentatur. Tria autem facit Apoſtolus in hoc

poſte-

poſteriori membro dehortationis ſuæ, quod quatuor verſiculis includitur;

1. Proponit & enumerat vitia deponenda: quæ ſunt aut Cordis, ut ira, excandeſcentia, malitia; aut Oris, ut maledicentia, turpiloquium, mendacium.

2. Subjungit rationem cur hujuſmodi vitia ſint à Coloſſenſibus deponenda, eámq; duplicem: nimirum, quia exuerunt veterem hominem, quia induerunt novum.

3. Amplificat & corroborat haſce rationes, verſ. 11. à remotione falſarum cauſarum, quibus nonnulli putabant aut juvari, aut lædi homines coram Deo: eas autem quaſi res nihili rejicit, ut ſalutem humanam totam pendere à Spiritu Chriſti nos mortificante, ac vivificante oſtenderet: ac proinde mortificationi præ omnibus ſtudendum.

Quod attinet ad hunc octavum verſum quem in manibus habemus, in eo duo facit. 1. Poſt dehortationem à vitiis carnalibus quæ infames reddunt homines apud omnes ſanos & ſobrios, etiam ſpiritualia omnia quæ leviora judicantur, & apud vulgus pro vitiis non agnoſcuntur, deponenda ſuadet. 2. Nominatim quædam ex iis perſtringit, ut ex illis cætera omnia conſimilia damnata & deponenda intelligantur.

At nunc deponite etiam vos omnia] In hac generali ſuaſione, primò obſervare oportet circumſtantiam temporis hac particulâ *nunc* deſignatam. Quaſi diceret, cooperti fuiſtis vitiis ſpiritualibus quamdiu vixit in vobis peccatum; at nunc, poſtquam mortificatum eſt, & deſiit vivere, debetis ac poteſtis ea deponere; nam aliam vitam, alios mores ab illis quibus aſſueverunt olim ſub ſtatu peccati, requirit Deus à Chriſtianis ſub ſtatu gratiæ. Sic paſſim Apoſtolus. Ad Rom. 13. 12. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit, abjiciamus &c.* 1. Theſ. 5. 5. 6. *Filii lucis eſtis, non noctis; ne dormiamus ut reliqui &c.* Sapienter Auguſtinus de Vita Chriſtiana; *Non in hoc nobis nomine tantùm, quòd Chriſtiani ſumus blandiamur; ſed propter hoc etiam nos judicandos credamus, ſi nomen nobis fruſtra vendicemus alienum.* Et Cyprianus; *Philoſophi non verbis, ſed factis ſumus; nec loquimur magna, ſed vivimus.* Nunc ſaltem itaque deponenda ſunt vitia, quia nunc Chriſtiani renati ſumus. 1

Secundò, perpendamus ipſam actionem ad quam excitantur Coloſſenſes in hoc verbo Ἀπόθεσθε· quod exponi poteſt, vel *exuite*, quemadmodum ſolent homines exuere veſtes ſordidas, & luto contaminatas; vel *ſeponite*, ab aſpectu, ab affectu, ab omnibus ſenſibus, quemadmodum cadavera mortuorum in ſepulchris reconduntur. Atque hoc optimè convenit cum vocabulo præcedenti, *mortificate*; quaſi dixiſſet, Non ſolùm mortificate peccata veſtra; ſed jam mortua à vobis removete, & tan-

quam putrida cadavera ſeponite à vobis prorſus, & ſeparate.

Documenta.

Docum.1. Peccatum adhæret ipſis renatis, nec penitus avelli poteſt: elaborandum tamen eſt, ut indies magis magiſque exuatur.

Docum.2. Non in deliciis habendum peccatum; ſed tanquam venenum abominandum, aut, tanquam cadaver tabidum, ab homine Chriſtiano averſandum. Quid autem ſit deponere peccatum, quâ virtute fiat, quatenus à nobis fiat in hac vita, explicavimus in expoſitione verſiculi quinti ad illa verba, ***Mortificate igitur membra veſtra terreſtria:*** quę illîc dicta ſunt de Mortificandi actu, ad hunc actum Deponendi accommodentur.

Tertiò, perpendamus quam latè pateat objectum hujus depoſitionis; quam latè ſcilicet patet ipſa natura peccati: non hæc aut illa, ſed omnia deponenda; nam quòd quædam recenſentur paulò pòſt, non eſt reſtrictio, ſed exemplificatio; & illa enim quæ ſpeciatim nominantur, & alia etiam omnia abjicienda innuuntur.

Docum.

Docum. Sumus omnes ad omnia peccata naturâ noſtrâ propenſi & proclives. Nam originale & inſitum peccatũ, quamvis ſit unum quiddam actu, tamen potentiâ eſt tota vitiorum cohors; non ſecùs ac ſemen quod unum eſt actu, potentiâ eſt ea omnia quæ ex ipſo oriri nata ſunt. Complexio corporis, aliæque cauſæ extraneæ quoſdam faciunt ad quædam vitia procliviores; ſed nullum eſt vitium actuale in quod incidere non poteſt is, in quo eſt illud originale omnium ſeminarium & ſcaturigo: omnia itaque ſunt nobis cavenda, & abdicanda. Hæc de generali ſuaſione; jam ad ſpecificationem quorundam vitiorum, eo ordine quo proponuntur, accedamus: & primò ad peccata cordis.

Iram, excandeſcentiam, malitiam] Ira hoc in loco deſignat inordinationem voluntatis proximo injuſtè nocere deſiderantis propter offenſam præcedentem. Breviter definitur à Damaſceno, lib.2.cap. 16. ὄρεξις τῆς ἀνλιτιμωρήσεως, ***appetitus vindictæ.*** Atque in hoc injuſto, & inordinato vindictæ appetitu (ut loquitur Schola) iræ ***formale*** continetur. Θυμὸς, ſive ***excandeſcentia***, denotat præcipitem hujus paſſionis commotionem, atque illam accenſionem ſanguinis circa cor, quam Scholaſtici appellant, ***materiale*** iræ. Vnde idem Damaſcenus loco prædicto, Θυμός ἐστι ζέσις τῦ περὶ καρδίαν αἵματος ἐξ ἀναθυμιάσεως τῆς χολῆς γινομένη. Κακία, ſive ***malitia***, ut quidam volunt, generale vitium eſt, & denotat illam vitioſitatem quę inficit omnes affectus & cupiditates naturales, eáſque ad malum inclinat. Vnde Bernardus Serm. 1. de pug. Spir. dicit malitiam eſſe ***ſaporem mali:*** proprium itaque eſt malitiæ, facere malum nobis ſapidum & dulce; è contrà, reddere

bonum

bonum inſipidum & ingratum. Sed hoc in loco arbitror κακίαν ſpecialiter deſignare illam mali machinationem in corde, quæ ſolet ex ira oriri in animis malevolis & exulceratis. Videmus hæc omnia in exemplo Cain, Geneſ.4. *Iraſcitur, concidit vultus ejus*; dein machinatur cædem Abelis, cùm ait, *Egrediamur foras*: hoc fuit effectum κακίας. Sic ab eodem κακίας morbo manant illa verba Eſaui, Gen.27.43. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacobum fratrem meum.*

Videtis quæ & qualia ſint illa vitia quæ hîc taxantur ab Apoſtolo; jam ſecundo in loco rationes quaſdam afferamus, quibus excitemur ad oppugnanda, & extirpanda hæc animi iracundi vitia. Multas attulit Gregorius, Moral.5.cap.31.

1. Quia per iram, ſapientiæ uſus perditur, imò ipſa ratio ad tempus extinguitur. Hinc illud, *Ira in ſinu ſtulti requieſcit*; Eccleſ.7.10. Baſilius, ὁμιλίᾳ καλὰ ὀργιζομένων, dicit *iram* ἀποδηρῶν παντελῶς τὸν ἄνθρωπον, καὶ οὐδὲ ἄνθρωπον εἶναι συγχωρεῖν, *penitus hominem efferare, nec ampliùs hominem eſſe permittere.* Notum eſt illud Poetę, *Ira furor brevis eſt.*

2. Quia per iram præclariſſima illa virtutum omnium juſtitia violatur; nam dum mens exaſperata judicat, omne quod furor ſuggerit rectum putat. Vnde Iacob.1.20. *Ira viri juſtitiam Dei non operatur.* Habemus exemplar in filiis Iacobi, qui irâ accenſi, perfidè & crudeliter trucidârunt Shechemitas; Gen.34. Vnde meruerunt illud audire à patre moribundo, *Maledictus furor eorum &c.* Gen.49.7.

3. Quia per iram gratia vitæ ſocialis (quæ eſt hominis maximè propria) amittitur. Hinc Salomon, Prov.22.24. *Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo.* Quaſi diceret, eos ad vitam ſocialem omninò ineptos.

4. Quia per iram, Spiritus ſplendor excluditur. Nam Deus pacis in corde turbido & efferato non habitabit, ſed in leni & pacifico. Chryſoſt.Hom.30.ad populum Antiochenum; *Non habitat Spiritus ſanctus ubi furor habitat:* imò hoſce homines dęmoniacis, quàm Spiritu ſancto repletis ſimiliores eſſe demonſtrat: nam ut dæmoniaci ſpumant, & oculos contorquent; ſic iracundi ſpumantem animam & contortam habent. Vide etiam Baſilium de Ira.

5. Quia per iram vindictę appetentem, peccatorum noſtrorum remiſſio impeditur, & divina in nos vindicta provocatur. *Si vos non dimiſeritis, nec Pater veſter qui in cœlis eſt dimittet vobis peccata veſtra*; Mar.11.26. Prędarè Tertullianus de Orat. *Quàm temerarium eſt aut diem ſine oratione tranſigere, aut orationem perſeverante iracundiâ perdere?*

6. Quia ab irato, quod Dei proprium eſt, ſacrilegâ audaciâ uſurpatur. *Ne dicas, reddam malum: expecta dominum & libera-*

bit te; Proverb. 20. 22. *Mea eſt ultio & ego retribuam*; Deutr. 32. 35. Iam verò iratus (quod dici ſolet) ſeipſum facit judicem, Deum vult eſſe tortorem: imò ſæpiſſimè propter ſeipſum, & per ſeipſum vindicari vult, quod ſibi ſoli Deus reſervavit.

Quæſt. Iam ultimo in loco quæri poteſt, an omnis ira mala ſit & illegitima, cùm Apoſtolus ſine diſcrimine ſuadeat iram deponendam.

Solutio. Clarum eſt, iram non eſſe affectionem ſecundum ſe malam; tum quia ipſe Deus, qui author mali eſſe non poteſt, indidit animo facultatem iraſcibilem; tum quia Chriſtus irâ commotus legitur, Marc. 3. 5. Hinc Baſilius appellat iram, νεῦρον τῆς ψυχῆς. Damaſcenus, δορυφορικὸν τῷ λογισμῷ. *Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra ſe ſupernæ ultionis excitavit*; ut ait Gregorius, Moral. 5. cap. 30. Vnde Apoſtolus, *Iraſcimini, ſed nolite peccare.* Iraſcimini ſcilicet ubi culpa eſt, cui iraſci debeatis; alioquin *non virtus, ſed lenitudo & remiſſio judicatur*; ut rectè Ambroſius.

Vt autem ipſum affectum naturalem & legitimum ab inordinato & illicito ejuſdem motu diſtinguamus, iram bonam dicimus, quæ oritur ex bona cauſa, amore nempe Dei, aut proximi; quæ tendit ad bonum finem, gloriam ſcilicet Dei, & correctionem proximi; quæ procedit modo debito, rationis nempe judicium expectans & ſequens. Huc pertinet illud Auguſtini de Civit. Dei lib. 9. cap. 5. *In diſciplina noſtra, non tam quæritur utrùm pius animus iraſcatur, quàm quare iraſcatur; iraſci enim peccanti ut corrigatur, nemo ſanâ conſideratione reprehendat.* Atque Bernardus Epiſt. 69. *Non iraſci quibus iraſcendum eſt, eſt nolle peccatum emendare; plùs iraſci quàm iraſcendum eſt, eſt peccatum peccato addere.* Baſilius denique Homil. de Ira, vult iram eſſe ἵππον ὑπεζευγμένον, καὶ ὅϊον χαλινῷ τινι τῷ λόγῳ καλαπτεθῆναι. Talis ira non damnatur.

Patet è contrà, iram malam eſſe, quæ oritur ex malo principio, aut tendit in malum finem, aut fertur modo indebito: ſi oriatur ex philautia, aut fratris odio; ſi tendat in expletionem propriæ vindictæ, aut nocumentum proximi; ſi præveniat judicium rationis, & excuſſis habenis præceps feratur. Nam, ut rectè Gregorius, Moral. 5. cap. 33. *alia eſt ira quam impatientia excitat, alia quam zelus juſtitiæ formar.* Concludamus, non ἀπάθειαν induendam, ſed hanc iram turbidam & inordinatam eſſe coercendam. Atque hæc de peccatis Cordis: ſequuntur jam peccata quædam Oris.

Maledicentiam, verborum turpitudinem ab ore veſtro.] Aptè procedit Apoſtolus à vitiis cordis ad peccata oris, quia ex inordinatis cordis affectibus oriuntur.

Primò autem ſuadet deponendam maledicentiam; in Græco eſt βλασφημίαν· quod verbum deductum eſt ἀπὸ τῆς βλάπτειν τὴν φήμην,

à læ-

à lædendo & inquinando famam alterius probris & maledictis. Vocabulum hoc primariâ ſuâ & præcipuâ ſignificatione in ſacris Literis importat derogationem ſive injuriam per verba illatam ſummo & maximo bono, id eſt, Deo Optimo Maximo. Deus autem blaſphematur tripliciter. 1. Cùm ei attribuitur quod naturæ ejus repugnat; ut ſi quis Deum eſſe corporeum, corruptibilem, vitioſis affectibus obnoxium dicat, ſicuti Poetæ olim finxerunt, & ſcripſerunt. 2. Cùm ab eo removetur quod ei convenit; ut ſi negetur eſſe bonus, miſericors, omnipotens, &c. quæ blaſphemia ab eadem ignorantia dimanat. 3. Cùm creaturæ attribuitur quod Dei proprium eſt; ut ſi quis dicat Angelos creâſſe hunc mundum, vel eſſe omnipotentes; ſi quis dicat nudos homines poſſe hominibus peccata remittere, poſſe in pœnis & ſuppliciis mortuorum pro ſua poteſtate diſpenſare, poſſe Articulos fidei infallibili judicio Chriſtianis præſcribere.

Ex ipſius Dei decreto huic blaſphemiæ pœna capitis conſtituta eſt, Levit.24.16. quam blaſphemo inflictam legimus, verſ.23. Sed quia hoc in loco, non hanc quâ divina Majeſtas violatur, ſed illam quâ homines læduntur maledicentiam reſpicere videtur Apoſtolus; miſsâ hac divini nominis blaſphemiâ, ad illam accedamus.

Dicimus igitur & huic maledicentiæ quæ in proximos incurrit, non ſolùm hoc in loco, ſed multis aliis, blaſphemiæ nomen eſſe attributum. *Sicut blaſphemamur* &c. ad Rom. 3.8. *Blaſphemamur, & obſecramus* &c. 1.Cor.4.13. *Admone illos neminem blaſphemare* &c. ad Tit.3.2. Oritur autem hæc blaſphemia proximi ex illa cordis ira & malitia quam ſuprà deponendam monuit Apoſtolus. *Cor* enim *felle livoris amarum, per linguæ inſtrumentum ſpargere niſi amara non poteſt*; ut verè Bernardus. Nullum autem vindictæ genus tam in promptu habet quàm hoc maledicendi.

Maledica hæc blaſphemia duplicem habet nocendi viam: occultam; & tum vocatur detractio: apertam; & tum appellatur convitium. Temerarii & iracundi illam apertam nocendi viam ineunt; callidi & malitioſi hanc occultam præponunt.

Quàm graviter peccant utrique perpendamus. Gravitas autem hujus peccati patet,

Primò, ex magnitudine damni illati proximo, cui maledicunt: nam ejus famam lædunt, quæ eſt præcipuum inter exteriora bona; neque facile eſt hoc damnum juſtâ aliquâ ſatisfactione reſarcire, quia hîc quantitas damni non poteſt æſtimari, quod in ablatione rerum externarum fieri poteſt.

Secundò, ex magnitudine damni illati etiam iis qui audiunt & ſuſcipiunt has maledicorum voces: nam & in illis charitas erga proximum hoc pacto extinguitur; odia, ſuſpiciones, contentiones,

tiones, nonnunquam & pugnæ excitantur. Quod incommodum operâ maledicorum & detractorum Sauli & Davidi accidiſſe legimus. Vnde illa Pſalmiſtæ precatio, Pſal.120.2. *Domine libera animam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.*

Tertiò, ex magnitudine injuriæ ipſi Deo illatæ: nam ut Deus in Sanctis laudatur, quando opera ejus quæ in Sanctis efficit laudantur; ſic cùm Sancti blaſphemantur & maledictis proſcinduntur, ipſe Deus blaſphematur: nam ex conſequenti in Deum redundat hæc blaſphemia, qui eſt Author ſanctitatis: nam *domino per ſervos læſos fit injuria*; Iuſtin. Inſtit. Imper. lib.4.cap.4. de Injuriis.

Quartò, ex pœna maledicis & detractoribus debitâ, idque juxta leges Civiles, Eccleſiaſticas, & Divinas. Apud Iuſtinianum lib.4. cap.4. de Injuriis; *Injuria committitur, non ſolùm cùm quis pugno aut fuſtibus cæſus fuerit; ſed etiam ſi vel convitium illi factum fuerit.* Pœna autem conſtituitur pro qualitate convitii, & etiam perſonæ cui factum fuerit convitium. Apud Gratianum, Cauſ.11.quæſt.1. *Si quis Clericorum Epiſcopo ſuo contumeliam aut convitia intulerit, deponatur*; Capit. *Si quis Sacerdotum.* Et cauſ.6. queſt.1. *Calumniatores fratrum, & detractores, infames cenſentur*; Capit. *Infames.*

Quod ad Scripturæ legem attinet; Levit.19.16. extat lex hujuſmodi; *Non eris criminator, nec ſuſurro in populo.* Pœna conſtituitur 1. ad Cor.6.9.10. *Neque ſcortatores, neque Idololatræ, neque fures, neque ebrioſi, neque maledici regnum Dei poſſidebunt.*

Iam Corollaria quædam ex his deducamus, & primò ea quæ ipſos maledicos ſpectant.

Coroll. 1. Maledicendi libido & conſuetudo arguit hominem non renatum, & in ſtatu mortis ac damnationis adhuc conſtitutum: inter præcipua enim opera veteris hominis cenſetur.

Coroll. 2. Nihil maledicis & detractoribus infelicius: nam, ut pulchrè Nazianzenus, *extremæ miſeriæ eſt, non in propriis bonis, ſed in aliorum malis ſolatium ſuum ſtatuere.*

Coroll. 3. Qui hanc artem exercent, non Apoſtoli, ſed Diaboli diſcipuli ſunt, & illi operam ſuam aſſiduam locant: nam ille fratrum *accuſator* dicitur; Apoc.12.9. Vnde Pariſienſis non inſcitè, maledicos & detractores vocat *caninos dentes Diaboli*; de Moribus cap.11.

Iam alia adjungamus eos ſpectantia qui hoſce convitiatores lubenter audiunt.

Coroll. 1. *Rom.*1.32. Si tam grave crimen ſit maledicentia, tum maledicos cum voluptate audire non vacat crimine. Nam digni ſunt pœnâ non ſolùm qui peccata faciunt, ſed etiam qui peccantibus applaudunt. *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit non facilè dixerim*; Bernard. lib.2. de Conſid. ad Eugenium. Quod

de

de *auditu placentiæ* (ut utar verbo Scholaſtico) veriſſimum eſt. Vterque Diabolum habet; iſte in lingua, ille in aure.

Oportet hominem pium averſari & increpare maledicos ac detractores, atque fratrem laceratum ab illorum morſibus vindicare & eripere. Averſari oportet: nam *ut Aquilo diſſipat pluvias; ſic vultus triſtis linguam detrahentem*; Proverb. 25. 23. Succurrere etiam oportet fratri læſo: *Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar*; Pſalm. 101. 6. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*; Iob. 29. 17. *Coroll. 2.*

Spectantia læſos & convitiis laceratos.

Habent quo ſe ſolentur pii cùm petantur & vulnerentur maledictis improborum;

1. Quia hinc intelligunt, non tam judicio, quàm morbo animi inſito & hæreditario prorumpere improbos in hanc piorum injuriam: non itaque tam vicem ſuam dolere debent, quàm ægritudinem & inſaniam maledicorum.

2. Quia non præjudicat contumelia bonæ conſcientiæ. Neque enim patitur quis præjudicium ab iis quibus non eſt judicium: *vel ſi fuerit præjudicium in ſeculo, non erit in judicio Dei*; ut verè Ambroſ. de Interpel. lib. 2. cap. 3.

3. Sufficiat igitur piis omnibus in ſeculo hoc tam maledico, adverſus os loquentium iniqua, opinio bonorum, cum teſtimonio conſcientiæ: nam, ut ſapienter Poeta,

Falſus honor juvat, & mendax infamia terret
Quem niſi mendoſum aut mendacem?--- *Hor. Epiſt. lib. 1. Ep. 16*

4. Ne provocentur unquam pii hoc maledicorum exemplo ad remaledicendum; ſed cum Apoſtolo dicant, *Maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur & ſuſtinemus*; 1. Cor. 4. 12. *Non poteſt maledicto moveri, qui maledicta hominum divinæ benedictionis munere excludit*, ut loquitur Ambroſ. Ser. 6. in Pſalm. 118. Et Pſalmiſta, Pſal. 109. 28. *Maledicent ipſi, tu benedices.* Hæc de primo oris peccato.

Turpiloquium, αἰσχρολογίαν] Λόγον σαπρὸν, id eſt *corruptum* vel *putridum ſermonem*, appellat idem Apoſtolus ad Epheſ. 4. ver. 29. Et rectè quidem putridum: nam & à putrida radice pullulat (eſt enim ſpurcus ſermo filia luxuriæ; nam libidinoſi quorum cor turpibus deſideriis ardet, de facili ad turpia verba prorumpunt) atque etiam putredinem (ut ita loquar) moribus hominum inducit: Φθείρουσιν ἤθη χρῆθ' ὁμιλίαι κακαί, ut ex Menandro Apoſtolus, 1. Cor. 15. 33.

Multas ob cauſas fugienda eſt hæc αἰσχρολογία homini Chriſtiano.

1. Quia rem pretioſiſſimam & hominis propriam conſpurcat & ludibrio exponit; ſermonem ſcilicet, *non bos quæſitum munus in uſus*. Sermo enim obſcœnus & ſcurrilis, riſus excitandi *Virg. Æn. 3*

citandi causâ præcipuè profertur. At in hos qui obſcœnis ſermonibus conantur *riſu deducere rictum Stultorum*, graviter invehitur Clemens Alexand. Pædag. 2. cap. 5. *Si nemo* (inquit) *lubens ridiculam corporis figuram induere velit, cur verbis ſtudemus eſſe ridiculi*, τὸ τιμιώτερον πάντων ἡμῶν ἐν ἀνθρώποις κλημάτων καλαμωκώμενοι, τὸν λόγον; 2. Quia arguit & indicat animum corruptum. Mali enim fructus malam arborem, ridicula & obſcœna verba ridiculos & obſcœnos mores produnt. Καρπὸς διανοίας ὁ λόγος ἐστί, *Sermo eſt mentis fructus*; Clemens ibidem.

3. Quia pugnat cum profeſſione ſancta Chriſtianorum: *Sicut decet Sanctos, ne nominator quidem inter vos obſcœnitas, ſtultiloquium, ſcurrilitas* &c. ad Epheſ. 5. 3. 4. *Verbum malum non procedat* (inquit Lactantius) *ex ore hominis qui colit verbum bonum.* Hoc omnes Chriſtianos ſpectat, ſed maximè Miniſtros verbi: *Conſecrâſti os tuum Evangelio; talibus autem aperire illicitum eſt, aſſueſcere ſacrilegium*, inquit Bernardus. Vnde apud Gratianum Canon ille ex Concilio Carthaginenſi citatur; *Clericum ſcurrilem, & verbis turpibus joculatorem, ab officio eſſe retrahendum cenſemus. Nugæ* enim *in ore ſacerdotis ſunt blaſphemiæ*; Bernard. de Conſid. ad Eugen. lib. 2.

4. Quia corrumpunt tam loquentes, quàm audientes. Verè & diſertè Clemens, Pædag. 2. cap. 6. Τὸ ἐν τοῖς ὀνόμασιν ἀτακτεῖν, μελέτῃ ἐμποιεῖ τῷ χεῖρας ἀκοσμεῖν· τὸ δὲ περὶ τὴν φωνὴν σωφρονεῖν, ἀσκεῖν ὅτι λαγνείας καρτερεῖν. Ad audientes quod attinet; *Sicut ſordes & lutum aures carnis, ſic obſcœna & lutulenta verba auditum mentis immundum faciunt*; ut rectè Chryſoſtomus.

Concludamus illo dicto Servatoris noſtri, Mat. 12. 36. *Dico vobis quoniam omne verbum ocioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Si apud diſtrictum judicem ocioſus ſermo reprehenditur, quantò magis ſpurcus & noxius? *Penſato igitur quantum ſit damnabilis qui malitiâ non vacat, ſi & ille ſermo pœnalis eſt, qui à bonitate utilitatis vacat*; ut ratiocinatur bene Gregorius, Dialogorum lib. 3. Ab ore igitur noſtro maledicentiam omnem & turpiloquentiam, tanquam res fœtidas quibus vel maximè inquinatur, deponamus.

Corollaria

Coroll. 1. Qui ſuis confabulationibus hanc ἀισχρολογίαν, quaſi condimentum quoddam, adhibere ſolent, idem faciunt quod Commodus apud Lampridium, qui pretioſiſſimis cibis, joci causâ, humana ſtercora (fœdum dictu) admiſcere ſolebat.

Coroll. 2. Non eſt piorum vel æquo animo audire impuros hoſce ſermones: nam, ut verè Athanaſius, *vir caſtus & pius lapides in ſe conjectos majori patientiâ tulerit quàm obſcœna verba.*

Vers. 9. *Nec mentimini alius alii, cùm exueritis veterem illum hominem cum factis ipſius:*

10. *Et indueritis novum illum, qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus qui ipſum condidit.*

Nec mentimini alii aliis] Ventum eſt ad ultimum illud oris peccatum, quod hoc in loco deponendum ſuadet Apoſtolus, mendacium ſcilicet; quo creberrimè utuntur etiam iſti, qui id ſibi objici maximè ſtomachantur: ſtulti interim & ridiculi, qui peccandi licentiam ſibi ipſis concedunt, reprehendendi libertatem aliis eripiunt. Sed accedamus ad rem; & quæramus,

1. Quid & Quotuplex ſit mendacium. Placet definitio Auguſtini, de Mendacio ad Conſent. cap.4. *Eſt voluntaria falſi enunciatio, fallendi causâ.* Cui adſtipulatur Durandus, lib.3. diſtinct. 38. quæſt.1. reliquíque Scholaſtici. Aquinas 2.2. quæſt.110. art.1. *Si hæc tria concurrunt, ſcilicet, quòd falſum ſit id quod enunciatur, & quòd adſit voluntas falſum enunciandi, & intentio inſuper fallendi; tum habet perfectam rationem mendacii: eſt enim falſum & materialiter & formaliter.* Sic Alenſis par. 2. quæſt. 122. mem. 1. *Falſa vocis ſignificatio eſt ſicut materiale in mendacio, complementum autem, vel formale, eſt intentio fallendi.* Receptiſſima diviſio mendaciorum illa eſt, quæ petitur ex finibus diverſis. Aliud enim dicitur Pernicioſum, aliud Officioſum, aliud Iocoſum. Pernicioſum, quod profertur nocendi causâ; officioſum, quod juvandi; jocoſum, quod delectandi.

2. Quęramus an ullum horum licitum ſit, & peccati expers coram Deo.

Primò, negat ipſa Scriptura. Apocalyp.21.8. *Fornicatoribus, idololatris, & omnibus mendacibus pars in ſtagno ardenti igne & ſulphure:* & 22.15. *Foris canes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Proverb. 12.22. *Abominatio Domino labia mendacia.* Epheſ.4.25. *Depoſito mendacio, loquimini veritatem &c.*

Secundò, negat recta ratio. Nam quod eſt ſecundum ſe malum ex genere, nullo modo poteſt eſſe bonum & licitum; jam verò omne mendacium eſt per ſe malum, quia eſt actus cadens ſupra materiam indebitam. Sic Durandus lib.3 diſt.38. quæſt. 1. *Verba inſtituta ſunt, non ut per ea homines ſe fallant, ſed ut cogitationes ſuas notificent aliis; indebitus igitur actus eſt, cum aliquis vocibus utitur ad ſignificandum id quod non mente tenet.* Eâdem ratione probatur hoc ab Aquinate 2.2. quæſt.110. art.3. *Voces* (inquit) *naturaliter ſunt ſigna intellectuum: innaturale eſt igitur & indebitum quòd aliquis voce ſignificet id quod non habet in mente.* Vnde Philoſophus, Ethic. 4. cap.7. concludit omne mendacium eſſe per ſe pravum & fugiendum. Quinetiam Patres ſaniores omne mendacium pro peccato habent. Auguſt. Enchirid. cap.18. *Peccatum eſt omne mendacium, quamvis non tan-*

tum peccet qui consulendi, quantum is qui nocendi voluntate mentitur. Et de Mendacio ad Consent. cap. 21. *Ad sempiternam salutem nullus ducendus est opitulante mendacio.* Clem. Alexand. Strom. 7. *Vir bonus neque propter seipsum, neque propter proximum mentietur.* Gregorius Moral. 18. cap. 4. in 27. Iobi; *Omne mendacium iniquitas est; quia ab æquitate discrepat, quicquid à veritate discordat. Nec vita cujuslibet per mentiendi fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceat, qui præstare vitam nititur carni alienæ.* Explodenda itaque Cassiani sententia, qui Collat. 17. cap. 17. scribit *mendacio uti licere quasi helleboro, ad discrimen aliquod magnum depellendum.* Et cap. 25. dicit *Patriarchas pro vitæ tutamine patrocinium assumpsisse mendacii.* Qui hanc sententiam sequuntur, non Deum, sed Platonem authorem habent hujus licentiæ: is enim in 3. de Repub. dicit *mendacium hominibus nonnunquam utile esse, & quasi pro medicamento: quare publicis medicis concedendum, hoc est, magistratibus; privatis autem hominibus minimè attingendum.* Hæc Plato, qui parcius indulget hanc mentiendi veniam, quam Cassianus. Hunc errorem Hieronymus impingit Origeni, lib. 1. Apolog. adversus Ruffin. ubi scribit *Origenistas inter se orgyis mendaciorum fœderari.* Sed hisce omnibus opponimus ea quæ jam attulimus, & illud insuper Apostoli, *Non sunt facienda mala, ut indè eveniant bona.*

3. Quæramus an Parabolicæ & Tropicæ locutiones, reliquéq; consimiles mendacii nomen mereantur: verbi causâ, si quis dicat Hæreticum esse lupum; vel si quis parabolam recitet, qualis est illa Iudicum 9. de arboribus regem sibi eligentibus, qualésque multæ occurrunt in sacris & prophanis literis.

Certum est in his nec materiale, nec formale mendacii posse reperiri; ac proinde vacare omni maculâ peccati. Non reperitur materiale, quia falsum non enunciatur, sed verum figuratâ locutione atque hominibus usitatâ exprimitur: nam ut nativa, sic etiam metaphorica verborum significatio pendet ab usu & arbitrio loquentium. Quandoquidem igitur usus permittit appellare crudelem, lupum vel leonem; fundamentum & firmamentum, petram: eadem est enunciatio, sive dicas Hæreticus est lupus, aut Hæreticus est gregi Christiano inimicus & pernicioſus; Diabolus est leo rugiens, aut Diabolus quærit prædam animarum; Christus est petra, aut Christus est fundamentum & firmamentum salutis humanæ. Eadem est parabolarum ratio: nam, ut rectè Augustinus de Mend. ad Consent. cap. 5. *Omnis enunciatio ad id quod enunciat referenda est; omne autem figuratè dictum, vel factum, hoc enunciat quod significat iis quibus intelligendum prolatum est.* Sic Scholastici. Thomas quæst. disp. de Prophetia art. 10. *In metaphoricè dictis sensus literalis attenditur, non quantum ad Metaphoras, sed quantum ad ea quæ per Metaphoras intelliguntur.* Durandus

randus lib. 3. diſtinct. 38. *Locutio figurativa non eſt vera vel falſa pro ſenſu quem facit, ſed in ſenſu pro quo fit.* Sic Gerſon par. 1. *In Parabolicis locutionibus ſenſus literalis eſt, non qui per verba, ſed qui per res & facta deſignatur.* Sed nec formale mendacii in his reperitur; non enim adhibentur metaphoræ, parabolæ, apologi, intentione fallendi, ſed docendi majore cum venuſtate & voluptate. Qui enim dicit Hæreticum eſſe lupum, aut Diabolum eſſe leonem rugientem, aut qui parabolam, ſive apologum proponit, non intendit perſuadere auditoribus aliquid falſum, ſed luculentiùs repræſentare aliquid quod verum eſt, & utile cognitu.

4. Vltimo in loco, verbo perſtringamus Ieſuiticam æquivocationem, quæ ſanè neſcio ridiculè an impiè magis ab iſtis mendaciorum architectis & patronis defendatur. Atque primò, exemplum proponemus Ieſuiticæ æquivocationis, ſive mentalis (ut loquuntur) reſervationis; tum coarguemus iſtos manifeſti mendacii. Sumatur igitur nobis, ſacerdotem aliquem Papiſticum interrogatum utrùm ſit ſacerdos necne, diſertè reſpondere, imò jurare ſi opus ſit, ſe non eſſe ſacerdotem; hac cogitatione in mente interim reſervatâ, ſe non eſſe ſacerdotem Apollinis; vel ſe non eſſe ſacerdotem talem, qualem eſſe deſiderat; vel ſe non eſſe ſacerdotem, obligatum ſcilicet ad hoc aliis indicandum. Quæritur an reus ſit mendacii. Negat mendaciſſimus Ieſuita * Parſonius; nos affirmamus, & probamus ex illa definitione Auguſtini & Scholaſticorum; quia *volens falſum enuntiat, idque intentione fallendi.* Eſt ibi materiale mendacii; negat enim ſe eſſe quod eſt: eſt etiam formale; nam hac ſuâ negatione intendit imprimere falſam opinionem in mente audientis. Quid ad hæc Ieſuita?

* *Vide tract. ad Mitigat. ſpecul. &c. cap. 8.*

Reſpondet primò, *enunciationem ſupradictam non eſſe falſam, quia unica tantùm eſt enunciatio ſive propoſitio, quæ partim exprimitur, partim mente concipitur; ea autem vera eſt, ſcilicet, non ſum ſacerdos Apollinis, vel non ſum ſacerdos obligatus ad id indicandum.*

Contrà; Fatemur hanc propoſitionem, *Non ſum ſacerdos obligatus ad id indicandum*, eſſe unicam; ſed dicimus illam alteram etiam quæ verbis exprimitur, eſſe integram propoſitionem, & ab hac diverſam. Hoc ipſo igitur quo ſe tuetur, convincitur mendacii; nimirum quòd, cùm veram popoſitionem animo concipiat, falſam enunciet: nam etſi verum & falſum in mentis conceptione internâ conſiderari poſſunt; tamen mendacium propriè dictum reſpicit alterum, & externam declarationem mentis per ſigna verborum. Quamvis igitur verum ſit quod clauſum habet hic ſacerdos in conceptione mentis; mendacium tamen eſt quod promit in enunciatione falſæ propoſitionis. Exemplo hoc patefiet: ſi quis interrogatus utrùm ignis ſit calidus, aſſerat & juret ignem non eſſe calidum, hac in animo reſervatâ

diſtinctione, non eſſe calidum calore adventitio; vel ſi quis dicat hominem non eſſe animal rationale, & tum tueatur ſequòd non ſit animal rationale volatile vel aquatile; quis non videt ineptis hiſce reſervationibus non liberari iſtos à crimine mendacii? In negativa enim propoſitione, quicquid uſitatè continetur ſub ambitu prædicati, removetur à ſubjecto; non tantùm unica ſpecies. Iam qui juramento firmare audet hujuſmodi propoſitiones, fretus hac ſuâ mentali reſervatione, omnium veterum Theologorum calculis perjurii reus habetur. Nos regulas quaſdam tantummodò proponemus; veſtrum erit huic cauſæ accommodare.

Regula 1. *Quacunque arte verborum juretur, Deus ſic juramentum accipit ſicut ille cui juratur intelligit*; Iſiodorus.

Reg. 2. *Gerſ. par.* 2. *Accipitur juramentum ſecundum uſum communem intelligendi.* At nec ille cui juratur, nec communis uſus intelligit illas clauſulas reſervatas; atque hoc ſcit qui præſtat juramentum.

Reg. 3. *De certis nemo debet jurare* (inquit Durandus): *nam jurare eſt Deum teſtem vocare ad confirmationem veritatis de qua audiens non eſt certus, & cui non aſſentiri vult per ſimplicem aſſertionem.* At nunquam dubitatum fuit, an ſacerdos ille fuerit ſacerdos Apollinis; neque opus fuit juramentum profanare in probatione ejus.

Reg. 4. *Juramentum factum per verba multiplicia, vel æquivoca, obligat in ſenſu illo quem ſolent generare verba apud rectè intelligentes. Si apud rectè intelligentes verba illa æqualiter multa ſignificant, tunc tenet juramentum in illo ſenſu quem habere credebat jurans illum cui juratur*; Altiſſiodorenſis lib. 3. tract. 19. quæſt. 4.

Ex hiſce omnibus, non obſtante reſervatione illâ mentali, concluditur, in illa ſacerdotis aſſertione reperiri mendacii materiale, enunciationem ſcilicet falſam.

Sed ſecundo in loco excipit Ieſuita, *Formale mendacii non eſſe in hoc exemplo propoſito; non enim intendit fallere audientem, ſed à periculo liberare ſeipſum, cum negat ſe eſſe ſacerdotem, reſervationem prædictam ſubintelligens.*

Contrà: intendit utrumque; nam fallendo vult ſeipſum liberare, non liberaturus utique niſi priùs falleret hiſce præſtigiis auditorem. Cum Alenſe itaque concludo; *Licèt ulterior intentio ſit juvare proximum, vel ſeipſum, nihilominus citerior eſt intentio fallendi; & quoad hoc dicetur mendacium: illa enim intentio per ſe reſpicit ſermonem; altera verò intentio reſpicit voluntatem, & non per ſe ſermonem*; par. 2. qu. 122. mem. 1.

Cùm exueritis veterem illum hominem cum factis ipſius] Accedit jam Apoſtolus ad rationem primam dehortationis prædictæ. Sumitur à remotione cauſæ ad remotionem effectorum. Vetus enim homo cauſa eſt prædictorum vitiorum; illo igitur exuto, & ea etiam deponenda ſunt.

Vetus homo deſignat inſitam naturæ noſtræ corruptionem, &

inclinati-

inclinationem omnium facultatum ad malum, atque inſuper illum peccandi habitum quem ante inſitionem eorum in Chriſtum conſuetudine peccandi acquiſiverunt. Facta autem hujus veteris hominis, ſunt peccata illa prædicta, aliáq; ejuſdem naturæ in opus prodeuntia. Aliis verbis, ſed eodem ſenſu proponitur hæc dehortatio, ad Epheſ. 4. ver. 22. *Deponite, quod ad priſtinam converſationem attinet, veterem illum hominem, deceptricibus cupiditatibus corruptum.*

Exuiſſe eos dicit hunc veterem hominem, in Baptiſmi ſuſceptione Sacramentaliter, per Spiritus regenerantis operationem Efficaciter: Totaliter quidem quoad reatum & dominium peccati; Inchoatè quoad naturam & actum ſive motum peccati. Sed de hac veteris hominis expoliatione dictum à nobis eſt fuſiùs ad verſum 12. Capitis præcedentis: indè petantur quæ ad hunc locum pertinent; eadem enim ſæpiùs non inculcabimus.

Vers. 10. *Et induerit is novum illum, qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus qui ipſum condidit.*

Vbi non eſt Græcus &c.

Hæc eſt illa altera ratio connexa cum priori: fieri enim non poteſt, ut quis exuat veterem hominem, quin eâdem operâ novum ſimul induat. Nam, ut in Phyſicis, cùm expellitur vetus forma, nova protinus introducitur; ſic cùm exuitur vetus Adamus, novus ſimul induitur: novo autem homine induto, à veteris hominis operibus & converſatione ceſſandum eſt.

Tria obſervanda. 1. Quid deſignet Apoſtolus per hunc *novum hominem*, quem dicit Coloſſenſes induiſſe. 2. Quomodo renovetur; ſcilicet paulatim, & aſſiduè. 3. In quibus ſita ſit hæc renovatio novi hominis.

Novum illum] Quod ad primum, uno verbo expediri poteſt: nam ſi Vetus homo (ut antè oſtenſum eſt) deſignet inſitam naturæ noſtræ corruptionem, cum pronitate & inclinatione omnium animæ facultatum ad mala perpetranda; tum lege contrariorum, Novus homo deſignabit redintegrationem, & novam propenſionem omnium facultatum ad benè agendum, inſpiratam, & impreſſam fidelibus virtute Spiritus ſancti. *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem*; Rom. 7. 22. *Det vobis Deus, ut fortiter corroboremini per Spiritum ſuum in interiore homine*; ad Epheſ. 3. 16. Corroborat itaque renovatos Spiritus ſanctus ad eas actiones ad quas antè nullam habuerunt facultatem aut propenſionem. 1

Corollaria duo emergunt ex conſideratione hujus novi hominis.

Primum excitat ad officium: oportet novum hominem indutos, novam vitæ rationem inſtituere. *Si quis eſt in Chriſto, nova creatura eſt: vetera præterierunt, ecce nova facta ſunt omnia.* Qui *Coroll.* 1. 2. *Cor.* 5. 17.

Regis perſonam induit, ineptus & improbus eſt ſi ſcurræ partes agat; ſic qui novi hominis induerit, ſi iſtius veteris egerit.

Coroll. 2. Secundum deprimit ſuperbiam: oportet enim meminiſſe unde nacti ſumus novitatem, ſi quam habemus, & bona opera; à Spiritu ſcilicet innovante. *In nullo* igitur *gloriandū, quia nihil eſt noſtrum*; ut ait Cyprianus. *Quid habes quod non accepiſti?* 1. Cor. 4. 7.

2 *Qui renovatur*] Vocabulum hoc ad modum ſpectat; aſſiduam enim operam Spiritus ſancti indicat in nobis renovandis. Quaſi diceret, hæc renovatio veſtra non uno momento abſolvitur, ſed ſic induiſtis novum hominem, ut adhuc ſitis magis magiſque quotidie innovandi. Perſpicuè hoc docetur 2. ad Corinth. 4. 16. *Etiamſi externus homo noſter corrumpitur, internus tamen renovatur de die in diem.*

Ratio autem cur opus ſit quotidianâ hac renovatione deſumitur à reliquiis inhabitantis peccati; quas divina ſapientia noluit uno momento eradicare, ſed potiùs ad exercitium virtutis & cuſtodiam humilitatis in nobis relinquere uſque ad diem diſſolutionis noſtræ. Vt igitur in vino diluto tam aqua quàm vinum in ſingulis partibus reperitur: ſic in homine renato conditiones regenerationis & corruptiones quædam veteris hominis, quaſi complicatæ & convolutæ reperiuntur. Hinc Auguſt. de Pecc. Merit. & Remiſſ. lib. 2. cap. 7. & 8. *In ipſo animo renati non eſt perfecta novitas.* & cap. 28. *Iex peccati manet in regeneratis, quàmvis ut ſuperata & perempta.* Hanc igitur ob cauſam dicit Apoſtolus novum hunc hominem adhuc renovari in filiis Dei.

Corollaria.

Coroll. 1. Quemadmodum Spiritus Dei ad intrà magis magiſque nos renovat; ſic nos oportet Spiritus renovantis gratiâ & adjutorio excitatos & fultos, ad extrà progredi in ſanctitate & operibus bonis. *Aguntur* enim *Spiritu Dei homines, ut acti agant, non ut ipſi nihil agant*; Auguſt. de Correp. & Grat. cap. 2. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, 2. Cor. 6. 1.

Coroll. 2. Qui negant Peccatum remanere in renatis, negant hoc beneficium quotidianum Spiritus ſancti nos indies renovantis, & refingentis. Renovatio enim innuit aliquid veteris hominis reſtare; vetus autem homo nil aliud eſt quàm *corpus peccati*, ut alibi loquitur Apoſtolus. Hæc de modo renovationis, nimirum quòd non uno momento perficiatur, ſed paulatim.

3 Iam ultimo in loco, in quibus ſita ſit hæc renovatio perpendendum eſt. Apoſtolus in duobus videtur illam conſtituere: in illuminatione mentis, quam denotat ſub vocabulo *agnitionis*; in ſanatione & ſanctificatione voluntatis, quam innuit ſub vocabulo *imaginis*

In agnitionem] Quod ad prius, proprium eſt hominis vete-

ris

ris habere mentem occæcatam, quod attinet ad ſpiritualem & ſalutiferam cognitionem. *Obtenebratos habentes oculos intellectus*; Epheſ. 4. 18. *Homo animalis non percipit quæ ſunt Dei*; 1. Cor. 2. 14. Ab infuſo itaque ſalutiferæ ſcientiæ, & fidei lumine, auſpicatur hoc opus renovationis noſtræ Spiritus ſanctus, cùm nos ducit in agnitionem rerum ſpiritualium. Hinc illa Apoſtoli ſupplicatio ad Deum pro Epheſiis; Epheſ. 1. 17. 18. *Pater gloriæ det vobis Spiritum ſapientiæ, & revelationis, per agnitionem ipſius, illuminatis oculis mentis veſtræ &c.* Agnitionem autem appellat potiùs quàm cognitionem, ne arbitretur aliquis de ocioſa aliqua & ſpeculativa ſcientia loqui Apoſtolum, qui vivam, efficacem, & operativam ſcientiam hoc vocabulo ſolet indicare.

Eſt igitur hæc illuminatio mentis, & infuſio fidei atque agnitionis ſpiritualis, primum effectum Spiritus regenerantis & renovantis. Vnde non ineptè Pariſienſis dicit fidem eſſe *primam vitam mentis humanæ, & veluti lucem ſpiritualem inter opera Recreationis: eſſe portam vitæ per quam Deus primò ingreditur ad mentem humanam*; de Moribus cap. 1.

Qui in Chriſtianis cæcam tantummodò devotionem requirunt, videntur velle ſanctitatis ædificium abſque fundamento extruere, & Chriſtianos ex dimidia tantùm parte renovatos approbare. *Obſerv.*

Secundum imaginem ejus qui condidit ipſum] Poſt infuſam cognitionis & fidei lucem, Spiritus regenerans imprimit imaginem Dei (qui conditor eſt hujus novi hominis) in voluntatem. Eſt igitur hoc illud alterum renovationis effectum, ut mente per fidem illuſtratâ, humana voluntas reddatur Deo conformis, & in affectu ſanctitatis & juſtitiæ divinam indolem exprimat. Hoc ſenſu ad Epheſ. 4 verſu 24. dicit hunc novum hominem conditum eſſe *ſecundum Deum in juſtitia & vera ſanctimonia*. Sic 2. Petri 1. ver. 3. 4. Chriſtus donâſſe dicitur renatis *omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent*, eóſque effeciſſe *divinæ conſortes naturæ*, atque liberâſſe *à corruptione quæ eſt in mundanis hominibus per cupiditatem*. Denotatur itaque per hanc imaginem, repræſentatio quædam ſanctitatis divinæ in animâ humanâ. De hac Dei imagine multa diſputantur à Patribus, & Scholaſticis.

Primò, dicere ſolent ſolum filium Dei eſſe imaginem Patris, nos ad imaginem; creaturas autem irrationales veſtigium tantùm in ſe habere divinitatis, non imaginem eſſe Dei, neque ad imaginem factas. Quod attinet ad hoc diſcrimen inter filium Dei æternum & naturalem, nóſque adoptivos, non tam accuratè obſervatur in Scripturis. Nam ut ille dicitur *imago Patris*, Heb. 1. 3. ſic nos etiam dicimur, non ſolùm facti ad imaginem, ſed *imago Dei*. 1.

Cor. 11.7. Illud tamen tenendum eſt, aliter Chriſtum eſſe Dei Patris imaginem, aliter nos: ille eſt imago æqualitatis, perfectè obtinens eandem naturam cum Patre cujus eſt imago; renatus quilibet eſt imago imitationis, imperfectè repræſentans quandam ſimilitudinem divinæ naturæ in donis quibuſdam gratiæ. Illuſtrat hoc Auguſtinus non inepta ſimilitudine; *Sicut* (inquit) *imago Imperatoris aliter eſt in nummo, aliter in filio: ſic imago Dei aliter in nobis, aliter in Chriſto.*

Secundò, quærunt Scholaſtici & Patres qua in re ſita ſit hæc imago Dei ad quam fuimus conditi; cujus rei conſideratio conjunctior eſt cum præſenti noſtro inſtituto. Tertullianus adverſus Marcion. lib. 2. eam ponit in *immortalitate, libertate arbitrii,* & *capacitate ſcientiæ.* Auguſtinus in 9. de Trinit. cap. 4. aſſignat imaginem Dei in anima ſecundum hæc tria, *mentem, notitiam,* & *amorem:* in 1. autem de Trinit. cap. 11. ſecundum *memoriam, intelligentiam,* & *voluntatem.* Scholaſtici plerunque dicunt, hanc imaginem Dei ſitam in donis *naturalibus,* ſimilitudinem autem in *gratuitis:* quam ſententiam Gloſſa ſuper Geneſin expreſſit, dicendo hominem factum fuiſſe *ad imaginem Dei, quantum ad naturalia; ad ſimilitudinem, quantum ad gratuita.*

Fatemur cum Patribus & Scholaſticis reperiri in ipſis naturalibus animæ facultatibus imaginem quandam Dei, quam licet appellare imaginem Creationis naturalis; ſed dicimus tamen, & hoc in loco, & paſſim apud Paulum, imaginem hanc Dei (quam licet vocare imaginem Recreationis ſupernaturalis) poni non in ipſis potentiis, ſive facultatibus, aut qualitatibus animæ nativis; ſed in reordinatione, ſanctificatione, & conformatione earundem ſecundum naturam & voluntatem Dei. Huc mihi ſpectáſſe videtur Ambroſius, Hexam. 6. cap. 8. in illis verbis, *Pictus es & homo, & pictus à Domino Deo tuo: bonum habes artificem, atque pictorem: noli bonam delere picturam, non fuco, ſed veritate fulgentem; non cerâ expreſſam, ſed gratiâ.* Hanc igitur imaginem Dei quam geſtamus ponit in effectis gratiæ; ſecundum imaginem Dei itaque renovamur, cùm illuſtrantur & ſanctificantur omnes potentiæ & inclinationes animæ noſtræ.

Documenta.

Docum. 1. Finis regenerationis noſtræ, ut Deo ſimiles reddamur, & quaſi terſa ac polita ſpecula repreſentemus (quantum infirmitas naturæ noſtræ patitur) ejus ſapientiam, juſtitiam, ſanctitatem &c.

Docum. 2. Qui ſanctitati non ſtudent & juſtitiæ, portant adhuc veteris Adami, imò Diaboli imaginem; ad Dei imaginem, quæ in ſanctitate potiſſimùm ſita eſt, nondum reformantur: illi igitur adjudicabuntur cujus characterem mentibus inſculptum geſtant.

Docum. 3. Dei benignitas, & φιλανθρωπία, in hoc opere renovationis conſideranda

ſideranda eſt; eximiæ enim bonitatis & clementiæ argumentum eſt, velle imaginem ſuam ſemel nobis impreſſam, ac poſtmodùm noſtrâ culpâ & protervià deformatam & contritam, denuo reficere & reparare.

Magis elucebit hæc miſericordia divina, ſi quanti Deo conſtiterit hæc ſecunda hominis reparatio cogitemus: creavit hominem primò ad imaginem ſuam, voce & verbo ſuo; ſed reparavit ſecundò, morte & ſanguine ſuo. Sit itaque calcar ad deponenda vitia, & exercendam pietatem, hæc Dei benignitas nos tanto pretio regenerantis, & renovantis ad imaginem ſuam per Spiritum ſanctum. Atq; hæc de duplici ratione quâ Apoſtolus præcedentem dehortationem confirmavit; ſequente verſu habemus amplificationem ejuſdem rationis.

VERS. 11. *Vbi non eſt Græcus & Iudæus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber: ſed omnia & in omnibus Chriſtus.*

Apoſtolus excitavit Coloſſenſes ad vitiorum carnalium & ſpiritualium abrenunciationem hoc potiſſimùm argumento, quòd veterem hominem exuerunt, induerunt novum: conatur jam quaſi expolire & acuere hoc ipſum argumentum; ídque facit, 1. Removendo falſam opinionem quorundam, qui, neglecta hac renovatione, confidebant externis privilegiis, eóſque contemnebant qui iiſdem deſtituebantur. 2. Opponendo veram; ſcilicet externa omnia, quæ putantur præclara & honorifica, ſine hac renovatione nihil valere ad ſalutem: è contrà, quæ putantur abjecta & ignominioſa, cum hac nihil obeſſe; quia *Chriſtus eſt omnia in omnibus*. Percurramus verba ſuo ordine.

Vbi non eſt Græcus & Iudæus] Id eſt, in quo homine novo vel renovato, ſive in quo ſtatu regenerationis, nullum conſideratur diſcrimen Nationum, ità ut quis Deo ſperet ſe acceptiorem fore quòd Iudæus ſit, vel metuat ſe deſpectiorem fore quòd Gentilis ſit: imò ſi Iudæus ſis & careas hac renovatione, canis es, non filius; ſi Gentilis ſis eámque habeas, filius es, non ampliùs canis.

Nationum diſcrimen nec promovet ſalutem cujuſpiam ſi deſit ſanctificatio, nec impedit ſi adfuerit; ſanctimoniæ itaque ſtudendum. Hinc eſt quòd in Scripturis paſſim retunditur Iudæorum ſuperbia, qui efferebant ſeſe privilegio nationis ſuæ. Mat. 3.9. *Ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham &c.* Et Ioan. 8. 39. jactitantibus Iudæis, *Pater noſter Abraham eſt*, reſpondet Chriſtus, *Si filii Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis. At vos ex patre diabolo eſtis &c.* ver. 44. E contrà, ſi Gentiles fuerint renati & ſanctificati, Deo acceptabiles oſtenduntur. Actor. 10.34. *In veritate comperio Deum non accipere perſonam, ſed in quavis gente acceptum ei eſſe qui eum timeat, & operatur juſtitiam:* *Docum.*

&

& ad Galatas 3.7. *Qui ex fide ſunt, filii Abrahæ ſunt. Non ſunt Sanctorum filii* (inquit Hieronymus) *qui tenent loca Sanctorum, ſed qui exercent opera eorum.* Valet hoc etiam ad detegendam Romanenſium impudentiam, qui membra Eccleſiæ hoc uno metiuntur, quòd adhęreant, vel non adhæreant Romanæ Sedi. Sed Chriſtus non quærit utrùm adhæreas huic vel illi Nationali Eccleſiæ, ſed utrùm adhęreas veræ fidei: non utrùm ſis Romanenſis, ſed utrùm ſis verè ſanctificatus & renovatus. In ſtatu ſpirituali ſalutis non ſpectatur utrùm ſis Gręcus aut Iudęus, multò minùs utrùm ſis Græcus an Romanenſis.

Circunciſio & præputium] Vt nationum diſcrimen in negotio ſalutis nec prerogativam affert nec prejudicium, pari ratione, cæremoniarum & externarum obſervationum diſcrimen nullius eſt momenti. Circunciſio erat in Iudaica religione ritus præcipuus: adhibetur itaque ad deſignandam obſervationem omnium rituum Legalium; præputium arguebat neglectum eorundem. Dicit igitur Apoſtolus, nec obſervationem externarum cæremoniarum, nec incuriam in Chriſtianis alicujus eſſe momenti; ſed renovationem internam & veram ſanctitatem continere ſummam ſalutis noſtræ.

Docum. Chriſtianus non Deo commendatur obſervatione quarumcunque cæremoniarum, aut traditionum externarum; non abalienatur à Deo nudâ omiſſione earundem. Sic paſſim docet Paulus. Ad Galat.6.15. *In Chriſto Ieſu neque circunciſio quicquam valet, neque præputium; ſed nova creatura.* Ad Roman.14.2. *Alius credit veſcendum eſſe quibuſvis, alius edit olera. Qui edit, non edentem ne pro nihilo habeto; qui non edit, edentem ne condemnato;* ver. 3. Eandem regulam ponit de obſervatione dierum, ver.5. Apertiùs 1.Cor.8.verſ.8. *Eſca nos non commendat Deo: neque enim ſi veſcamur abundantiores ſumus, neque ſi non veſcamur pauperiores reddimur.* Miſerum eſt itaque alios de cibi vel potus perceptione damnare, aut nobis arrogare per horum abſtinentiam ſanctitatem. Quæ autem de circumciſione, de cibo, de dierum obſervatione dicta ſunt, ad omnes obſervationes in rebus externis poſitas debent accommodari. Hæc enim per ſe, nec obſervatione ſuâ reddunt homines Deo gratiores; nec omiſſione minùs gratos & acceptos: non itaque hiſce rebus immorandum; ſed contendendum ad mortificationem, & ſanctificationem.

Hinc coarguitur Monachorum ſtulta ſuperbia, qui ſeſe præferunt aliis Chriſtianis, ratione harum rerum externarum; utpote quòd cibis quibuſdam abſtineant, quòd clauſtris ſeſe includant, (ut verbo expediam) quòd regulam externarum cæremoniarū ab homine aliquo excogitatam obſervent. Sed in Chriſto ſi circumciſio & præputium nihil differant, tum carnibus veſci aut piſcibus, in clauſtris vivere aut urbibus, indui cucullis aut penulis, nihil

habent diſcriminis, quod attinet ad ſalutem Chriſtianorum.

Barbarus & Scytha] Superiora videntur ad Iudæos ſpectâſſe qui nationis ſuę prærogativâ, & Legalium rituum obſervatione putabant ſe Deo commendatiores & gratiores Gentilibus: hæc peculiariter ad Græcos diriguntur, qui Philoſophię cognitione, atque omnium liberalium artium exculti, cæteras nationes Barbaras vocabant, & quaſi belluas præſe contemnebant. Dicit igitur Apoſtolus, in Chriſtum inſitis, & verè renovatis ac ſanctificatis nihil obeſſe hanc barbariem. Scythas autem nominatim exprimit, quia Scythæ ſemper habiti ſunt barbarorum immaniſſimi; quaſi dixiſſet, ne barbariſſimam quidem barbariem præjudicare illis qui illuminati ſunt per fidem, & renovati per Spiritum Dei. Epiphanius in ipſo penè initio primi libri contra octoginta hereſes, Barbariſmum à Scythiſmo diſtinguit; atque dicit, Babariſmum in decem primis mundi generationibus viguiſſe, poſteà invaluiſſe Scythiſmum à diluvio uſque ad extructionem turris Babel. Sed fateor me non ſatis intelligere hujus diſcriminis rationem; itaque Scythas Barbaris adjunctos cenſeo amplificationis, non diſtinctionis causâ: quod etiam Ambroſio viſum, qui ſcribit Scythas ab aliis Barbaris hoc in loco ſeparatos, quia morum feritate reliquos ſuperabant.

Nemo pius & ſanctus flocci faciendus, quòd parùm cultis moribus ſit, aut quòd literis humanioribus deſtitutus ſit. Non morum elegantia, ſed vitę innocentia; non eruditio, ſed fides Deo nos commendat. *Videtis fratres vocationem veſtram, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus*; 1. Cor. 1. 26. 27. Sic Auguſtinus olim exclamavit; *Surgunt indocti, & rapiunt cœlum; nos cum noſtris doctrinis mergimur in infernum.* Cognoſcenti Chriſtum, & viventi juxta legem Chriſti, nihil obeſt Barbarica cæteratum rerum ignorantia; ignoranti Chriſtum, aut impurè viventi, nihil proderit vel Angelica omnium rerum ſcientia: *in Chriſto* enim *non eſt Barbarus & Scytha.* *Docum.*

Servus & liber] Hæc omnes ex æquo ſpectant, atque oſtendunt præſtantiam, ſive vilitatem præſentis conditionis non attendendam in Chriſtiano; quaſi à ſalute remotior ſit qui eſt conditione ignobiliore, aut ſaluti propinquior qui eſt eminentiore. Servorum conditio apud veteres iniquiſſima erat & miſerrima: habebant enim ſervos ſolummodò pro animatis quibuſdam inſtrumentis, quibus domini abutebantur pro ſua libidine; imò vitæ necíſque poteſtatem in hos, quaſi in jumenta ſua, ſibi arrogabant. Non obſtante hac vili & abjectâ conditione, dicit Apoſtolus, quod ad ſpiritualem ſalutis ſtatum attinet, nihil intereſſe inter ſervum & dominum. Servus enim ſi ſit ad Dei imaginem reformatus, pro filio agnoſcitur; dominus, ſi improbus & impurus

purus maneat, pro ſpurio abjicitur. Quod de ſervitute & libertate dicitur, id ad nobilitatem & ignobilitatem, ad opulentiam & paupertatem, uno verbo, ad omnes diverſas mortalium in hoc ſeculo conditiones referendum eſt. Nam verè Hieronymus; *Neſcit religio noſtra perſonas, nec conditiones hominum, ſed animas inſpicit.* Et Lactantius Inſtit. 5.14. *Nemo Deo pauper eſt, niſi qui juſtitiâ indiget; nemo dives, niſi qui virtutibus plenus eſt; nemo denique egregius, niſi qui bonus & innocens fuerit.* Sed hîc cavendum, ne putemus Chriſtianam religionem, politicum ordinem & diſtinctos hominum gradus confundere: non dicit Apoſtolus in ſeculo non eſſe ſervum aut liberum; ſed in Chriſto, vel in ſtatu ſpirituali ſalutis non inveniri hęc diſcrimina. Qui igitur hîc dicit, in homine novo *non eſſe ſervum aut liberum*, 1. ad Timot. 6. ver. 1. jubet *ſervos qui ſunt ſub jugo, dominos ſuos omni honore dignos reputare, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.* Hoc etiam Auguſtinus hiſce verbis docuit; *Oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet ſubditos eſſe poteſtatibus, ex illa verò parte quâ credimus Deo, & in regnum ejus vocamur, non nos oportet eſſe ſubditos cuiquam homini id ipſum in nobis evertere cupienti*; Expoſ. in Epiſt. ad Rom. propoſ. 72.

Atque hactenus oſtenſum eſt, contra falſam & vanam multorum præſumptionem, nihil valere externa quæcunque ſine hac interna renovatione; nihil obeſſe qualemcunque conditionem, utcunque vilem & abjectam, ſi adſit Spiritus ſanctus regenerans, & repurgans corda hominum à vitiis. Huic errori veram ſententiam opponit, quam expreſſit magis affirmatè Apoſtolus hiſce ultimis verbis, *Sed omnia, & in omnibus Chriſtus.*] Quod Iudæi ex Nationis privilegio & ſigno fœderis, quod Græci ex Philoſophia, quod Domini & Magnates ex dignitate ſuâ fruſtra ſperant ſe conſecuturos, ea omnia longéque excellentiora quivis renatus habet in Chriſto. E contrà, ſi quæ ſit macula, eſſe à Gentilibus vel Barbaris oriundum, eſſe incircunciſum, eſſe vili conditione & abjecto loco natum; hæc omnia per Chriſtum in renatis viventem, ab omni turpitudine & dedecore liberantur; maximi itaque facienda eſt hæc renovatio. *Eſt* enim *Chriſtus* (ſeſe ſcilicet uniens renatis, eóſque regenerans) *omnia*, ſcilicet ad ſalutem neceſſaria; *omnibus*, nimirum fidelibus hunc in modum ſanctificatis, & Chriſto copulatis. Eſt illis omnia Meritoriè: nam dum fiunt una perſona myſtica cum Chriſto, illis impertit meritum paſſionis, mortis, obedientiæ, juſtitiæ; & ſic *factus eſt* illis *à Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemptio*; 1. Cor. 1. 30. Eſt etiam illis omnia Efficienter: nam quicquid habent aut poſſunt, quod ſpectat ad vitam ſpiritualem & ſalutem obtinendam, habent à Chriſto, poſſunt per Chriſtum. *Vivo autem, non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus*; Gal. 2. 20. *Gratiâ Dei ſum quod ſum.*

&

& gratia ejus in me collata non fuit inanis, ſed ampliùs quàm illi omnes laboravi; non ego tamen, ſed gratia Dei quæ mecum eſt; 1.Cor.15.10. Perſpicuum itaque eſt Chriſtum eſſe omnia in omnibus renatis, nec eget ampliore explicatione.

Corollaria.

Non ſatis magni à nobis fit Chriſtus, ipſiúſque Spiritus nos renovans, niſi hunc novum hominem tanti æſtimemus, ut reliqua omnia, quæ homines reddere ſolent ſive contemptibiles, ſive honorabiles, præ hoc nihili putemus. *Coroll. 1.*

Hinc faſtus illorum & tumor deprimitur, qui ſuperbiunt opinione dignitatis cujuſcunque ſecularis; cùm quivis è grege renatorum ſit illis nobilior, honoratior, liberior, & (quod caput eſt honoris) Deo ſimilior & conjunctior. *Coroll. 2.*

Atque hæc de ea parte monitionis Apoſtolicæ quæ ſpectat depoſitionem vitiorum: reſtat illa altera quæ excitat ad exercitationem virtutum; ad quam viam munivit & paravit, dum eos non modò exuiſſe veterem hominem, ſed novum induiſſe oſtendit.

Vers. XII. XIII. &c.

Induite igitur ut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſerationum, benignitatem, humilitatem, manſuetudinem, patientiam.

Tolerantes alii alios, &c.

In priore generalis hortationis membro, monuit Apoſtolus vitia omnia, utpote veteris Adami membra, exuenda, & abjicienda: ventum jam eſt ad ſecundam hortationis partem, in qua Coloſſenſes ad induendas & exercendas virtutes adhortatur; hęc autem ad verſum 18. extenditur.

Tribus conſtat particulis hoc poſterius membrum hortationis Apoſtolicæ.

In prima excitat ad illas virtutes quæ immediatè reſpiciunt proximos, eóſque vel miſeros, & noſtræ opis indigos; vel malos, nobíſque injurios; vel quoſlibet promiſcuè: verſibus ſcilicet, 12. 13.14.15.

In ſecunda vocat ad ſtudium, ſcientiam, & uſum verbi divini: cujus ſcilicet magiſterio inſtruimur, & erudimur ad prædictas virtutes; verſ.16.

In tertia & ultima præſcribit Coloſſenſibus univerſalem regulam in omnibus actionibus obſervandam; verſ.17.

Quod attinet ad hunc verſiculum quem in manibus habemus,

tria conſideranda: Cohæſio hortationis hujus cum præcedente; Præmunitio ad hortationem; Materia ipſa hortationis.

1 Obſervare oportet cohærentiam ſive dependentiam, quam nobis innuit particula illativa *Igitur.*] Hoc vocabulum jubet nos reſpicere ad verſum 10. ubi Apoſtolus dixit illos induiſſe novum hominem; unde infert hoc in loco, *Igitur induite viſcera miſerationum, benignitatem &c.* Quaſi dixiſſet, qui novum hominem induerunt, debent ſingula ejus membra, & omnes ejus proprietates induere; ſed hæ virtutes ſunt quaſi membra & proprietates novi hominis; igitur induendæ à vobis qui illum induiſtis. Vſus eſt anteà eodem argumenti genere, cùm ex eo quòd veterem hominem exuerunt, intulit, *Mortificate igitur membra ejuſdem, ſcortationem, impuritatem &c.* verſ. 5.

Corollaria ab hac illatione.

Coroll. 1. Oportet laborare ut novus homo integer ſit, & omnibus ſuis membris abſolutus: nam ut corpus naturale deforme apparet, ſi oculo, manu, pede, aut quolibet membro ſuo deſtituatur; ſic homo ſpiritualis, ſi careat ſuis partibus.

Coroll. 2. Spiritualis vitæ ſuæ aut nullum, aut perexiguum ſenſum habent, qui non percipiunt hanc mutilationem hominis novi, aut percipientes non dolent, aut dolentes non conantur omni ope & ſtudio eandem reficere & reſarcire.

Coroll. 3. Vix unus è multis reperitur, qui non ſit quoad hunc novum hominem, aut mancus, aut monſtroſus. Mancum appello cui deſunt partes debitę: monſtroſum cui inſunt indebitæ. Sed ſi Apoſtolum audire velimus, hoc ipſo quòd veterem Adamum exuimus, novum induimus, ut utrique incommodo occurramus nos obligatos intelligemus. Atque hæc de particula illativa *Igitur.*

2 *Vt electi Dei, ſancti & dilecti*] Hîc ſecundò obſervare oportet præmunitionem, ſive præmiſſam hortationi rationem cur virtutes ſunt induendæ & exercendę à Coloſſenſibus: ſumitur autem à Decoro vel Honeſto; nam hæc tria attributa, quibus illorum conditio depingitur, probant illos teneri ad virtutes, & vitæ ſanctimoniam. Sed penſitemus ea ſigillatim.

Vt electi Dei] Poteſt hoc vel de æterna electione, vel de temporali intelligi, quâ Chriſtiani ex fæce mundi ſeliguntur ad ſerviendum Deo ex præſcripto Evangelii: atque arbitror Apoſtolum hanc poſteriorem ſpectâſſe; quæ tamen ſi efficax ſit præſupponit illam priorem: ſed ſive de hac, ſive de illa loquatur, ad rem loquitur appoſitiſſimè. Nam conſideratio electionis noſtræ gratuitæ ante jacta mundi fundamenta, non animare nos ad inertiam, ſed accendere debet ad perpetuam vitæ ſanctitatem; quia Deus in hunc finem nos elegit, ut eſt ad Epheſ. 1. ver. 4. *Elegit nos in*

Chriſto

Chriſto ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti &c. Eadem eſt etiam ratio electionis temporalis, quâ vocamur in Eccleſiam, & ſegregamur in peculiarem Dei populum: nam hoc etiam privilegium obligat nos ad ſtudium ſanctitatis. Sic Deus ſtipulatur cum Iſraelitico populo, Deut.26.18. *Dominus elegit te hodie ut ſis ei populus peculiaris, & cuſtodias præcepta illius.* Sic etiam Chriſtus cum Chriſtiano, 2.Tim.2.19. *Novit dominus qui ſunt ſui: & diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Chriſti.* Quiſquis igitur ſe electum Dei credit, ut electus Dei vivat.

Taxantur igitur, qui crepant electionem ſuam æternam, vel jactitant Chriſtianam ſuam profeſſionem, cùm interim factis & vitæ ratione non oſtendant ſeſe aut electos, aut Chriſtianos: ſed ut ocioſi Græculi Philoſophiam olim profitebantur; ſic hi Chriſtianiſmum, ἄνευ τῦ πράτλειν, μέχρι τῦ λέγειν. Sed non debemus eſſe ocioſorum Philoſophorum ſimiles: ut graviter Tertullianus in Apologet. cap.46. *Quid inter ſe ſimile habent Philoſophus & Chriſtianus? Græciæ diſcipulus & cœli? Famæ negotiator & vitæ? Verborum & factorum operator?*

Sancti] Per Baptiſmum ſcilicet, & Spiritum ſanctificantem. In ipſa Baptiſmi adminiſtratione Chriſtiani Deo conſecrantur; per Spiritus internam operationem ad divinam imaginem reformantur; utroque reſpectu Sancti vocantur; utroque ad ſanctè vivendum tenentur: nam quodcunque Deo conſecratum eſt, debet participare aliquo modo ſanctitatem divinam. Vnde illud Levit.11.44. *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* & cap.20.26. *Eritis mihi Sancti, quia Sanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos à cateris populis, ut eſſetis mei.* Separati igitur per Baptiſmum, & Deo conſecrati, induere debemus omnes virtutes, & exercere perpetuam vitæ ſanctitatem.

Ad hæc; quæ Deo conſecrata ſunt, non ad quemlibet uſum, ſed juxta voluntatem divinam ſunt ſemper adhibenda; quod in templis, vaſis, rebúſque aliis inanimatis perſpicuè videtur: quantò magis igitur hoc obſervandum in hominibus per Baptiſmum Deo conſecratis? Sed certò conſtat *Dei voluntatem* eſſe *ſanctificationem noſtram*; 1.Theſ.4.3. Vnde Nazianzenus appellavit Baptiſmum, *pactum vitæ purioris cum Deo:* & Petrus *ſtipulationem bonæ conſcientiæ apud Deum*; 1.Pet.3.21. Quatenus igitur ſumus Sancti per Baptiſmum, debemus vitam ſanctam, & virtutibus ornatam agere.

Quinetiam interna illa Spiritus ſancti operatio, cujus participes ſunt omnes veri Chriſtiani, idem ab illis quaſi ſuo jure exigit. Nam Spiritus operatio novam vitam confert, nova vita vires novas affert, illæ novos mores & actiones poſtulant. Hinc naſcitur illa Apoſtoli hortatio ad renatos & ſanctificatos, *Nunc ſiſtite membra veſtra ſerva juſtitiæ ad ſanctimoniam*; Rom.6.19.

Nunc, id eſt, poſtquam Spiritus ſanctus vobis ſanctitatem inſpiravit, ut Sancti ambulate. Hæc de ſecundo attributo.

Et dilecti] Hoc tertium eſt attributum, cujus commemoratione excitat Coloſſenſes ad virtutes induendas & exercendas. Loquitur autem non de amore æternæ benevolentiæ, quo Deus Electos complexus eſt ante mundi jacta fundamenta; nam hoc amore non obſtante, ante efficacem vocationem & regenerationem inter inimicos & hoſtes Dei cenſentur; Rom. 5.10. & Eph. 2.12. Loquitur igitur de amore amicitiæ, quo Deus Electos jam actualiter converſos, & in Chriſtum inſitos recipit in numerum filiorum; ut eſt Ioan.1.12. *Quotquot receperunt Chriſtum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Qui igitur hunc in modum dilecti ſunt, ut dilecti debent induere omnes virtutes Deo gratas;

1. Quia dilectum oportet mutuò diligere Deum: dilectionis autem probatio eſt virtutis exercitatio; *Si diligitis me mandata mea ſervate*; Ioan.14.15.

2. Quia dilectum oportet ſe componere ad ſimilitudinem Dei diligentis: nam ut ex ſimilitudine morum naſcitur amor, ſic ex diſſimilitudine oriuntur inimicitiæ.

Corollaria.

Coroll. 1. Qui virtutem & ſanctimoniam non colunt, non modò impuri ſunt, ſed ſacrilegi: nam corpora animáſque ſuas Deo ſanctas polluunt vitæ improbitate.

Coroll. 2. Stultè præſumit ſe à Deo dilectum, aut ſe Deum diligere, qui virtutum ornamenta negligit induere: inſignia enim ſunt tum divini amoris erga nos, tum noſtri erga Deum. Quos enim amat Deus, illos virtutum & donorum infuſione ſemper ornat: qui amant Deum, illum exercitatione virtutum colunt & honorant. Atque hæc de argumentis ipſi hortationi præmiſſis ab Apoſtolo.

3. Vltimò, veniendum eſt ad ipſam materiam hortationis hiſce verbis incluſam, *Induite viſcera miſerationum, benignitatem &c.* Vbi tractare oportet actum induendi, & res ſive virtutes induendas.

Induite] Figurata locutio eſt à veſtimentis tranſumpta: quia autem in his quæ Metaphoricè dicuntur, non debemus accipere ſimilitudinem ſecundum omnia, non abs re erit breviter annotâſſe quo reſpectu virtutes veſtimentis ſimiles, quo diſſimiles ſunt.

Similes ſunt; 1. Quia ut veſtimenta ornant corpus, ſic virtutes animam.

2. Quia ut veſtimentis deſtitutus, turpis apparet in oculis hominum; ſic virtutibus, in oculis Dei, Angelorum, & piorum.

3. Quia ut veſtimenta non naſcuntur ex corpore humano; ſic neque virtutes veræ ex arbitrio humano, ſed ex dono Dei. Vnde illa Scholaſticorum definitio; *Virtus eſt bona qualitas mentis quâ bene vivitur, quam Deus in nobis operatur*; Albert.lib.5.

cap.

cap. 5. Et Prosper in eandem sententiam; *Virtutes sine Dei dono nec appetuntur, nec habentur*; de Vit. Contemp. 3. 1. & 16.

Dissimiles sunt; 1. Quia vestimenta quotidie induenda & etiam exuenda sunt; at virtutes nefas est abjicere postquam semel indueris.

2. Quia vestimenta usu non meliora fiunt, sed deteriora indies evadunt; at virtutes exercitatione crescunt & confirmantur.

3. Quia vestimenta propriâ industriâ possunt acquiri, at virtutes, nisi ex dono alieno, Dei scilicet, non possunt haberi.

Sed hîc quæritur cur jubet ipsos Colossenses virtutes induere, cùm dictum sit virtutes veras à solo Deo infundi mentibus humanis: cur etiam jubet ut induant, quòd anteà dixit eos induisse. *Dub.*

Alloquitur (ut patet ex verbis præcedentibus) illos quos præsupponit renatos, sanctificatos, & infusis virtutibus præditos: itaque *induere viscera miserationum, benignitatem* &c, nihil aliud denotat, quàm indies exerere & exercere in vitæ conversatione hasce virtutes impressas cordibus illorum à Spiritu sancto. Iam verò licèt Dei solius opus sit infundere dona spiritualia, & virtutes gratuitas; humana tamen cooperatio requiritur in exercitio earundem; juxta illud Paulinum, 1. Cor. 15. 10. *Gratiâ Dei sum id quod sum; & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi: non autem ego, sed gratia Dei mecum.* *Solut.*

Quod attinet ad alteram objectionis partem, illud etiam addi potest, Electos & Sanctos qui induerunt virtutes & dona salutifera ope Spiritus sancti, posse & debere eadem magis magisq; induere: quod tum facere dicuntur, cùm operam dant, ut hæc dona Spiritus confirmentur & augeantur usu & exercitatione. Quamvis enim crescendi facultas non competit vestibus corporis; competit tamen hisce animi vestimentis. Hinc illud Petri, *Crescite in gratia & agnitione Domini*; 2. Pet. 3. 18. Hæc de actu induendi; sequitur de ipsis virtutibus induendis.

Viscera miserationum, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam.] Orditur ab illis quæ proximorum miserias respiciunt in nostris rebus secundis. Primo autem in loco requirit ut induant *viscera miserationum*, hoc est, affectum condolendi alienis malis, verum, intimum, & non simulatum. Hebraica locutio est, quam Apostoli passim usurpârunt, etiam in Novo Testamento. Indè autem desumitur, quòd in magnis animi motibus interna viscera valde affici & quasi concuti sentimus. Sic de Iosepho dicitur, Genes. 43. 30. *Accendebantur*, vel *æstuebant* &c. Sic Threnorum 2. ver. 11. *Intumuerunt viscera mea propter contritionem filiæ &c.* Et in Novo Testamento eadem phrasis adhibetur; Luc. 1. 78. Phil. 2. 1. Viscera itaque miserationum, nihil aliud denotant quàm tenerrimum affectum. Sapienter Apo-

ſtolus præmittit affectum condolendi; quia inde fluit actus ſublevandi, & quia (ut loquitur Gregorius) *plus eſt aliquando compati ex corde, quàm dare: nam qui exteriora largitur, rem extra ſe poſitam tribuit; qui compaſſionem, aliquid ſuiipſius dat*, Mor. 20. 27.

Præcipua hujus compaſſionis objecta, ſunt perſonæ quæ non habent relevantem, ut viduę & pupilli; in genere autem omnes qui premuntur miſeriis, ut egeni, incarcerati, ægroti, &c.

Motiva ſive incitamenta ad hunc miſericordiæ affectum habemus plurima.

1. Habemus Dei expreſſum, & ſæpiùs repetitum mandatum. Luc. 6. ver. 36. *Eſtote miſericordes*. Rom. 12. 15. *Flete cum flentibus*. Et 1. Pet. 3. 8. *Eſtote* συμπαθεῖς &c. Vnde Nazianz. Orat. 16. *Si nihil habes, da lachrymulam; magnum enim ſolatium afflicto eſt miſericordia.*

2. Habemus inſuper exempla Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, omnium denique piorum. Ier. 9. 1. Mat. 9. 36. Luc. 19. 41. 2. Cor. 11. 29. Vnde illud apud Poetam, Ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες.

3. Habemus denique naturæ conformitatem, & ſimilia patiendi poſſibilitatem. Nihil tam ſecundum naturam, quàm tangi illorum malis & miſeriis qui ſunt conſortes ejuſdem naturæ: quod Apoſtolus indicavit ad Hebræos 2. ver. 17. ubi de Chriſto dicit, illum *debuiſſe ſimilem fieri fratribus, ut miſericors eſſet, &c.* Poſſibilitas autem ſimilia patiendi ſeriò penſitata, homini non ſtupido miſericordiam exprimet: nam quod cuiquam, id cuivis accidere poteſt. Hoc vel ipſe Philoſophus agnovit, Rhetor. 2. cap. 18.

Corollaria.

Coroll. 1. Stoicorum ἀπάθεια eſt ab homine Chriſtiano explodenda; utpote quæ non conveniat, vel cum conditione noſtra naturali, vel cum regeneratione ſupernaturali. Rectè Proſper de Vit. Contemp. 30. 31. *Non affectiones habendo, ſed iis malè utendo delinquimus.*

Coroll. 2. Cuivis renato inſunt viſcera miſericordiæ; ad ipſum igitur primum aſpectum miſerię alienę commovetur.

Coroll. 3. Qui operoſâ ſolicitatione, ejulatu, & clamoribus miſerorum indigent, ut excitentur ad miſericordiam, aut nihil, aut parùm in ſe habent hominis ſpiritualis: qui autem hiſce non moventur, ne hominis quicquam habent.

Benignitatem] Ab affectu ad actum tranſit Apoſtolus, quia miſeratio divitum ſine benignitate nil aliud eſt quàm illuſio miſerorum. Rectè enim Auguſtinus definivit veram miſericordiam, *Alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſionem, quâ utique cùm poſſumus ſubvenire conamur. Sic mens per compaſſionem doleat, ut larga manus affectum doloris oſtendat*, inquit Gregorius. Hæc itaque duo, miſerationem & benignitatem, ſemper conjungi oportet, ut

monet

monet Iacobus, cap. 2. 16. & Ioan. 1. Epiſt. cap. 3. verſ. 17.

Quicquid obtendant, qui clauſas habent manus, clauſa habent vel potiùs nulla miſericordiæ viſcera. Sed proferamus nonnulla etiam ad hanc benignitatis, ſive liberalitatis virtutem motiva. *Docum.*

Primum illud erit, quod ad omnia bona opera nos excitare debet, Dei & Domini noſtri præceptum. Non enim (ut vulgus delirat) opera juſtitiæ cadunt ſolummodò ſub præcepto, opera autem miſericordiæ relinquuntur noſtro arbitrio; ſed Deus diſtrictè à nobis exigit opera beneficentiæ, ſeverè punit illorum omiſſionem. *Frange eſurienti panem tuum*; Eſa. 58. 7. Vide Matth. 25. verſ. 41. 42. &c.

Secundum eſt officium diſpenſatoris omnibus divitibus impoſitum. Vnde beneficentia in egenos vocatur *juſtitia*, Prov. 11. 18. Et furti arguuntur à Patribus, qui cùm poſſint, non ſubveniunt egentibus. Hinc illud Baſilii, *Eſt panis famelici quem tu tenes, nudi tunica quam ſervas, indigentis argentum quod recondis.* Et Nazianzenus Orat. 16. *Ne mihi accidat, ut dum pauperes egeant ego diteſcam, & non illorum ſuccurram inopiæ; &c.*

Tertium eſt præmium à Deo propoſitum illis qui benefici ſunt erga pauperes. Præmium (inquam) tum in hac vita, tum in futura. In hac vita, Pſal. 112. ver. 5. &c. Prov. 11. 25. & 28. 27. In futura, Matth. 25. 34. Luc. 14. 14. Gal. 6. 9. Patrum extant quamplurima hac de re teſtimonia, atque indè ad benignitatem hortamenta. *Terrena omnia ſervando amittimus, largiendo ſervamus*; Gregor. Homil. 17. in Evang. *Lucrum eſt egeno dare*; Baſil. Ser. 1. in Avaros. *Quid vereris fluxum & fragile bonum facere ſempiternum, & theſauros tuos cuſtodi Deo credere?* Lactant. lib. 6. cap. 12. *Non memini me legiſſe malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit: habet enim multos interceſſores*; Hieronymus ad Nepotian.

Humilitatem] Miſericordiæ & benignitati optimè ſubjunxit Apoſtolus humilitatem; quia (ut loquitur Auguſtinus) *Multi ſunt qui faciliùs omnia ſua pauperibus diſtribuent, quàm ipſi pauperes Dei fiant:* imò ſæpiſſimè ex operibus charitatis & miſericordiæ ſumunt occaſionem faſtus & ſuperbiæ. In quacunque itaq; conditione opus eſt ut humilitatem induamus. In proſperis (id eſt, cùm affluimus bonis, vel temporalibus, vel ſpiritualibus) ne in Deum inſoleſcamus, ut Ozias 2. Paralip. 26. 16. ut Iſraelitæ, Oſeæ 13. 6. ne proximos contemnamus & conteramus, ut Haman Eſterę 3. 6. ut Phariſæus, Luc. 18. 11. *Rarum eſt in multis præeminere, & neminem deſpicere*; Gregor. In adverſis, ne murmuremus in Deum, ut Iſraelitæ fecerunt, ne deſpondeamus animum in rebus afflictis. *In Pſal. 71.*

Humilitatem nobis ingerent hæ conſiderationes.

1. Si perpendamus, quicquid boni habemus, non à nobis, ſed

Deo eſſe; exiguum illud eſſe præ bonis quibus deſtituimur, & peccatis quibus obſidemur; pauxillo hoc bono nos multis modis abuſos eſſe.

2. Si cogitemus, præcipuam eſſe Diabolicæ imaginis partem, ſeipſum admirari: imaginis autem Chriſti, ſeipſum humiliare & demittere; Mat.11.20. Vnde Auguſtinus de Trin.4.10. *Diabolus ſuperbus hominem ſuperbientem perduxit ad mortem: Chriſtus humilis hominem obedientem traduxit ad vitam.*

3. Si conſideremus ut ipſe Deus affectus ſit in humiles; ità ſcilicet, ut eos præ aliis omnibus reſpiciat; Eſaiæ 66.2. præ aliis omnibus ornet augeátque donis ſuis; Mat.11.25. Pſal.18.27. Luc.1.52.53. Non inſcitè Pariſienſis vocat cor humile *vacuum ſpirituale.* Atque ut natura non patitur vacuum corporale, ſed impellit potiùs quælibet corpora ut occupent locum ſibi indebitum; ſic Dei gratia non patitur vacuum ſpirituale in corde humilium, ſed ad id implendum mittit fluenta cœleſtium donorum.

4. Si animadvertamus, ut Deus animatus ſit in ſuperbos; ità ſcilicet ut eos habeat pro capitalibus inimicis, & capitali odio proſequatur. *Domum ſuperborum evellit*, Prover.15.25. ὁ θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, &c. 1. Pet. 5. 5. Hinc Gregorius in illa verba, *Cùm eſſes parvulus in oculis tuis*, 1.Sam.15.17. *Magnus* (inquit) *mihi fuiſti, quia deſpectus tibi, at nunc quia magnus tibi es, mihi deſpectus es.* Tantò ergò fit quiſque vilior Deo, quantò pretioſior ſibi.

Vltimò, ſi perpendamus ſuperbiam venenum eſſe omnium virtutum, & rectè factorum. Vnde Auguſtinus in Pſal.93. *Magis placet Deo humilitas in malis factis, quàm ſuperbia in bonis.* Qui igitur cæteras virtutes ſine humilitate congregat, quaſi paleas in ventum portat. Hanc ob cauſam Deus judicavit ſatius eſſe ſanctiſſimum Apoſtolum ſuum ab Angelo Satanæ colaphizari, quàm vitio ſuperbiæ inflari; 2.Cor.12.7.

Manſuetudinem, patientiam] Sunt hæ duæ virtutes filiæ humilitatis, quibus opus eſt potiſſimùm in adverſis, & quando nobis res fuerit cum hominibus moroſis, injurioſis, & improbis; clypei enim locum obtinent. Ad manſuetudinem quod attinet, eſt illa virtus quæ hominem ità tractabilem facit in communi converſatione, ut non præter æquum & bonum exaſperetur aliorum ineptiis, moroſitatibus, & peccatis levioribus, etiam in ſuam injuriam & præjudicium tendentibus. Eſt itaque talis moderatrix iræ, quæ injuſtam planè cohibeat; juſtam ſic temperet & mitiget, ut non temerè excitetur, nec præceps feratur extra limites ſuos. Non malè deſcribitur manſuetus, ſive πρᾶος, ab Ariſtotele, Ethic.4.5. ubi dicit illum non agi præcipitem effrenatâ paſſione, ſed *iraſci quantum, quamdiu, quibus recta ratio jubet*; eſſe denique ὁ τιμωρητικὸν, ἀλλὰ μᾶλλον συγγνωμονικόν.

Multis

Multis nominibus hęc virtus à nobis expetenda eſt.

1. Quia non vivitur inter bonos & perfectos, ſed inter illos qui ſæpe ex infirmitate & inſcitia peccant: quod & nos ipſi etiam facimus. Æquum eſt igitur peccatis veniam poſcentem, reddere rurſus. Quod & Apoſtolus monet ad Galatas 6.ver.1.

2. Quia nobis maximam adfert utilitatem; vitam ſcilicet jucundam & tranquillam: cùm interim ad inſaniam indies adigantur furioſi & iracundi injuriis hinc indè illatis & relatis. *Manſueti* (inquit Pſalmiſta) *hæreditario jure poſſidebunt terram, & oblectabunt ſe in multitudine pacis*; Pſal.37.11.

3. Quia eſt ſignum, & quaſi character filiorum Dei, & ad æternam beatitudinem deſtinatorum. *Beati pacifici, nam filii Dei vocabuntur*; Mat.5.9.

4. Quia manſuetudinis vivam praxin nobis exhibuerunt, ipſe Deus, Ionæ 4.2. & Ioel.2.13. Dei filius, ut eſt 1.Pet.2.23. Dei denique ſervi omnes; Moſes Num.12.3. David 2.Sam.16.10.11. Paulus 1.Theſ.2.7. *Fuimus manſueti in medio veſtrûm &c.*

Patientiam, μακροθυμίαν] Non multùm diſtat a virtute prędictâ, niſi quòd reſpicere videtur injurias graviores ab hominibus nobis illatas, & etiam calamitates acerbiores ab ipſo Deo immiſſas. Non itaque ineptias & infirmitates hominum, atque quotidianas & uſitatas injurias tantùm, ſedato & manſueto animo ferre debemus; ſed etiamſi infeſtemur & premamur, quantumvis acerbè & malitiosè, magno & generoſo animo id ſuſtinere oportet,

1. Propter divinam providentiam, quæ omnia hæc ordinat & diſponit, cui æquum eſt Dei ſervum ſeſe ſubmittere: ſic Iobum, ſic Davidem, ſic ipſum Chriſtum feciſſe legimus, qui ab improbis malè mulctati, divinæ tamen voluntati patienter paruerunt.

2. Propter utilitatem indè manantem; nam injuriæ & ærumnæ conducunt valde ad ſanandos animorum morbos, ad retundendam ſuperbiam, ad extinguendum amorem hujus ſeculi, ad diſcutiendum torporem ſpiritualem: ad hæc, illuſtrant virtutes piorum & gloriam Dei; augent mercedem & coronam Sanctis promiſſam; uno verbo, ſemper *cooperantur ad bonum iis qui diligunt Deum*; Rom.8.28.

3. In omnibus malis exhibenda eſt patientia propter conſcientiam peccatorum, & demeritorum noſtrorum. Nam quæ hominum malitiâ nobis inferuntur injuriæ, Dei tamen juſtitiâ permittuntur, quia longè graviora infligeret, ſi pro meritis noſtris nobiſcum ageret. Sic pii ſemper agnoverunt; Nehemiæ 9.33. Daniel.9.8.

4. Propter dignitatem afflictionis: non enim contumelioſum eſt (ut vulgus putat) pro Chriſto pati, & ab improbis conculcari; ſed honorificum. Vnde Petrus, 1.Pet.4.16. *Si quis patitur*

ut

ut Chriſtianus, non erubeſcat; ſed glorificet Deum iſto nomine. Sic animati erant Apoſtoli, Actor.5.41. *Ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Gaudendum eſt* (inquit Pariſienſis) *in afflictionibus, quia ad communionem Chriſti paſſionum, quaſi ad communionem calicis Regii recipimur.* Hoc ſenſu etiam dicitur, ad Philip.1.29. *Donatum eſt* &c.

Colligite ex his quę dicta ſunt de hiſce duabus virtutibus,

Non verè felices aut fortes cenſeri, qui alios in hoc ſeculo opprimunt, proterunt, & quidvis agunt in quoſvis pro ſuo furore & libidine. Felices non ſunt; quia hoc *illis eſt* & *ſignum* & *cauſa damnationis futuræ*; Phil.1.28. Nec fortes; quia hoc effectum eſt veteris & impotentis Adami, atque indicat iſtos Spiritu ſanctificante & omnibus ejus donis & ornamentis deſtitutos.

E contrà; hinc colligitur, non eſſe illos miſeros & ignavos, qui manſueto animo ferunt injurias contumelias improborum; ſed felices & fortes, utpote Spiritu Dei prædítos, ejus donis tanquam armis tectos, & illorum beneficio omnium malorum victores.

VERS. 13. *Tolerantes alii alios, & condonantes vobis mutuò, ſi quis adverſus aliquem habuerit querelam: ſicut Chriſtus condonavit vobis, ità & vos.*

Hiſce verbis uſum oſtendit, & praxin requirit Apoſtolus prędictarum virtutum, manſuetudinis ſcilicet & patientiæ: parum enim eſt habere virtutes, ſi cùm occaſio fuerit negligas exercere. In hoc autem verſiculo tria annotanda.

1. Actiones requiſitæ; duæ ſcilicet: Actio tolerandi; *Tolerantes alii alios*: Actio condonandi; *Et condonantes vobis mutuò.*

2. Objectum harum actionum, μομφὴ ſcilicet, id eſt, *juſta cauſa conquerendi.*

3. Regula harum actionum noſtrarum, Chriſti ſcilicet exemplum; *Sicut & Chriſtus condonavit &c.*

Tolerantes alii alios] Hic eſt primus actus prædictarum virtutum. Tolerare autem dicitur, qui laceſſitus & læſus, ſive verbis, ſive factis, non ſtatim inſurgit ad vindictam expetendam; ſed conatur lenitate hoſtem ſuum vincere, & ad bonam mentem reducere.

Vtcunque hæc toleratio injuriarum ignavia ducitur apud ſuperbos, apud ſapientes tamen ſemper habita eſt optima & glorioſiſſima vincendi via; ídque multis nominibus:

Nam primò, qui tolerat injurias, ſeipſum vincit & ſuperat, dum appetitum vindictæ ex corrupta natura ſemper ebullientem reprimit & coercet, irámq; quaſi belluam intra ſe latentem

ligat

ligat & conſtringit. Quam vincendi rationem Salomon celebravit, Prover.16.32. *Melior eſt longanimis robuſto, & qui dominatur in animum ſuum, eo qui capit civitatem.* Ἐαυτὸν νικᾷν μεγίστη νίκη, inquit Plato.

2. Qui tolerat, vincit ipſam adverſarii malitiam. Cùm enim duo contraria inter ſe committuntur & confligunt, illud viciſſe dicitur, quod alterum in ſuam ſimilitudinem trahit; illud vinci, quod trahitur & mutatur ab altero. Quemadmodum igitur aquam ab igne ſuperatam dicimus cùm ipſa incaleſcit; è contrà ſuperâſſe, ſi, retento ſuo frigore, ignis calorem poſſit retundere: ſic dicimus hominem Chriſtianum ab improbo victum, quoties ipſe laceſſitus in ſimilem furorem exardeſcit; è contrà viciſſe pronuntiamus, cùm retinet ſuam indolem, & tolerando mutat & mollit ferociam ejus. Pulcherrimum hujus rei exemplum videte, 1. Sam. cap.24. verſ.17. &c. Vbi David tolerando, & à vindicta temperando, ſic mollit & mutat Saulem, ut non ultrà cædem & ſanguinem ſpirare, ſed lachrymas & preces fundere, ſuam improbitatem confiteri, Davidis innocentiam & manſuetudinem agnoſcere & extollere cogatur: quis non videt victam Saulis malitiam, triumphantem Davidis patientiam?

3. Qui tolerat, non ſolùm vincit, ſed vincit modo legitimo, eóq; quo ipſe Deus juſſit ſuos milites pugnare: oportet autem militem dicto Imperatoris ſui obedientem, non decertare ſolummodò, ſed id facere illis armis, illo ordine quo imperatum eſt. Nemo coronatur niſi legitimè decertaverit. Audite jam edicta Imperatoris noſtri; *Ne dicas, Quomodo fecit mihi, ſic faciam ei; reddam unicuique ſecundum opus ſuum*; Prover.24.29. *Ne rependatis malum pro malo*; Rom.12.17. Et rurſus, *Nolite vinci à malo, ſed vincite in bono malum*; ver.21. Hæc de actu tolerandi.

Et condonantes vobis mutuò] In hac ſecunda actione plus continetur quàm in priore. Nam ſunt nonnulli qui tolerant aliquando injurias, quia ſcilicet non poſſunt ulciſci, aut quia judicant non expedire; ſed interim manet altâ mente repoſta injuria, interim in cordis penetralibus ſævit malitia, & flagrat appetitus vindictæ. Vult igitur Apoſtolus, ut non modò toleremus injuriam; ſed tollamus ex cordibus noſtris ipſum injuriæ vindicandæ appetitum, imò amorem foveamus erga acerbiſſimos hoſtes noſtros. Hinc Chriſti præceptum, Mat.18.35. *Vt unuſquiſque remittat fratribus ex corde ſuo.* Et Luc.6.27.28. *Diligite inimicos, benefacite his qui oderunt vos, benedicite maledicentibus, orate pro calumniantibus.* A Chriſtianis in primitiva Eccleſia hoc religioſè obſervatum legimus. *Amicos diligere omnium eſt, inimicos autem ſolorum Chriſtianorum*; Tertull. ad Scap.

Documenta.

Falluntur quicunque putant eſſe opus conſilii, non præcepti, remit- *Docum.* 1.

remittere injurias & diligere inimicos; nam Apoſtolus docet hoc pertinere ad omnes electos Dei, ſanctos, & dilectos, id eſt, ad omnes renatos.

Docum. 2. Sibi proſunt qui aliis condonant, imò ſibi remittunt quodammodò: unde in Græco eſt, χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, *vobiſmetipſis remittentes*, vel *condonantes*. Nam, ut ſcribit Hieronymus in 5. ad Eph. *Quod bene in alium ſit, magis ei reponitur qui præſtitit, quàm cui datum eſt.* Et Chriſtus apertiſſimè, Mat.6.15. *Si vos non dimiſeritis, nec pater veſter qui in cœlis eſt dimittet vobis.*

Docum. 3. Nemo ferè tam cautè ambulat, quin peccet quandoque in proximum, tum verbis, tum factis: hinc Apoſtolus, *Condonantes vobis mutuò*; quaſi omnes egeamus hac mutuâ condonatione. Hæc de actionibus requiſitis, tolerandi ſcilicet, & condonandi.

Si quis adverſus aliquem habuerit querelam] En objectum, ſive materiam circa quam hæc toleratio & condonatio verſari debet, *querelam* nimirum, hoc eſt, juſtam quamlibet cauſam conquerendi.

Atque hîc obſervandum eſt, omnia poni indefinitè, & proinde accipienda univerſaliter: hoc modo; *Si quis*, id eſt, quicunque tandem is fuerit, ſive ſuperior, ſive inferior; *habuerit querelam*, hoc eſt, quamcunque habuerit cauſam conquerendi, ſive ob injuriam verbis, ſeu factis illatam; *adverſus aliquem*, ſive amicum ſcilicet, ſive inimicum; ſciat ſibi tolerandi & condonandi neceſſitatem impoſitam.

Corollaria.

Coroll. 1. Cùm juſta cauſa non ſufficiat ad ultionem expetendam, graviter peccant, qui ob leves, nugatorias, imò injuſtas, & planè nullas, ad lites & pugnas prorumpunt. Vide Math.18.28.

Coroll. 2. Cùm tolerandi & condonandi actus ab omnibus erga omnes requiratur, contunditur ſuperbia magnatum & divitum, qui putant ſe exemptos ab hac ſorte tolerandi & condonandi: quaſi infirmi & inopes nati eſſent ad ſuſtinendas injurias; nobiles & potentes, ad inferendas. Sed Scriptura non nobilitatem, divitias, aut potentiam reſpicit; ſed fraternitatem, cùm loquitur de condonandis injuriis. Vide Mat.18.22.

Dub. Quæritur an hoc officium tolerandi & condonandi ità neceſſarium ſit homini Chriſtiano, ut non liceat illi quocunque modo injuriam ſibi illatam propulſare, aut inferentem compeſcere & punire: ſed teneatur, *cùm percuſſus fuerit in una maxilla, obvertere alteram; cùm tunica ei auferatur, offerre & pallium*, ut Chriſtus loquitur, Mat.5.39.40.

Solut. Reſpondemus, non omnino eſſe licitum privatis perſonis expetere vindictam per ſe & pro ſuo arbitrio; ſed licere quandoque id facere per magiſtratum, & pro ejus judicio. Nec ab ipſo magiſtra-

giſtratu tamen vindictam petere debemus unquam animo exulcerato & corrupto, hoc eſt, ex libidine iræ & odii in proximum; ſed animo pacato & manſueto, id eſt, ex zelo juſtitiæ, & deſiderio emendandi proximum: ſatiùs eſt enim rem quamlibet terrenam amittere, quàm patientiæ & Chriſtianæ charitatis jacturam facere. Quòd contra injurioſos liceat opem magiſtratus implorare, indè patet; 1. Quòd ipſe Deus inſtituit magiſtratus & tribunalia, qui nihil charitati contrarium probat. 2. Quòd leges in omnibus Rebuſpublicis bene inſtitutis ferantur de injuriis reſarciendis; quæ inutiles prorſus manerent, ſi illicitum eſſet uti illarum beneficio contra maleficos. 3. Quòd utile ſit ipſis maleficis ut puniantur ob ſua maleficia, atque ut præda per injuriam parta illis eripiatur: unde poteſt aliquando charitatis opus eſſe vindictam expetere in improbos; nam *utiliter vincitur, cui licentia iniquitatis eripitur*; Auguſt. Quod attinet ad illa Servatoris dicta, aliáque quæ in Scripturis occurrunt conſimilia, dicimus illa eſſe interpretanda ex collatione, hoc modo; *Cùm percuſſus fueris in una maxilla obverte alteram*, potiùs ſcilicet quàm ut ipſe prorumpas ad vindictam, atque ad ſimilem injuriam alii referendam. Dicimus præterea, intelligenda eſſe ejuſmodi loca cum limitatione, hac nimirum, Quoties Dei gloria, & proximi ſalus id videbitur poſtulare, ità facias. Sunt itaque hæc præcepta neceſſaria (ut loquuntur Scholaſtici ex Auguſtino) quoad *animi præparationem*; quoad *executionem* autem *externam* tum implenda ſunt, cùm Dei gloria, & ſalus proximi id requiret. Plura videte apud Auguſtinum Epiſt.5. quæ eſt ad Marcellinum ſcripta.

Sicut & Chriſtus condonavit vobis, ità & vos, ſupple, *condonate*] Chriſti exemplum habere debet apud Chriſtianos & Argumenti vim ad perſuadendum, & Regulæ ad dirigendum, quod attinet ad tolerationem & condonationem. Argumenti; quia oportet membra capiti ſuo reſpondere: abſonum enim eſt membrum ſuperbum & delicatum ſub capite humili & ſpinis coronato. Hinc ab ipſo Chriſto & Apoſtolis, Chriſti exemplum urgetur præcipuè in illis quæ ſpectant ad charitatem, & paſſionis humilitatem. *Si ego lavi pedes veſtros, vos debetis alter alterius pedes lavare. Exemplum enim dedi vobis* &c. Ioan.13.14.&c. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum*; 1.Pet.2. 21. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille &c.* 1. Ioan. 2.6. Chriſti exemplum habet inſuper vim Regulæ in dirigendo, quatenus continet perfectiſſimam virtutis ideam. Vnde Bernardus, *Quid vobis cum virtutibus, qui virtutem Chriſti ignoratis? ubinam quæſo vera prudentia, niſi in Chriſti doctrina? ubi vera temperantia, niſi in Chriſti vita? ubi vera fortitudo, niſi in Chriſti paſſione?* Sed oſtendamus hoc in actibus tolerandi & condo-

nandi: in quibus habemus perfectiſſimam imitationis regulam, ſive ſpectemus *quid* Chriſtus toleravit & condonavit, ſive *à quibus*, ſive denique *quo modo*.

Quid? Maledicta, eáque graviſſima & acerbiſſima: vocatur enim vorator,& vini potor,publicanorum & peccatorum amicus, Dæmoniacus,& Dæmonum adjutorio utens,inſanus,blaſphemus, impoſtor, & denique quid non? Sed malefacta inſuper perpeſſus eſt ,ſputo inquinatus, flagellis cæſus, cruci denique affixus: has tamen tot tantáſque injurias toleravit, & condonavit.

*Mat.*11.19 *Ioan.*7.20 *Luc.*11.18

A quibus? A Principibus populi, ab ipſo populo, ab ignorantibus, à malitioſis, ab extraneis, à domeſticis, à Iudæis, à Gentibus; ut uno verbo dicam, ab omni hominum genere affectus injuriis, omnes toleravit, omnibus condonavit.

Quo modo? Non ex infirmitate, quia reſiſtere non potuit; ſed ex humili & voluntaria obedientia, quia pati voluit; Eſa.53 7. Mat.26.53. Non animo ſubdolo & ſimulato, futuram vindictam meditante & appetente; ſed corde puro & charitate inflammato, etiam à Deo Patre gratuitam remiſſionem hoſtibus ſuis adprecante; Luc.23.34. Talis itaque fuit perfectiſſima Chriſti toleratio injuriarum & condonatio, de qua dicit Apoſtolus, *Sicut Chriſtus condonavit vobis, ità & vos &c.* Ad hoc itaque exemplar componere nos debemus; cujus perfectionem licèt aſſequi non poterimus, imitationem tamen ejuſdem ſemper nobis proponere meminerimus.

Documenta.

Docum. 1. Oportet Chriſtianum certum eſſe de condonatione peccatorum ſuorum per Chriſtum: quia hæc condonatio eſt regula & ratio condonandi aliis; regula autem debet eſſe certa & fixa.

Docum. 2. Qui non libenter aliis condonat, nunquam ſenſit in corde beneficium Chriſti ſibi condonantis peccata: neque poteſt ſtatuere ſibi remiſſa eſſe peccata à Deo, qui non decrevit remittere proximo.

Docum. 3. Fruſtra animus vindictæ cupidus prætexit ſuę malitiæ magnitudinem injuriæ, læſionem exiſtimationis ſuæ ſi negligat vindicare, & cætera ejus generis, quibus conſideratis, homines ſolent ſeipſos ad ultionem accendere. Omnia hæc evaneſcunt ſi perpendamus regulam ab Apoſtolo propoſitam, *Sicut & Chriſtus condonavit vobis, ità & vos.*

Docum. 4. Eſt igitur illa Diabolica opinio,quæ invaſit mentes omnium ferè qui ſe generoſos ſomniant; nimirum non poſſe ſe, ſalvo ſuo honore, & nominis ſui exiſtimatione, ferre vel verbum contumelioſum; ſed teneri ad ultionem quærendam etiam duello, cum manifeſto diſcrimine ſuę vitæ, & clarâ appetitione alienæ.

Sed hæc opinio pluſquam Ethnica facilè refelli poteſt multis argumentis.

1. Sub-

1. Subruemus fundamentum quo nituntur, positâ hac thesi planè contradictoriâ, Non est ignavi aut degeneris animi signum, nec dedecorosum aut probrosum homini Christiano, ferre injurias, sed inferre. Hoc breviter ostensum antea est, cùm de mansuetudine, patientia, & actibus earundem disputavimus: jam illud addemus, etiam ipsis Ethnicis sic visum fuisse, præsertim sapientioribus. Socrates apud Platonem in Gorgia concludit, omnem injuriam turpem & dedecorosam esse *inferenti*, non *patienti*; idq; σιδηροῖς καὶ ἀδαμαντίνοις λόγοις, ut ipse loquitur. Aristoteles eandem sententiam sequitur, Ethic. 5. cap. 11. ubi adfert hanc rationem; *Quia injuriam inferre est effectum improbitatis, atque idcircò turpe & dedecorosum; pati verò æquo animo effectum virtutis, & proinde glorioſum.* Seneca in eo libro in quo ex professo tuetur non cadere injuriam in sapientem, sic scribit; *Contemnere oportet injurias, & quas injuriarum umbras dixerim contumelias, sive meritò mihi accidunt, sive immeritò. Si meritò, non est contumelia, judicium est: si immeritò, illi qui injusta facit, non mihi erubescendum est.* Ne plura accumulemus ex profanis authoribus, habemus Christi ipsius sententiam, Mat. 5. 11. *Beati estis cùm convitiati fuerint vobis.*

2. Vt demus injuriam sive contumeliam nobis illatam, atque probrosum esse illam ferre, tamen non sequetur licitum esse per modum duelli eandem propulsare: idque ob hasce causas;

1. Quia nemo debet esse judex in sua causa; minimè omnium, qui turbatur irâ, furore, & vindictæ appetitu. *Quid mihi cum ultione, cujus modum regere non possum per impatientiam?* inquit Tertull. de Pat.

2. Quia Deo, & Magistratui ejus vicario inferunt injuriam privati, dum hoc modo suam vindicare conantur. *Mea est ultio & ego retribuam*; Deut. 32. 35. & de Magistratu dicitur ad Roman. 13. 4. *Non frustra gladium gestat:* frustra utique gestaturus, si privatis liceret pro suo arbitrio gladium distringere.

3. Quia duellatores isti nullo discrimine quamlibet injuriam eâdem pœnâ, morte scilicet, punire conantur; quod non est generosi, sed insani animi judicium: omnis enim pœna inflicta ab eo qui mentis compos est, debet esse crimini commensurata.

Concludamus Christi dicto, Mat. 26. 52. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, id est, interprete Augustino, *Qui nullâ legitimâ potestate vel jubente vel concedente, in sanguinem alicujus armatur, peribit aut gladio humano, aut gladio vindictæ divinæ.* Ex hisce omnibus perspicuum est, insanire planè illos qui, ut vulgi opinionibus inserviant, Christianæ doctrinæ renuntiant; ut generosi nomen retineant, homicidæ cognomen non reformidant; ut denique falsæ infamiæ suspicionem fugiant, in ipsum gehennæ barathrum insiliunt. Atque hactenus de virtu-

tibus illis quibus utimur erga malos, & nobis infestos; ad illas jam veniendum quæ promiscuè ad omnes spectant.

VERS. XIV.

Super omnia autem hæc charitatem, quæ est vinculum perfectionis.

AD mansuetudinem & patientiam induendam Apostolus excitavit Colossenses, atque etiam ad actus illarum exercendos: jam porrò monet, ut charitatem induant, quæ est radix, mater, domina, tum harum, tum aliarum virtutum. Duo sunt hujus versiculi membra: Hortatio ad charitatem induendam; Laudatio charitatis, quæ continet vim rationis cur sit induenda.

Super omnia hæc charitatem] Primò perpendamus ipsam virtutem charitatis; secundò præeminentiam, sive prærogativam hujus virtutis. Loquitur Apostolus de charitate erga proximum, quæ tamen semper pullulare intelligenda est à charitate erga Deum. Definitur autem à Clemente Alexandrino hunc in modum; *Est extentio benevolentiæ cum recta ratione ad usum proximorum*, Strom. 2. Sed magis placet illa definitio; *Est virtus divinitus infusa, quâ sincerè diligitur propter se Deus, & propter Deum proximus.* Est enim eadem virtus charitatis, quæ Deum amat, & proximum sub Deo & propter Deum.

Distinguitur hic amor charitatis ab omni amore vitioso ratione Principii; nam charitas à Deo manat, utpote donum à Spiritu sancto humanis cordibus infusum. *Charitas ex Deo est*; 1. Ioan. 4 7. *Deus dedit nobis spiritum dilectionis*; 2. Timot. 1. 7. Vnde Prosper, de Vit Contemp. 3 13. dicit *charitatem esse rectam voluntatem Deo unitam, igne quodam Spiritus sancti accensam.* Sed amor omnis vitiosus & inordinatus oritur ex fonte innatæ concupiscentiæ; qualis est amor avarorum, ambitiosorum, libidinosorum, & uno verbo, omnium improborum.

Distinguitur etiam ratione Ordinis & Objecti. Nam charitas oritur a Deo quem diligit propter se: amor corruptus oritur à seipso. Charitas progreditur ad proximum amandum propter Deum: amor vitiosus simulat se amare proximum, sed sectatur utilitatem propriam, sive voluptatem. Nec ordine igitur, nec objecto conveniunt. Quod autem dictum est charitatem à Deo ad proximum progredi, non est restringendum ad solos cognatos, affines, aut familiares nostros amicos; sed ad homines universos extendendum: nam quivis homo qui indiget officio aut auxilio nostro est proximus noster; Luc. 10. 36. Vnde Augustinus in Psal. 118. conc. 8. *Omnis homo est omni homini proximus, nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura communis.*

Vnde

Vnde Scholaſtici dicunt proximum intelligendum eſſe non ex *propinquitate ſanguinis*, ſed ex *ſocietate rationis*: Aquin. quæſt. diſput. de Char.art.7. Sed de hac virtute charitatis fuſiùs à nobis olim diſputatum eſt ad verſum quartum primi Capitis; miſſis itaque cęteris, veniamus ad ejus præeminentiam.

Prærogativam charitatis innuit Apoſtolus, cùm dicit, Ἐπὶ πᾶσι τούτοις, *Super omnia hæc*, ut vulgatus interpres vertit. Hac enim loquendi formulâ videtur comparare charitatem veſtimento alicui extimo, quod ſuperindui ſolet reliquis veſtibus: quam tamen collationem attendere oportet, non ratione ordinis, quaſi charitas poſt prædictas omnes virtutes ultimo in loco indueretur; ſed ratione multiplicis ſimilitudinis.

1. Vt veſtis extima amplior & latior eſſe ſolet cæteris veſtimentis; ſic charitas prędictis virtutibus.

2. Vt veſtis illa quæ ſuperinduitur reliquis, eſt plerunque pulchrior & pretioſior illis; ſic charitas lucet inter prædictas virtutes, veluti luna inter ſtellas minores.

3. Vt veſte extimâ plerunq; diſtinguuntur hominum ordines & gradus; ſic charitas veros Chriſti diſcipulos, & Dei filios, à ſpuriis & fucatis diſterminat. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*; Ioan.13.35.

Calvinus legit, *Propter hæc omnia induite charitatem.* Græcum vocabulum ἐπὶ utrunq; ſignificat, *ſuper*, & *propter*; ac utrunque facit ad excellentiam charitatis demonſtrandam. Nam ſi Apoſtolus jubeat illos propter prædictas virtutes etiam charitatem induere, voluit oſtendere nec illas, nec illarum actiones poſſe conſiſtere, niſi charitas habeatur.

Nam primò, habent ſuam veritatem, &, per conſequens, pretium à charitate: ſic Apoſtolus 1. ad Corinth.13.3. *Si inſumam alendis egenis omnes facultates meas, & ſi tradam corpus meum ut comburar, charitatem autem non habeam, hoc nihil mihi prodeſt. Multa miranda* (inquit Proſper) *poſſunt in homine reperiri, quæ ſine charitatis medullis habent pietatis ſimilitudinem, ſed non habent veritatem*; Epiſt.ad Ruffin. de lib.arbit.

Secundò, habent ſuum actum à charitate; in iis enim quę ſpectant ad proximum, illa quaſi domina eſt reliquarum virtutum, eáſque tanquam ancillas ad opus & penſum ſuum excitat. Atq; hanc ob cauſam proprietates & actiones illarum charitati attribuuntur. *Charitas patiens eſt, benigna &c.* 1. Cor.13.4. *Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat &c.* ver.7. Hoc illud eſt quod Scholaſtici volunt, cùm docent charitatem producere actus aliarum omnium virtutum, non *Elicitivè*, ſed *Imperativè*.

Tertiò, habent ſuam firmitatem & alacritatem à charitate. Vnde Gregorius in cap.28.Iob. *A tentatore citò quodlibet opus evellitur, ſi ſolitarium à charitate invenitur.* Atque Aquinas

(quęſt.diſp. de Charit.art.2.) obſervavit proprium eſſe charitatis, *efficere ut in exercendis actionibus virtutum quarumcunque, voluntariè, promptè, delectabiliter, & firmiter operemur.*

Haſce itaque ob cauſas Apoſtolus primarium locum inter virtutes aſſignavit charitati, eámque monuit ſuper illas omnes, vel propter illas omnes induendam. Iam veniamus ad encomium illud, ſive elogium charitatis ab ipſo Apoſtolo hiſce verbis expreſſum, *Quæ eſt vinculum perfectionis.*] Figurata locutio: vinculum enim appellat ab effecti ſimilitudine, nimirum ab eo quòd conſtringit & conjungit res diverſas inter ſe; ex qua conjunctione & copulatione illarum perfectio ſuboritur.

Quæ eſt vinculum perfectionis] Perfectionem hanc alii referunt ad virtutes, alii ad Eccleſiam.

Qui ad virtutes, dicunt charitatem eſſe vinculum perfectionis inter ipſas virtutes, quia qui charitatem habet, reliquas omnes habet & exercet. Huc ſpectant illa Scripturæ loca, Rom.13.8. *Qui diligit proximum, legem implevit*; & ad Galatas 5.14. *Omnis lex in uno ſermone impletur, diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Hinc Cyprianus; *In amore, omnium Scripturarum volumina coarctantur; in hoc invenit conſummationem omnis religio.* Dicitur itaque vinculum perfectionis, quia conjungit & copulat inter ſe omnium virtutum officia, ità ut ubicunque vera charitas ſit, ibi etiam reperiatur integrum corpus, & quaſi concatenatio omnium virtutum. Sed hoc ſenſu admiſſo, irruunt in nos Pontificii, & objiciunt;

Object. Si Charitas ſit perfecta Legis impletio, tum juſtificat: nam qui perfectè Legem implent, juſtificantur per opera Legis: at hoc impoſſibile eſt ſecundum Apoſtolum, ad Rom.3.20.

Solut. Reſpondemus, duplicem Legis impletionem conſiderari poſſe: ſecundum Partes juſtitiæ mandatæ, & ſecundum Gradus. Charitas vera implet Legem ſecundum omnes partes; ſed non ſecundum gradus: at juſtificatio non habetur ex Lege, niſi utroque modo impleatur; quia uterque cadit ſub præcepto divino. Sed illud etiam adjungimus, charitatem adferre perfectam Legis impletionem, ſi modò ipſa perfecta ſit: nam ſi principium operandi ſit aliquo modo imperfectum, operationes indè manantes erunt etiam imperfectæ: at in omni viatore ipſa charitas eſt imperfecta, teſte Auguſt. Epiſt. 29 ad Hieron. *Pleniſſima charitas, quamdiu hîc homo vivit, eſt in nemine: illud autem quod minus eſt quàm debet, ex vitio eſt; ex quo vitio non eſt juſtus in terra:* quod etiam Aquinas agnovit, quæſt.diſp.de Char.ar.10.

Sed alii ſunt qui referunt hanc perfectionem ad corpus Eccleſiæ; atque dicunt charitatem eſſe vinculum perfectionis Eccleſiaſticæ, quia unit membra Eccleſiæ inter ſe, & efficit ut mutuas operas ſibi communicent ad utilitatem & conſervationem

totius

totius. Quemadmodum enim corporis naturalis perfectio ex unione & nexu partium oritur, ità ut mancum & imperfectum cenſeatur, ſi dirimantur & divellantur: ſic corpus Eccleſiæ perfectum & integrum cenſetur, quamdiu membra ejus omnia nexu charitatis inter ſe copulantur, imperfectum autem & invalidum, cùm diſſidiis & ſimultatibus diſtrahuntur. Hoc igitur ſenſu charitas dici poteſt *vinculum perfectionis*. Nam Apoſtolus ad Rom. 12.5. docet Eccleſiam eſſe *corpus unum*; atque idem ad Epheſ.4. verſ.16. docet hoc corpus augeſcere, quatenus *compactum & connexum eſt per omnem junctúram ſubminiſtrationis, ſecundum operationem uniuſcujuſque membri*. Nihil itaque impedit, quin admittamus charitatem utroque reſpectu dici *vinculum perfectionis*. Hiſce jam explicatis, digitum intendamus ad generalia quædam Corollaria, ſive Documenta, quæ fluunt ex præmiſſis.

Documenta.

Hinc diſcimus explorare actus beneficentiæ & miſericordiæ, quos aliquando facimus, ex charitate fluant necne. Multi enim ſibi imponunt, & ſomniant ſe facere opera charitatis, cùm faciunt opera vanitatis: ſpectentur itaque ex Principio, Ordine, Objecto, Intentione, &c. *Docum. 1.*

Ex prædictis etiam colligimus, quotcunque virtutibus quis ornatus incedere videtur, non eſſe tamen veſtitum ut decet filium Dei & verum Chriſtianum, niſi reliquis ſuperinduerit hoc veſtimentum charitatis. *Docum. 2.*

Hinc etiam cauſam videmus, cur prædictæ virtutes, miſericordia, humilitas, manſuetudo, patientia, aliæque tam raræ appareant in communi vita; nimirum quòd mater illarum charitas perierit; ut eſt Mat.24.12. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas &c.* *Docum. 3.*

Hinc denique perſpicitur, illos integritatem & perfectionem matris ſuæ Eccleſiæ infringere, eámque quaſi membratim diſcerpere & dilaniare, qui ſolvunt vinculum charitatis, & præbent occaſiones ſchiſmatis. Atque hæc de charitate. *Docum. 4.*

Vers. XV.

Et pax Dei imperet in cordibus veſtris, ad quam etiam vocati eſtis in unum corpus: & grati eſtote.

Accepiſtis hortationem Apoſtoli ad charitatem induendam; jam hortatur ad duas alias virtutes, quæ filiæ ſunt charitatis, & officioſæ quidem: nam inſerviunt quotidie matri ſuæ, eámq; alunt & conſervant: harum una vocatur Pax, altera Gratitudo.

Quod ad priorem attinet, hæc tria occurrunt obſervanda.

1. Vnde originem habeat hęc pax; à Deo ſcilicet: *pax Dei &c.*

2. Quale ſit ejus officium; imperare ſcilicet, & præſidere in cordibus humanis: βραβεύέτω.

3. Quæ habeamus motiva ad hoc pacis officium præſtandum; duo ſcilicet: Ordinationem Dei; *Ad quam etiam vocati eſtis*, à Deo nimirum: Cognationem noſtram mutuam; quia ſumus membra ejuſdem corporis.

Pax Dei] Hæc pax vel Interna eſt, quam vocamus pacem conſcientiæ; vel Externa & Fraterna, quam vocare licet pacem amicitiæ. Prior illa ſtabilitur inter Deum & conſcientiam uniuſcujuſque privati, quando fide apprehendit Chriſtum, ac peccata propter Chriſtum ſibi remiſſa, Deúmq; ſibi reconciliatum & propitium. Vnde Apoſtolus ad Rom. 5.1. *Iuſtificati fide pacem habemus ad Deum per Dominum &c.* Et Epheſ. 2.14. Αὐτός ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν. Hæc pax originem aliunde habere non poteſt quàm à Deo: unde & hæc vocatur pax Dei, ad Philip. 4.7. *Pax Dei quæ ſuperat &c.* Poſterior conſiſtit inter proximos, & oritur ex charitate; atque hanc Apoſtolus potiſſimùm reſpexit hoc in loco. Pax autem hæc præcipuè denotat ipſum affectum cordis qui inclinat ad concordiam amandam, quærendam, & omnibus modis procurandam & conſervandam: quamvis etiam deſignet externum effectum, id eſt, pacatam rerum omnium conditionem inter Chriſtianos, quæ ſequi ſolet ex pacifica illa inclinatione.

Vtraque etiam hæc pax à Deo eſt.

Eſa. 45. 7. & 66. 12. *Gal.* 5. 22.

Affectus ille pacificus eſt à Deo Inſpirante; atq; effectus, ſive felix ille & pacatus rerum omnium curſus in Eccleſia, eſt à Deo Benedicente.

Βραβευέτω ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Alii vertunt, *palmam ferat*, alii aptiùs (ut mihi videtur) *imperet, regat*, ſive *moderetur*. Nam Apoſtolus innuere voluit, hoc eſſe hujus virtutis officium, ut agat brabeutem, ſive agonothetam inter cæteros affectus: nam βραβεύειν id ſignificat. Cùm igitur (quod ſæpe fit) inſurgunt in cordibus noſtris turbidi affectus iræ, odii, vindictæ, hæc *pax Dei* debet ſuum officium facere, id eſt, inſtar agonothetæ lites dirimere, occaſiones earum præcidere, tumultuantes affectus compeſcere, & omnia ad pacem deducere.

Sed & illud notandum, quòd jubet Apoſtolus non ſimpliciter ut *pax Dei imperet*; ſed ut *imperet in cordibus noſtris*: in corde, non in ore tantummodò, non in vultu; multi enim verbis & vultu præ ſe ferunt pacis ſtudium, qui intus alunt iram & odium: *Quorum blanda ſunt verba, dum bellum inſidet animo eorum; & oleo molliora, quamvis ſint ſtricti gladii*, ut loquitur Pſalmiſta, Pſal. 55.22. Hoc etiam conqueritur Nazian. Orat. 12. *Pax ab omnibus laudatur, à paucis ſervatur.* Si igitur hęc pax verè vigeat in cordibus noſtris, & officium ſuum faciat, omnes ad concordiam inclinabit & trahet, tam offendentes, quàm offenſos:

offendentes

offendentes, dum illis adimit animoſam elationem; offenſos, dum illis aufert inexorabilem obſtinationem: hos ad ſatisfaciendum humiles & promptos facit; illos ad remittendum faciles & benignos. Atque hoc eſt hujus brabeutę officium.

Ad quam etiam vocati eſtis in uno corpore] Iam oſtendit quæ habeamus incitamenta ad hoc officium pacis præſtandum.

Prius; quia ad pacem vocati ſumus, id eſt, quia Chriſtus Dux & Servator noſter ſuis auſpiciis non modò pacem ſtabilivit inter nos & Deum; ſed Iudæos & Gentes, totúmque adeò orbem terrarum ad pacem mutuam vocavit inter ſe colendam, dum ad Eccleſiam ſuam vocavit. Hoc patet;

1. Quia pax hæc prædicta eſt multis in locis ab omnibus Prophetis. Eſa.2.4. & 11.6. & 65.12. Sic Mich.4.3. Zach.9.10.

2. Quia pax hæc mandata eſt ex præcepto Dei & Chriſti omnibus qui vocati & allecti ſunt in familiam Dei, id eſt, in Eccleſiam. *Pacem habete inter vos*, Mar.9.50. *Quæ pacis ſunt ſectemur*; Roman.14.19. *Soliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*; Epheſ.4.3.

3. Quia pax hæc ab Eccleſia primitiva obſervata, & omni ſtudio retenta eſt. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una*; Act.4.32.

4. Quia pax denique hæc violata, evertet Eccleſiam quam Chriſtus perpetuam eſſe voluit: non poteſt enim ſtare regnum contra ſe diviſum, ſed quemadmodum cùm multi funem trahunt in contrarias partes, ſi rumpatur, utrique graviter cadunt; ſic cùm litibus Eccleſia agitatur, incommodum & damnum ad omnes redit. *Trudent, i. pſychom.*

----Sciſſura domeſtica ta bat
Rem populi, titubátque foris, quod diſſidet intus.
---Nil diſſociabile firmum eſt.

Hæc de priori incitamento à Dei ordinatione deſumpto. Sed illud etiam accedit incitamentum ad pacem colendam, quòd non modò ad illam vocati ſumus Dei ordinatione, ſed aſtringamur inſuper myſticâ quadam cognatione, quam Apoſtolus deſignat hiſce verbis,

Ἐν ἑνὶ σώματι] Qui cives ſunt ejuſdem Reipublicæ, ad pacem mutuò ſervandam vocantur & tenentur; at non coaleſcunt in unum corpus niſi Politicè tantùm: ſed qui membra ſunt Eccleſiæ, coaleſcunt in unum corpus Supernaturaliter & Myſticè, ita ut omnes dependeant ab uno Capite, & vivificentur, & quaſi informentur ab uno Spiritu. Hoc ab Apoſtolo edocti ſumus ad Rom.12.verſ.4.5. & 1.Cor.12.ver.12.25.26. ubi infert Apoſtolus diſſidium nullum eſſe debere inter membra ejuſdem corporis, ſed ſummam conſpirationem, & ſympathiam.

Iam ex his quę dicta ſunt, de Origine pacis, de Officio ejuſdem, & Incitamentis ad eandem, emergunt hæc Documenta.

Ab

Ab Authore Deo; *Pax Dei.*

Docum. 1. Apud quos pax Dei imperat, apud illos Deus pacis habitat; & è contrà, qui hanc pacem Dei exterminant, ipſum Deum pacis exturbant: ſic Apoſtolus 2. Cor.13.11. *Pacem habete, & Deus pacis erit vobiſcum*

Docum. 2. Quicquid igitur religionis & ſanctitatis prę ſe ferunt Schiſmatici, Diaboli agunt cauſam, non Dei: iſte enim author & ſeminator eſt diſſenſionis; Deus autem verus, eſt *Deus pacis*; 1.Cor. 14.33.

Docum. 3. Vnio malorum, vel potiùs conjuratio ad pios impugnandos, Evangelium extinguendum, errores diſſeminandos, non eſt nota Eccleſiæ: quia non eſt pax Dei inter iſtos, ſed pax Diaboli; qualis inita fuit inter Herodem & Pilatum; qualis conſervatur inter ipſos diabolos: fruſtra igitur Romanenſes hanc unionem jactitant inter inſignia Eccleſiæ ſuæ. Hæc ab Origine pacis petuntur Documenta.

Ab Officio; Βραβευέτω ἐν ταῖς καρδίαις.

Docum. 1. Affectus hic pacificus debet prædominari reliquis, & quaſi Regalem poteſtatem in illos exercere.

Docum. 2. Qui huic adverſantur, tanquam in Regem ſuum rebelles, comprimendi, coercendi, & quaſi in vincula conjiciendi ſunt. Hujuſmodi ſunt, ira, invidia, odium, reliquæque felicitatis & tranquillitatis humanæ peſtes.

Docum. 3. Fucata benevolentia, ſimulatus amor, hypocritica reconciliatio, faceſſant ab homine Chriſtiano: charitas enim & pax in corde illius imperium tenere debet, non in vultu aut verbis Mimum agere.

Ab Incitamentis; *Ad quam vocati eſtis in uno corpore.*

Docum. 1. Qui turbant pacem Eccleſię, immemores ſunt ſuæ vocationis, & contemptores divinę ordinationis. Deus enim quos vocavit, & aggregavit in Eccleſiam ſuam, eos juſſit, tanquam fratres unanimes, in domo paterna cohabitare.

Docum. 2. Vtcunq; ſibi adblandiuntur, & regnare ſibi videntur, qui ſunt cauſę & capita factionum & diſſidiorum, ſunt tamen omnium miſerrimi, quia Deo ſunt odioſiſſimi. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus*; Pro.6.16. Illum autem in ſeptimo loco ponit Salomon, qui ſeminat diſcordias inter fratres.

Docum. 3. Qui pacem violat, non aliis ſolummodò, ſed ſibiipſi nocet: nullum enim membrum continui corporis lædituŕ, quin toti nocumentum inferatur. Cùm igitur omnes ſumus membra ejuſdem corporis; qui alium laceſſit & lædit, idem facit ac ſi quis manu ſuâ aliud proprii corporis membrum feriat & vulneret.

Docum. 4. Qui lætantur diſſidiis & malis aliorum, aut ſtupida membra ſunt, aut ne omnino quidem membra hujus unici corporis, cu-

jus

jus Caput Chriſtus eſt, in cujus ſocietatem omnes pii vocantur. Hæc de pace.

Et grati eſtote] Hæc eſt illa altera virtus ad quam hortatur Apoſtolus, gratitudo nimirum, quam Orator vocavit non ſolùm ***maximam***, ſed ***matrem omnium virtutum reliquarum***. Gratitudo autem hæc requiritur tum reſpectu Dei, tum reſpectu hominum. *in Orat. pro Cn. Planc.*

Grati eſſe debemus erga Deum; quia abſq; gratitudine non conſiſtunt in nobis bona ſpiritualia. Cum enim omne bonum ſpirituale pendeat à perpetuo quodam divinę gratię influxu; ingratitudo eſt obex ille infernalis, qui interrumpit fluxum & curſum divinę bonitatis. Grati igitur eſſe debemus, ne donis omnibus privemur. Cum pace autem hoc in loco conjungitur gratitudo in Deum, quia gratitudo noſtra vel maximè in eo apparet, ſi pacem ſanctè colamus; ingratitudo, ſi violemus. Quemadmodum enim mendicus & erro in Regiam familiam aſcitus, gratum ſe oſtendit ſi pro virili conetur Regiam domum ornare & tueri; è contrà, ingratiſſimum ſe probat ſi eandem inimicitiis replere, & factionibus dilacerare ſtudeat: ſic mortales miſeri & vagabundi in Eccleſiam (quæ domus Dei eſt) vocati & allecti, gratos ſe præbent Deo Domino ſuo, dum pacificè in eadem vivunt; ingratos exhibent dum diſſidiis eandem diſtrahunt & diſcerpunt. Hanc igitur ob cauſam ſubjunxit Apoſtolus, *& grati eſtote*, in Deum ſcilicet, à quo ***vocati eſtis in unum corpus***.

Sed requiritur etiam gratitudo erga homines, ut pax inviolata ſervetur; quia turbæ & inimicitiæ oriuntur quandoque, tam ex beneficiis ſuo loco non relatis, quàm ex injuriis illatis. Quod videmus in exemplo Nabalis, qui ſuâ ingratitudine ità exaſperavit animum Davidis, ut ni Abigalis prudentia, & humanitas ſuccurriſſet, actum fuiſſet de ingrato illo, & totâ familiâ eius. Sanè peſſimum hoc, & perniciosiſſimum vitium putavit Apoſtolus, qui illud peſſimis & perniciosiſſimis connumeravit; 2. Tim.3.2. 1. *Sam.* 25.

Documenta.

Si velimus Deum nobis manere beneficum, debemus nos illi exhibere gratos, & acceptorum beneficiorum memores. *Docum.* 1.

Optima gratitudinis noſtræ probatio in eo ſita eſt, ut divinæ voluntati pareamus; ***Præcipua gratiæ relatio eſt***, inquit Clemens, ταῦτα ἀρᾶν ἄριστα ἀρεστὰ τῷ θεῷ. Strom.7. *Docum.* 2.

Beneficiis affecti tenentur ex mandato divino (ſi occaſio tulerit) benefactoribus ſuis non verbis nudis, ſed reapſe gratiam referre. Habemus exemplum Ioſuæ erga Rahab meretricem, Ioſ.6.23. Davidis erga Barſellai filios, 1.Reg.2.7. &c. Taxandi igitur, & vix pro hominibus habendi, qui non modò gratiam referre negligunt amicis à quibus beneficia acceperunt; ſed ne videantur gra- *Docum.* 3.

tię

tię aliquod debitum agnoſcere, onerant illos ſæpenumero injuriis & contumeliis. Tales erant viri Ceilæ in Davidem; 1. Sam. 23. 12. Talis etiam fuit Hanon; 2. Sam. 10. 4. Tales Iudæi in ipſum Chriſtum. Tot hujus ingratitudinis occurunt exempla in vita communi, ut Poeta non veritus ſit dicere, Ἀιεὶ δ' ὁ σωθεὶς ὄζυν ἀχάρις & φύσει.

VERS. XVI.

Sermo Chriſti inhabitet in vobis copiosè, in omni ſapientia; docentes & commonentes vos mutuò pſalmis, hymnis, & cantionibus ſpiritualibus, canentes cum gratia in corde veſtro, Domino.

QVia infinitum eſſet, ad ſingulas virtutes, & ſingula pietatis officia ſigillatim adhortari, compendifacere voluit Apoſtolus orationem ſuam, quod optimè fieri potuit, remittendo illos ad abſolutam & perfectam virtutis & omnis officii regulam: id itaque facit, dum ad ſermonem Chriſti illos remittit.

Duo ſunt hujus verſiculi membra. In priore excitat ad ſtudium & cognitionem Scripturarum; *Sermo Chriſti inhabitet in vobis &c.* In poſteriore ad debitum uſum earundem; *Docentes & commonentes &c.*

Sermo Chriſti inhabitet in vobis copiosè, in omni ſapientia] In his verbis obſervare oportet,

1. Materiam ſive Objectum ſtudii noſtri ad quod vocamur ab Apoſtolo: illud autem eſt *ſermo Chriſti*, id eſt, Evangelium, vel doctrina Scripturarum. Evangelium ſpeciali quodam modo dicitur *ſermo Chriſti*, quòd ſcilicet ab ipſo Chriſto carne induto, fuit revelatum & prædicatum; & quòd de Chriſto Salvatore & Mediatore noſtro revelat & prædicat æternum illud Dei decretum. Vtroque igitur reſpectu, & Authoris, & Materię, dicitur Evangelium *ſermo Chriſti*.

Luc. 4. 18. *Rom.* 1. 3.

Sed & tota Scriptura dici etiam poteſt ſermo Chriſti eaſdem ob cauſas. Nam ante incarnationem, Chriſtus Spiritu ſuo afflavit Patriarchas & Prophetas; ut eſt 2. Pet. 1. 21. *Non voluntate humanâ allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Imò fuit ipſe λόγος filius Dei æternus, qui ſub Vetere Teſtamento viſus eſt Moſi, eúmque inſtituebat & edocebat de rebus ſacris; ut contendit Tertull. de Trin. adverſus Iudæos, adverſus Marcionem, & alibi. Quinetiam Scripturæ Veteris Teſtamenti, non minùs de Chriſto loquuntur & teſtantur, quàm ipſius Novi; nam de Vetere Teſtamento loquitur Servator in hunc modum, Ioan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.*

Ob-

Objectum itaque hujus ſtudii noſtri, eſt totum Dei verbum; quia totum verbum Dei eſt *ſermo Chriſti*.

2. Obſervare oportet modum verſandi in hoc ſtudio Scripturarum: quem tribus vocabulis pleniſſimè expreſſit Apoſtolus.

Ἐνοικείτω, *inhabitet in vobis*] id eſt, ne patiamini verbum Dei quaſi peregrinum foris ſtare; ſed intromittatur in domicilium cordis veſtri, ac verſetur aſſiduè in animis veſtris, non ſecùs ac domeſtici verſantur in domo ſua; imò ſit vobis non minùs notum ac familiare, quàm illi eſſe ſolent qui apud vos habitant.

Πλουσίως, *copiosè*, ſive *abundanter*] id eſt, ne particulam aliquam ſolummodo delibate, ſed totas Scripturas evolvite, Prophetas, Apoſtolos, Evangeliſtas, totam denique doctrinam cœlitus revelatam ſuſcipite: Quinetiam in vos totos admittite; in mentem, in memoriam, in affectus, in vitam: nulla denique pars veſtri ſit, in qua verbum hoc Dei non inhabitet.

Ἐν πάσῃ σοφίᾳ] Id eſt, ſic detis operam verbo Dei, ut indè petatis & diſcatis omnem ſalutiferam ſapientiam, perfectam nempe cognitionem, tum credendorum, tum agendorum, in ordine ad vitam æternam. Hæc igitur eſt meta ſtudii noſtri, ut omni ſapientiâ ſalutiferâ inſtruamur ex penu Scripturarum.

Documenta.

Officium eſt Paſtorum vocare & excitare Laicos ad aſſiduam lectionem & meditationem Scripturarum: eſt etiam Laicorum parere hiſce hortationibus. *Docum. 1.*

Graviter peccant qui populum Chriſtianum ad cognitionem traditionum humanarum, & fabularum incitant; vetantes interim (tanquam rem periculi plenam) lectionem utriuſque Teſtamenti, id eſt, verbi divini. *Docum. 2.*

Dei verbum non modò in Templis publicè prædicari, ſed in privatorum ædibus lectitari & audiri oportet. *Docum. 3.*

In verbo divino continetur theſaurus omnis ſapientiæ ad ſalutem neceſſariæ. *Docum. 4.*

Laborandum eſt omnibus etiam Laicis, ut aſſequantur explicitam & copioſam cognitionem rerum divinarum. *Docum. 5.*

Implicita illa cognitio (quam Laicis ſufficere volunt Pontificii) eſt filia ignaviæ, mater impietatis, non devotionis. *Docum. 6.*

Hoc itaque ex loco decretum Concilii Tridentini, & recepta Papiſtarum ſententia refelli poteſt, qui negant Scripturas extare debere linguis vernaculis, aut à Laicis requiri ſtudium Scripturarum; imò dicunt ſalubriter eos à lectione Scripturarum arceri, ſufficeréque eis, ut ex ſolo præſcripto Paſtorum vitæ curſum moderentur. Sed nos ſententia contraria (quæ noſtra eſt, eadémque Apoſtolica) ut confirmari poſſit oſtendemus, indicatis argumentorum fontibus. *Sic Molan. in lib. de Pract. Theol. Tract. 3. cap. 27. concluſ. 2.*

1. A mandato Dei, qui non ſolis Clericis, ſed Laicis, atque

adeò omnibus qui vivunt in Eccleſia mandavit ſtudium Scripturarum; Deutr.11.18.19.

2. Ab intentione Dei, qui ſcripto mandari voluit doctrinam ſalutis, eo fine ut omnibus eſſet expoſita; Ioan.20.31. Roman. 15.4.

3. A laudatione illorum omnium qui lectioni Scripturarum incubuerunt. Laudatur Eunuchus, Act.8.28. Beræenſes, Act.17. 11. imò omnes *beati* pronunciantur, qui aſſiduam operam ponunt in Scripturis; Pſalm.1.

4. A facto Apoſtolorum; qui ut Laicis publicè prędicârunt ſalutis myſteria, ſic etiam per Epiſtolas totam ſalutis doctrinam iiſdem legendam commendârunt. Abſurdiſſimum enim eſt ut quis dicat id jam à Laicis legi non oportere, quod olim tam ad Laicos, quàm ad Clericos ſcriptum fuit. Inſtare poſſumus in Epiſtolis ad Rom. Cor. Gal. Epheſ.

5. Ab utilitate & neceſſitate hujus ſtudii. Ex lectione Scripturarum homines illuminantur & convertuntur; Pſalm.19.8.9. Diriguntur tanquam à fidiſſimis conſiliariis in omnibus viis ſuis; Pſal.119.24. Armantur contra ignita tela Satanæ; Epheſ.6.16.

6. Ab unanimi conſenſu omnium Patrum; qui Laicos hortantur ad privatam lectionem Scripturarum, & teſtantur fuiſſe Scripturas publicè in Eccleſiaſticis conventibus lectas, non linguâ incognitâ, ſed à populo intellectâ. Iuſtin. Mart. Apolog. 2. ad Antonium, prope finem, & Tertullian. in Apologet. teſtantur, publicè lectas fuiſſe Scripturas ad populi ædificationem & intellectum. Et beatus Rhenanus in annotationibus ad Tertulliani librum de Corona militis, *Vtinam* (inquit) *ad nos redeat iſta conſuetudo &c.*

Quod ad privatam lectionem attinet, illam ſuadent Hieronymus ad Demetriadem de Virginitate ſervanda, & Chryſoſtomus Homil.1. & 2. in Mat. & Homil.3. de Laz. & ad Coloſſ.9. Auguſt. in Enar.Pſalm.33. & Epiſt.1. ad Voluſian. Damaſc. Orthod. Fid. lib.4.cap.18. Theodoret. lib.8. de curand. Græc. affect. non longè ab ipſo initio. Hiſce addo duo teſtimonia Comitis Mirandulani: Prius petitur ex Prefatione in Heptaplum; *Turba omnis Iſraelitica, ſartores, coci, macellarii, opiliones, ſervi, ancillæ, quibus omnibus legenda lex tradebatur, totius Moſaicæ ſapientiæ ferre onus non potuerunt*: & in Expoſit. Orat. Domin. *Evangelica hiſtoria debet eſſe perpetua lectio cujuſlibet hominis Chriſtiani.*

Argumenta quibus Bellarminus aliiq; Pontificii conantur eripere Laicis Scripturarum lectionem refutata videre poteſtis apud beatiſſimę memoriæ Whitakerum, in 1.Contr. de Sacr. Script. quęſt.2.cap.11. & reverà ſunt prorſus Sophiſtica & nugatoria: nam ab abuſu Scripturarum inferunt ipſum uſum negandum Laicis, hoc modo,

Quidam

Quidam Laici, lectis Scripturis, inciderunt in abſurdiſſimas hæreſes; quidam in contemptum Scripturarum; quidam, vel in contemptum Sanctorum, vel in pernicioſam imitationem illorum, cùm legerint illorum adulteria, mendacia, & quæ ſunt ejus generis: ergò Laici ſunt arcendi à Scripturis. *Object. 1.*

Si hoc genus argumenti valeret, Deus, Chriſtus, & Apoſtoli peccârunt, qui promulgari voluerunt verbum Dei promiſcuè omnibus, non obſtante hoc quòd multi eodem abutebantur ad ſuam perniciem; 2.Pet.3.16. Præterea eſſet hanc ob cauſam Clericis æquè ac Laicis neganda lectio Scripturarum: nam & illi ſæpenumero peſſimè abutuntur Scripturis. Quis enim neſcit, omnes ferè hæreſes ab Epiſcopis, Presbyteris, aut Monachis fluxiſſe; non à Laicis & Secularibus? Teſtimonia ferè tot habemus, quot Hæreticorum nomina. Poſtremò non ſequitur, Scripturis abutuntur multi Laici, ergò illis ſunt promiſcuè adimendæ: tollatur abuſus, vel ſaltem illis, de quibus conſtat quòd animo abutendi legant, denegentur Scripturæ: nam, ut rectè Tertul. 1. adverſ. Marcion. *Multum differt inter cauſam & culpam, inter ſtatum & exceſſum; non inſtitutio bonæ rei, ſed exorbitatio reprobanda eſt.* *Solut.*

Hiſce addit Bellarminus duo graviſſimorum Patrum teſtimonia.

Vnum Baſilii eſt, qui præfectum culinę Imperatoriæ, inſulsè garrientem de fidei dogmatibus, hac increpatione compeſcuit; *Tuum eſt pulmenta curare, non divina eloquia decoquere.* *Object.2.*

Non illum à ſtudio aut lectione Scripturarum hoc dicto revocavit; ſed ſuperbiam illius & ſtultitiam coarguit, qui, cùm eſſet imperitus, putabat ſe poſſe Baſilium διδάσκαλον τῆς οἰκουμένης docere & refellere, ac de graviſſimis Theologiæ controverſiis ſtatuere. Quis non fateatur hunc fuiſſe juſtiſſimè reprehenſum? *Solut.*

Alterum petitur ex Hieronymi Epiſt. ad Paulinum, ubi ſic ſcribit; *Quod medicorum eſt promittunt medici; tractant fabrilia fabri: ſola Scripturarum ars eſt quam ſibi omnes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcunt &c.* *Object.3.*

Non reprehendit Laicos quòd legant Scripturas; ſed omnes taxat cujuſcunque ordinis ſint, qui præſumunt docere & interpretari Scripturas, & quaſi Theologicam officinam aperire, cùm Scripturarum aut prorſus ignari ſint, aut primoribus tantùm labris eaſdem deguſtaverint. Nos etiam hanc audaciam intolerandam fatemur. Hanc eſſe mentem Hieronymi patet, quòd alibi laudet paſſim in Laicis ſtudium & lectionem Scripturarum, & in hunc ipſum Apoſtoli locum, quem iam in manibus habemus, ſic ſcribat; *Hîc oſtenditur verbum Chriſti, non ſufficienter, ſed abundanter etiam Laicos habere debere.* Atque hæc de priore mem- *Solut.*

bro hujus verſiculi dicta ſufficiant, in quo excitat ad ſtudium Scripturarum.

Docentes & commonentes vos mutuò pſalmis, hymnis, & cantionibus ſpiritualibus, canentes cum gratia in corde veſtro, Domino.]

Verbis præcedentibus excitavit Coloſſenſes ad ſtudium & cognitionem Scripturarum; jam Scripturæ cognitæ uſum multiplicem oſtendit.

1 Primus uſus eſt, ut Chriſtiani (etiam Laici) ſeſe mutuò doceant & inſtituant in rebus ad fidem pertinentibus, & quam ſibi comparârunt ſcientiam ex Scripturis, expromant ad fratres ædificandos cùm opus fuerit. Quamvis enim munus publicè cum authoritate docendi incumbit Miniſtris; officium tamen privatim ex charitate docendi, incumbit cuilibet privato, cui datur facultas & occaſio alios in religione & fide ædificandi. Sic parentes tenentur liberos docere; Deut.11.19. Pſal.78.5. Hoc laudatur in Abrahamo, Gen.18.19. Sic mariti uxores; *Mulieres ſi quid diſcere volunt, domi ſuos viros interrogent*; 1.Cor.14.35. Sic denique quivis frater fratrem: ut ab Aquila & Priſcilla Apollos in doctrina Evangelii inſtitutus legitur, Actor.18.26. *Omnibus* (inquit Clemens) *ineſt appetitus generandi ſibi ſimile: hominibus quidem naturalibus generandi homines ſolum; ſed hominibus piis & fidelibus, generandi pios & fideles*; Strom. 5. Hoc autem fit impertiendo illis doctrinam Evangelicam; 1.Cor.4.15.

Documenta

Docum. 1. Ipſos Laicos oportet, non in ſuam tantummodò ædificationem, ſed etiam in proximorum intendere.

Docum. 2. Graviter errant Papiſtæ, qui Laicos (præſertim qui ſunt humili conditione) de Scripturis, & rebus ad religionem pertinentibus, vix loqui permittunt; quum Paulus hortetur, ut hiſce in rebus ſeſe mutuò doceant.

Docum. 3. Cognitio Scripturarum, non ad inanem oſtentationem, non ad Sophiſticam velitationem, non ad ridiculam & prophanam nugationem; ſed ad utilitatem noſtram, & fraternam adhibenda eſt. Hæc de primo uſu.

2 *Commonentes*, νουθετοῦντες] Hic eſt ſecundus uſus, atq; refertur ad mores. Vult igitur Apoſtolus ut Chriſtiani ſcientiâ Scripturarum imbuti, indè petant regulam morum; atque (cùm opus ſit) ſecundum illam fratres ſuos moneant de virtutibus exercendis, de vitiis cavendis, & peccatis ſuis abrumpendis. Incumbit enim omnibus piis hoc mutuæ admonitionis, & correptionis officium. *Docebo peccatores vias tuas &c.* Pſalm. 51. 13. *Non oderis fratrem in corde tuo, ſed argue*; Levit.19. 17. *Si quis non auſcultat noſtro ſermoni, nolite quaſi inimicum ducere*, ἀλλὰ νουθετεῖτε ὡς ἀδελφόν 2.Theſ.3.14.15. Qui hoc negligunt,

gunt, etiam alienis peccatis communicant: nam verè Proſper, de Vit.Contemp.3.23.23. *In omnibus peccantibus pecco, quando eos quos ſcio peccare quâdam crudelis animi malignitate non increpo.* Scholaſtici multas conditiones ponunt legitimę correptionis: in corripiente ſive admonente alium requirunt aptitudinem ad corripiendum, manſuetudinem in corripiendo, certam agnitionem peccati, ſpem probabilem de correpti emendatione, temporis opportunitatem, & peccati gravitatem: Sed Scripturæ prę aliis omnibus requirunt charitatem & manſuetudinem in fratribus inſtruendis & admonendis. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis hujuſmodi hominem inſtruite in ſpiritu lenitatis*; Gal.6.1. Huc ſpectat illa regula Auguſtini in Expoſ.Epiſt. ad Gal. *Nunquam alieni peccati objurgandi negotium ſuſcipiendum eſt, niſi conſcientia noſtra liquidò coram Deo reſponderit, dilectione nos id facere: quicquid enim exacerbato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis.*

Corollaria.

Verus Chriſtianus non modò vias ſuas dirigit juxta Dei mandata; ſed, quantum in ſe eſt, etiam fratrum ſuorum. Nunquam igitur illi in mentem venit Diabolica illa Caini vox, Gen. 4.9. *Nunquid Cuſtos fratris mei ſum ego?* *Coroll.* 1.

Abjicienda eſt illa ſuperbia, quæ ſolet iniquo animo ferre correptionem quamlibet, ſive admonitionem fraternam; eſt enim expedita ad interitum via, ut monuit Salomon, Pro.29.1. *Coroll.* 2.

Piis & prudentibus gratiores ſunt hæ mutuæ commonefactiones, quàm ſtultis aſſentationes: *Qui corripit hominem, gratiam poſtea inveniet apud eum, magis quàm qui per linguæ blandimenta decipit*; Pro.28.23. Atque hæc de altero uſu Scripturarum in commonefaciendo. *Coroll.* 3.

Pſalmis, hymnis, & cantionibus ſpiritualibus, canentes &c.] 3
Hic eſt tertius uſus Scripturarum, atque ſpectat divini nominis celebrationem, & mutuam noſtram exhilarationem. Nonnulli conjungunt hæc verba, *Pſalmis, hymnis, & cantionibus*, cum illis præcedentibus, *docentes & commonefacientes vos*. Sed alii, nec minùs probabiliter, cum illis ſequentibus, *canentes Domino, pſalmis* ſcilicet, &c. Ad rem parum intereſt: nam ſi ad præcedentia referantur, non ità capienda ſunt, quaſi docendi, & commonefaciendi materia ex ſolis pſalmis & hymnis petenda ſit; ſed indè innuere voluit Apoſtolus, quòd etiam cùm hilaritati inſervimus, ædificationis & utilitatis mutuæ memores eſſe debemus.

Sed quod attinet ad ipſorum verborum intelligentiam; Pſalmi ſunt (ut placet Hieronymo) qui Ethicam materiam tractant, & quid faciendum, quid vitandum oſtendunt; Hymni, qui fortitudinem & majeſtatem Dei prædicant, & ejuſdem beneficia & facta mirantur; Cantica ſive Odæ, quæ concentum mundi, &

omnium creaturarum ordinem artificiosè explicant. Beza in hunc locum paulò aliter: Pſalmos vocat (quos Hebræi *Mizmorim*) quaſcunque cantiones variis argumentis ſcriptas: Hymnos (quos *Tehillim* appellant) quæ ſolas Dei laudes continent: Cantica ſive Odas (quas *Schirim* vocant) peculiares & magis artificioſas cantiones, quæ & ipſę, laudes complectebantur, ſed anguſtiore quâdam formâ quàm pſalmi aut hymni.

Hiſce vult Apoſtolus ut nos oblectemus, & hilaritatem noſtram promamus; juxta illud, *Si quis hilaris ſit, pſallat*, Iacob. 5. 13. Sed in his fidelium pſalmis, hymnis, ſive canticis, quatuor conditiones requiruntur.

1. Debent eſſe πνευματικὰ] ídque duplici reſpectu; tum ratione Originis, tum ratione Materiæ. Ad originem quod attinet; quemadmodum Moſes, David, reliquíque, Spiritu ſancto impellente, componebant & canebant hymnos, pſalmos, & cantiones ſuas: ſic nos, ſive eoſdem, ſive alios canamus, id Spiritu ſancto excitante & dirigente facere debemus.

Pſalmos hymnóſq; piorum à Spiritu ſancto quaſi primario artifice dimanare, colligitur ex 5. ad Epheſ. 18. 19. *Ne inebriamini vino* (inquit Apoſtolus) *ſed implemini Spiritu: Loquentes inter vos mutuò pſalmis, hymnis, &c.* Quaſi dixiſſet, ut vinum ebrios ad ineptias, nugas, & laſcivias excitare ſolet; ſic Spiritus, pios, ad pſalmos, hymnos, & cantiones. Exempla habemus in Novo Teſtamento, Beatæ Virginis, Zachariæ, Simeonis: atq; etiam in Primitiva Eccleſia quidam ex ſanctis Patribus hymnos condiderunt, quorum reliquias quaſdam adhuc retinemus.

Sunt etiam hi pſalmi, hymni, & cantiones, ſpirituales quoad Materiam: nam de rebus ſpiritualibus, ad Dei gloriam & noſtram ſalutem ſpectantibus, loquuntur; non de ſecularibus, vanis, & terrenis. Hæc eſt prima conditio.

2. Debent cantari ἐν χάριτι.] Gratiam hoc in loco nonnulli exponunt *animi gratitudinem*, ſive *gratiarum actionem*. Vocabulum χάρις, aliquoties hoc ſenſu accipitur. 1. Cor. 15. 57. *Deo autem* χάρις, *qui dat nobis victoriam*: & 2. Cor. 2. 14. *Deo autem* χάρις, *qui triumphare nos facit in Chriſto*. Nec incommodè cum cantionibus conjungitur gratitudo; quia plerunque rebus lætis & proſperis ad canendum movemur, quo in ſtatu affectus gratitudinis debitus eſt, & planè neceſſarius. Sed alii exponunt hęc verba ἐν χάριτι, *In dexteritate quadam gratioſa, quæ & jucunditatem, & utilitatem afferat auditoribus:* ut quod de Poetis dixit Horatius, id de hiſce ſpiritualibus cantionibus dicatur,

Et prodeſſe volunt, & delectare--

In hunc etiam ſenſum quandoque capitur vocabulum χάρις, ut infrà, cap. 4. verſ. 6. *Sermo veſter ſemper ſit* ἐν χάριτι. Et ad Eph. 4. ver. 29. Sermo veſter talis ſit, *ut det gratiam auditoribus.*

3. Debent

3. Debent cantari in *Corde noſtro*,] id eſt, ex intimo cordis affectu; non enim vocem excludit, ſed cordis affectionem cum voce ſemper conjungendam monet. Et rectè quidem ab Apoſtolo requiritur in ipſo corde motus quidam vehemens; nam actio canendi quaſi profitetur cordis internam exultationem. Hypocritam igitur agit, qui corde dormiente cantat. Hinc Pſalmiſta Regius, cùm ſe ad pſallendum accingit, non vocem ſolùm parat, aut lyram; ſed cor præ iſtis, & ante iſtas: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo, & pſalmum dicam Domino: Exurge Pſalterium & Cithara &c.* Pſal.57.8.9. Sic Beata Virgo, Luc. 1.46.47. *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Cordis itaq; exultatio præivit; unde lingua in divinum illud canticum erupit. Vnde Bernardus, de Modo bene vivendi Serm. 52. *Cùm in conſpectu Dei* (inquit) *cantas Pſalmos, & hymnos, hoc tracta in mente quod cantas in voce; non aliud cogites, & aliud cantes.*

4. Debent cantari *Domino*] Chriſto ſcilicet, Servatori, Deo, & Domino noſtro: non luxui, non quęſtui inſervire debent cantiones Chriſtianorum; ſed Chriſti Redemptoris laudibus celebrandis. Nec immeritò Chriſtum verum Deum hymnis celebramus, cùm Ethnici falſos ſuos, & ſtercoreos deos, Iovem, Neptunum, Apollinem, reliquóſq;, hymnis decorandos cenſuerunt: in eo quidem rectè ſentientes, quòd hunc ſpiritualem cultum divinæ naturæ tribuendum judicârunt; in hoc autem pernicioſiſſimè errantes, quòd illa hominum monſtra in deorum album retulerunt.

Fuiſſe Primitivæ Eccleſiæ morem ſolennem, ut in conventibus ſuis Chriſto Domino hymnos cantarent, colligitur ex illâ epiſtola Plinii ſecundi, quæ adhuc extat ad Trajanum Imperatorem, in qua ſcribit, *quòd Chriſtiani eſſent ſoliti, ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem.* Cujus epiſtolæ, atque etiam moris Chriſtianorum in celebrando Chriſto mentionem fecerunt Tertullianus in Apol. & Euſebius in Hiſt.Eccl.lib.3.cap.30. Sed hîc illud obiter monere oportet, Cùm dicimus Chriſtum Dominum noſtrum hymnis celebrandum, non excludimus Patrem aut Spiritum ſanctum; imò vocamus in ſocietatem ejuſdem honoris. Nam qui celebrat Chriſtum Redemptorem, is ſimul & Patrem celebrat, qui illum miſit ad mundum redimendum; & Spiritum ſanctum, qui redemptionem hanc efficacem facit omnibus electis & fidelibus. *lib.10.epiſt. 97.*

Corollaria.

Canendi conſuetudo utilis eſt, & tum in publicis tum in privatis Chriſtianorum cœtibus uſurpanda. Habet enim (ut videtis) Apoſtolorum approbationem, habet etiam antiquorum Patrum; Iuſtini Martyris, quæſt. à Gentibus poſitis, quæſt.107. *Coroll.* 1.

Augustini, lib.9. Confess.cap.6.& 7. & lib.10. cap.33. quibus in locis Ambrosio & Athanasio hoc idem placuisse ostendit.

Coroll. 2. Sic adhibenda est, ut qui audiunt, indè spiritualem voluptatem & ædificationem capere possint. Facessant itaque nugatoriæ omnes, & multò magis impuræ cantilenæ; facessant superstitiosi boatus Papistarum, qui psalmos in templis reboant; sed linguâ non intellectâ, & tanto strepitu & tumultu, ut si linguâ uterentur vernaculâ, nemo tamen quid ab illis dicatur possit percipere.

Coroll. 3. In Psalmis cànendis præcipua Christiani cura esse debet, ut cor ritè afficiatur: qui hoc negligunt, hominibus fortasse placere possunt vocis artificiosâ suavitate; sed Deo displicent cordis odiosâ impuritate. In hos torqueri potest illud Bernardi, de Interiori domo, cap.50. ***Cantas ut placeas populo magis quàm Deo; frangis vocem, frange voluntatem; servas consonantiam vocum, serva & concordiam morum.***

Coroll. 4. Quæ ad hilaritatem & animorum relaxationem fiunt à Christianis, debent esse ejusmodi, ut Christo, & religioni Christianæ conveniant: detestanda itaque illorum insania, qui hilares esse non possunt sine Christi contumelia, & religionis ludibrio.

VERS. XVII.

Et quicquid egeritis sermone, aut facto, in nomine Domini Iesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per eum.

APostolus hoc versiculo clausulam imponit universali suæ hortationi, in quo continetur monitum saluberrimum, & ad vitam nostram in sanctitate & timore Dei dirigendam efficacissimum. Sed ne nullum ordinem secuti videamur in hujus versiculi tractatione, duo proponimus observanda: Materiam regulandam, sive Objectum regulæ; & ipsam Regulam ab Apostolo propositam.

1 ***Quicquid egeritis sermone, aut facto***] Videtis hîc materiam circa quam regula illa quæ mox sequitur versari debet; nimirum omnia dicta nostra, & omnia opera nostra: quâ distributione & animi etiam cogitata continentur; sunt enim illa opera Interni hominis, non minùs quàm illa quæ in sensus incurrunt, Externi.

Et primò quod attinet ad sermones sive dicta nostra, debent illa quidem omnia (si modò Christiani haberi volumus) subesse certę regulæ. Nam verè Iacobus, Iac.1.26. ***Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est religio.*** Hinc etiam Psalmista indomitam linguam illis tribuit, qui omnem Dei metum excusserunt: *Dicunt, linguâ nostrâ prævaleamus,*

mus; labia noſtra penes nos ſunt: quis noſter Dominus? Pſal.12.4. Hinc denique eſt quòd lingua Epulonis acerbiſſimè cruciata legitur in inferno; quia ſcilicet regulata & refrænata eſſe noluit in hoc mundo. Sic enim Cyprianus Epiſt.lib.1.epiſt.3. *Inter omnes corporis partes os & lingua Divitis dat maximas pœnas, quia plùs ſcilicet linguâ ſuâ & ore peccaverat.* Quod etiam Gregorius annotavit, Moral.1.cap.5. *Quia inter epulas valde defluere loquacitas ſolet, ex pœna indicat culpam, cùm eum quem epulatum quotidie ſplendidè dixerat, in lingua plùs ardere perhibebat.* Manifeſtum eſt itaque linguam ſive ſermonem ad regulam eſſe conformandum.

Iam quod attinet ad opera, ſive externa, ſive interna; debent illa proculdubiò regulæ ſuæ conformari: nam ſi nobis ad regulam loquendum ſit, tum multò magis operandum. Omnium creaturarum actiones ad regulam præſcriptam exercentur: ergò humanæ multò magis ſubeſſe debent regulæ. Nota ſunt illa axiomata, & ab omnibus approbata. *Omne opus naturæ eſt opus intelligentiæ. Omnis natura agit tanquam rememorata ab agente infallibili.* Imò videmus non modò bruta animalia, ſed ipſa elementa operationes ſuas omnes tum exercere, tum intermittere ad præſcriptum & beneplacitum Dei Creatoris. Ex quibus, tanquam à Fortiori, colligitur, humanas omnes actiones ad regulam divinæ voluntatis dirigendas. Atque hęc de Materia regulanda; quæ eſt omne quod agimus, vel verbo, vel opere: jam Regulam hoc in loco propoſitam expendamus.

Ea autem duabus conſtat particulis. Prior monet ut nos erga Chriſtum geramus; ità ſcilicet, ut in ejus Nomine omnia faciamus. Poſterior, ut in Deum Patrem; ſic nimirum, ut in omnibus Deo Patri gratias agamus. Diſcutiamus hæc duo regulæ propoſitæ membra ſigillatim. 2

Omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti facite] In nomine Chriſti id fieri dicitur, quod fit ſecundum ejus mandatum & voluntatem, invocato illius adjutorio, & ad gloriam ejus amplificandam. Hæc omnia ſolet Scriptura complecti hac loquendi formulâ, & Apoſtolus hoc in loco videtur voluiſſe ea omnia complecti. Sic enim paſſim uſurpatur hęc phraſis, tam in Vetere Teſtamento, quàm in Novo. Pſalm.44.6. *In nomine tuo conculcabimus inimicos noſtros*; id eſt, tuo adjutorio. Pſalm.31.4. *Propter nomen tuum educ me &c.* id eſt, propter gloriam. Luc.10.17. *Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo*; id eſt, te invocato, tuâ ope. Mat.18.20. *Vbi duo aut tres congregati in nomine meo*; id eſt, meo juſſu, meum auxilium implorantes, meâ causâ, ut promoveant doctrinam & gloriam meam. Videtis quid ſit in Nomine Chriſti omnia agere; jam omnia ſic agenda eſſe in Chriſti Nomine, reſtat ut breviter oſtendamus.

Quod

Quod attinet ad bonas actiones quę fiunt immediatè in ordine ad Deum & ſalutem noſtram, certum eſt nihil à nobis bene aut fieri, aut dici, aut cogitari poſſe, niſi fiat in Nomine Chriſti, id eſt, juxta voluntatem Chriſti, & per adjutorium & invocationem Chriſti, & ad gloriam Chriſti. *Omnia poſſum* (inquit Apoſtolus) *in Chriſto qui me corroborat*; Philip. 4. 13. *Non ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis*; 2. Cor. 3. 5. Veriſſimè Auguſtinus, Soliloq. cap. 24. 25. *Non eſt hominis velle quod poſſit, aut poſſe quod velit, vel ſcire quod velit & poſſit; ſed à Deo greſſus hominis diriguntur.* Deus autem nos gubernat per Chriſtum: debemus igitur omnia facere freti gratiâ & ope Chriſti Mediatoris.

Illud etiam perſpicuum eſt, omnes noſtras bonas actiones ad Chriſti gloriam referendas: nam ſi fiant alio fine, etſi bonæ videantur quoad externam ſpeciem; malæ tamen fiunt propter perverſam intentionem. Nam *finis dat ſpeciem in Moralibus*; ut loquuntur Scholaſtici.

Hinc Ioannes Apocal. 5. 13. *Omnem creaturam quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, omnes audivi dicentes, Sedenti in Throno, & Agno, Honor & gloria in ſecula.* Huc ſpectare debent omnes actiones noſtræ bonæ; alioquin (ut bene Auguſtinus contra Iulian. lib. 4. cap. 3.) *Quicquid boni fit, & non propter hoc fit propter quod fieri debet, etſi officio videtur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.*

Sed etiam illæ actiones quę ſunt ſuâ naturâ adiaphoræ, debent tamen à Chriſtianis fieri in Nomine Chriſti, hoc eſt (ut expoſuimus) juxta voluntatem Chriſti, & ad gloriam Chriſti. Nam quamvis poſſit quilibet edere, bibere, aliáſque conſimiles actiones exercere, quà animal vel homo, Chriſto nec invocato, nec cogitato; tamen non poteſt hæc facere perinde ut decet Chriſtianum, niſi per Chriſtum.

Rationes.

Rat. 1. Non habet jus ad haſce creaturas niſi in Chriſto; furti itaque reus eſt contrectans res alienas invito Domino, qui ſuo nomine aſſumit ſibi creaturas in uſum ſuum: nam *omnia noſtra ſunt*; cùm *nos Chriſti ſumus*; 1. Cor. 3. 22. 23. Etſi igitur dominium Civile aliis modis acquiritur; tamen dominium illud Evangelicum, quod nobis dat facultatem utendi creaturis abſque injuria Dei, dependet à Chriſto.

Rat. 2. Quia etſi jus haberemus ad creaturas abſque Chriſto; tamen non benedicuntur à Deo, aut ſanctificantur in uſum noſtrum, abſque Chriſto. Hanc igitur ob cauſam opus eſt Chriſti Nomine invocato, & Chriſti gratiâ apud patrem ſuum; nam quod de cibis dixit Apoſtolus, 1. Tim. 4. 5. *Sanctificantur per verbum Dei & orationem*, id etiam ad cęteras omnes creaturas accommo-

dandum

dandum eſt : orationis autem efficacia à Chriſti Nomine pendet.

Quia tenemur, etiam in rebus & actionibus ſuâ naturâ adiaphoris, in victu ſcilicet, veſtitu, cæteriſque ejus generis, illum modum retinere, eáſque circumſtantias adhibere, quæ Chriſtianę doctrinæ & profeſſioni congruunt: non debemus itaque edere, non bibere, non veſtire corpora noſtra, non uti relaxationibus & voluptatibus licitis, non laboribus, & operibus vocationis noſtræ, pro libidine & arbitrio proprio ; ſed pro voluntate & arbitrio Domini noſtri Chriſti. Qui hunc ad modum agit, ille agit in Nomine Chriſti, & ad gloriam Dei; atque ſervat illud præceptum Apoſtolicum, ***Sive editis, ſive bibitis, ſive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite***; 1.Cor.10.31. *Rat. 3.*

Quæritur an Chriſtianus teneatur in qualibet actione, Chriſti adjutorium expreſsè implorare, ad Chriſti gratiam & mediationem confugere, Chriſti denique gloriam actuali cogitatione in quolibet negotio reſpicere. *Dub.*

Reſpondetur, hanc Actualem cogitationem, ſive de Chriſti adjutorio, ſive de gratia, ſive de gloria Chriſti, non eſſe nobis pro conditione hujus vitæ, aut poſſibilem, aut neceſſariam: ſed neceſſarium eſſe ut in Habitu ſit fixum ; & quaſi radicatum in cordibus noſtris, propoſitum innitendi Chriſto, atque referendi totius vitæ noſtræ actiones ad Chriſtum. Sed illud etiam adjungendum, optimum eſſe, ut, quàm fieri poteſt ſæpiſſimè, actu levemus cogitationes noſtras ad Chriſtum inter agendum : debitum inſuper eſſe & neceſſarium, ut illud faciamus quoties actionis quam ſuſcipimus & tractamus natura illud poſtulat ; utpote ſi res ſacra ſit, aut momenti gravioris ad ſalutem noſtram. *Solut.* *Monitum*

Documenta.

Fallitur vulgus dum judicat licere ſibi, uti victu, veſtitu, ſermone, aut quacunque re adiaphorâ pro arbitrio ſuo: nam hæc omnia ad regulam adhibenda ſunt ; alioquin licèt in ipſa re nullum ſit vitium, erit tamen in utente. *Docum. 1.*

Qui rectum vitæ curſum tenere cupit, & actiones ſuas probè inſtituere, debet ad Chriſtum tanquam ad cynoſuram reſpicere. *Docum. 2.*

Nulla actio nobis inchoanda, ad quam perficiendam non audeamus Chriſti opem implorare ; quámque non judicemus propter Chriſtum Deo gratam & acceptabilem, ſaltem non ingratam & abominabilem fore. Hinc ſtatuant avari, libidinoſi, ebrii, omnéſque adeò improbi de ſuis actionibus. *Docum. 3.*

Ne bonas quidem actiones aggredi debemus freti viribus noſtris, ſed nixi divina ope, & mediatione Chriſti. *Docum. 4.*

Abutuntur Nomine Chriſti, qui illud adhibent ad ea quæ tendunt in Chriſti contumeliam, non in gloriam. Hîc largiter peccatur à Pontificiis, qui omnes ſuas ſuperſtitiones exercere, omnes errores obtrudere ſolent in Nomine Chriſti: Magis pro- *Docum. 5.*

fectò

fectò in hoc non diſſimiles, qui Chriſti nomen uſurpant, cùm Diaboli opera faciunt. Atque hæc de priore parte regulæ.

Gratias agentes Deo & Patri per eum] Hæc eſt illa altera pars regulę Apoſtolicæ, in qua monemur ut nos gerere oporteat erga Deum Patrem. Nam *Dei* vocabulum Perſonaliter hoc in loco accipitur, & *Patris* vocabulum Exegeticè apponitur. Idem igitur eſt *Deo, & Patri*, ac ſi dixiſſet, Deò qui eſt Pater & Chriſti & etiam noſter in Chriſto. Eadem loquendi formula adhibetur, Epheſ. 5. 20. Sed redeamus ad rem. Tria hîc obſervanda: Quòd gratiæ ſint nobis agendæ; Cui agendæ ſunt; Per quem.

1 Quod ad primum; gratię agendæ ſunt tum in uſu creaturarum, tum in ſucceſſu & eventu rerum omnium. Participatio creaturarum, quaſi debitum, à nobis exigit actionem gratiarum; alioquin brutis animalibus haud præſtabimus. Hinc illud Apoſtoli, 1.Tim.4.4. *Quicquid creavit Deus bonum eſt; nec quicquam rejiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur.*

Quinetiam in omni ſucceſſu & eventu rerum atque actionum noſtrarum gratiæ agendæ ſunt; quia omnia cooperantur in bonum illis, qui, Chriſti Nomine invocato, res licitas & honeſtas aggrediuntur. Hanc ob cauſam, ad Epheſ.5.20. pleniùs exprimitur hoc officium hiſce verbis, *Gratias agentes Deo* πάντοτε ὑπὲρ πάντων, *ſemper*, & *de omnibus*. Neque hoc officium noſtro nomine ſolummodò præſtandum; ſed tenemur etiam Deo gratias agere, ob beneficia in fratres, atque adeò in totam Eccleſiam collata. *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis &c.* 2.Theſ.1.3. Patet itaque hoc officium gratias agendi eſſe perpetuum &c.

2 Cui agendæ gratiæ? *Deo Patri*] Vſitatum eſt in Scripturis, hunc morem tum orandi tum gratias agendi præſcribere, ut ad perſonam Patris utraque actio dirigatur. Hujus autem rei non alia ratio eſt, quàm quòd Pater ſit fons Deitatis, à quo, tanquam à primario authore, omnia bona ad nos derivantur, mediante Filio, atque Spiritu eadem in nobis operante. Vt itaque ordo Naturæ & Operationis inſinuetur, ut plurimùm Patrem invocamus, Patri gratias agimus nominatim: neq; tamen Filium, aut Spiritum ſanctum ab ejuſdem honoris ſocietate excludimus; cùm una & eadem ſit trium Perſonarum eſſentia.

Addi etiam poteſt & illa ratio; quòd Patris nomen fiduciam nobis præbet colloquendi cum Deo: cùm enim Deum Patrem Chriſti invocamus, ſtatim fides concipit, eundem jam factum eſſe & noſtrum Patrem in Chriſto.

3 Per Quem? *Per eum*; ſcilicet *Chriſtum*] Per Chriſtum Mediatorem igitur, & invocare Deum debemus, & gratias agere poſtquam Deus nos audiverit invocantes: nam ne gratiæ quidem noſtræ gratę erunt Deo, niſi per Chriſtum, & propter Chriſtum. Agnoſcere igitur oportet, nec meritum ullum fuiſſe in nobis

bis obtinendi bona à Deo Patre, nisi per Christum; nec gratias agendi debitas inesse nobis facultatem, nisi per eundem Christum.

Documenta.

Qui in nomine Christi omnia agunt, semper habebunt copiosam materiam gratias agendi Deo, utcunque res ceciderint. *Docum. 1.*

Dei benedictionem agnoscere debemus in illis omnibus negotiis, quæ nobis bene succedunt, non nostris viribus aut consiliis prosperos eventus tribuere: gratias enim nunquam agit ex animo, qui *reti suo sacrificat*. *Docum. 2.*

Deus Pater non vult à nobis invocari, laudari, aut coli, nisi per Christum Filium suum, & Mediatorem nostrum: hujus igitur freti merito & favore apud Patrem, debemus hæc omnia nostra officia Deo exhibere: errant itaque qui alios Mediatores ad Deum Patrem sibi eligunt. Atque sic explicatam habetis universalem Apostoli hortationem, quæ omnes ex æquo Christianos respicit: sequitur jam particularis hortatio, quæ ad certos hominum ordines diversimodè dirigitur. *Docum. 3.* *Epilogus*

Vers. XVIII. XIX.

Vxores, subjectæ estote propriis dominis, ut convenit in Domino.
Viri, diligite uxores, & ne sitis adversus eas amarulenti.

IAm aggreditur Apostolus particularem, & œconomicam hortationem, & quoniam (ut rectè Philosophus observavit) sunt τρεῖς συζυγίαι ἐξ ὧν ἁπλῶς συνίσταται quarum primam constituunt Maritus & Vxor; secundam, Parentes & Liberi; tertiam, Dominus & Servi: hisce omnibus præcepta tradit Apostolus; orditur autem ἀπὸ τῆς γαμικῆς, utpote primâ & dignissimâ. *Polit. 1. 3.*

Observandum autem est, quòd priore in loco requirit officium uxoris, quamvis maritus in hoc primo jugo obtineat locum digniorem. Ratio duplex assignari potest. 1. Quia difficilius est subjectionis quàm dilectionis officium præstare: amare enim & diligere jucundum est; sed subjicere sese & parere alteri, plerunq, molestum & odiosum. 2. Quia dilectio viri, ut plurimùm pendet ex debita subjectione uxoris: si enim illa præstiterit suam subjectionem, nisi ferreus sit, non potest non suam dilectionem referre. Sed accedamus ad verba Apostoli.

Habemus in hoc versiculo decimo octavo, Propositionem, & propositionis Limitationem.

Propositio hæc est, *Vxores esse debent subditæ viris suis.*

Limitatio sive modus subjectionis, *Vt convenit in Domino.*

In ipsa propositione quatuor hæc breviter tractabimus.

Primò, quid sit subjectio in genere considerata. Secundò

quibus in rebus ſita ſit particularis hæc ſubjectio uxorum erga maritos. Tertiò, quæ ſint rationes impellentes fœminas ad præſtandum hoc officium ſubjectionis. Quartò, quænam ſint impedimenta ſive obſtacula, quò minùs hoc officium debitum ab illis præſtetur: nam & hæc cognoſcenda ſunt, ut vitentur, & removeantur.

1 Subjectio igitur creaturæ unius ad alteram in genere nihil aliud eſt, ſi ex parte Dei conſideretur, quàm divina diſpoſitio, quâ imperfectiora perfectioribus ſubordinata ſunt, ut per hanc ſubjectionem illa ab his perficiantur, regantur, & conſerventur. Si conſideretur ex parte creaturæ ſubjectæ, tum virtus ſubjectionis eſt prompta ejuſdem inclinatio ad parendum huic ordini ab ipſo Deo conſtituto.

Videmus ſine hac ordinata ſubjectione nec res Naturales, nec ſocietates Politicas, imò ne mundum quidem ipſum poſſe conſiſtere. Terrena omnia & ſublunaria cœleſtibus ſubduntur: cùm enim ſint naturâ imperfectiora, & ignobiliora, perfectionem ſuam conſequi non poſſunt ſine naturali hac ſubjectione. Sic in Politicis ſocietatibus, imperium & ſubjectio, non ſolùm inter res utiles; ſed inter res planè neceſſarias habentur. Polit. 1. 3. Hinc Magiſtratibus cives, Imperatoribus milites ſubjiciuntur, in bonum & emolumentum ſuum magis quàm illorum, quibus ſubſunt.

Corollaria,

Coroll. 1. Author creaturarum non vult illas confundi per ἀταξίαν. *Non enim eſt ſeditionis author Deus, ſed pacis*; 1. Cor. 14. 33. Deo igitur repugnant, qui ordinem parendi & imperandi ſublatum volunt.

Coroll. 2. Non eſt vilis & abjecti animi indicium, ſed generoſi, & à lege Creationis non deviantis, promptè, & lubenti animo ſubjici melioribus. Vnde illa Ethnicorum dicta, *Facile imperium in bonos. Peſſimus quiſque aſperrimè rectorem patitur.*

Coroll. 3. Qui debitæ ſubjectionis jugum excutiunt, ſibi malè conſulunt: nam verum eſt illud adagium vetus, Παιδαγωγία δὲ τῆς εὐταξίας μήτηρ, *Obedientia mater felicitatis.* Sed non eſt diutiùs hærendum in generalibus: veniamus ad particularem ſubjectionem uxorum; Hanc itaque ſitam eſſe dicimus in tribus,

Primò, in cordis actu interno, quando uxor agnoſcit in mente ſua virum ſuum eſſe, & eſſe debere Caput & Rectorem ſuum, ſéque inferiorem eſſe, vel hoc ſolo nomine, quòd uxor ſit, quamvis genere, divitiis, virtute, prudentiâ viro antecellat. Hæc cordis demiſſio fons eſt externæ ſubjectionis; ſine hac, aut coacta, aut ſimulata eſt omnis ſubjectio. Hanc internam animi diſpoſitionem videtur Apoſtolus ſpectâſſe ad Epheſ. 5. 33. *Vxor revereatur virum.* Hanc piam Saram habuiſſe conſtat, quæ virum ſu-

um

um Abrahamum *Dominum* vocavit, non blandiendi conſuetudine; ſed hujus ſubjectionis teſtificandæ voluntate; 1. Pet. 3. 6.

Secundò, ſubjectio hæc uxoris ſita eſt in ſtudio conformandi mores & affectus ſuos, quantum fieri poteſt, ad mores & affectus mariti ſui in rebus mediis & licitis, αἱ γὰρ ἀνομοιότητες περὶ ἡδῶν, ἔχουσα φιλικόν· Ariſt. Oeconom. 1. cap. 4. Difficile quidem hoc eſt; ſed quò difficilius, eò laudabilius: Difficile eſt, quia omnes ſuos mores probant, ſuis affectibus indulgent, atque contrarios averſantur:

Oderunt hilarem triſtes, triſtemque iocoſi. *Horat. Epiſt. lib. 1. epiſt. 18.*

Laborioſum eſt igitur, quaſi exuere indolem ſuam, & induere alienam: Sed hoc uxori neceſſarium eſt, & in ea inprimis laudandum: nam ut ſpeculum gemmis ornatum, & affabrè politum, nihili eſt, niſi exprimat imaginem veram inſpicientis; ſic uxor, quantumvis dotata & pulchra, niſi conformem ſeſe præbeat moribus conjugis. Hoc ſtudium conformandi ſeſe ad mariti indolem arbitror Apoſtolum ſpectâſſe 1. Corinth. 7. 34. Vbi dicit nuptam μεριμνᾷν πῶς ἀρέσει τῷ ἀνδρί· Sæpe & ſeriò cogitat,

Atque animum celerem, nunc huc, nunc dividit illuc,

ut viam inveniat placendi marito: hæc autem compendioſiſſima eſt, ſi ad mores illius, & affectus, ſeſe accommodare, ſuóſq; componere ſtudeat.

Vltimò, ſubjectio hæc ſita eſt in præſtandis illis officiis & muneribus quæ illi incumbunt. Primarium officium eſt, virum ſuum amare ſanctè, curare officiosè, illíque eſſe adjumento & ſolatio in omni fortuna: *Ament viros ſuos*; Tit. 2. 4. *Afficit illum bono omnibus diebus vitæ ſuæ*; Prov. 31. 12. Huic connexa ſunt officia curandi familiam, & liberos, reliquáque domeſtica negotia adminiſtrandi κατὰ τὰς τεταγμένας νόμους, ut loquitur Philoſophus. Hanc ob cauſam jubet Paulus, vxores eſſe φιλάνδρους, καὶ οἰκουρούς, ad Tit. 2. verſ. 4. & 5. Et refert Plutarchus Ægyptias mulieres calceis omnino uſas non fuiſſe, ut domi ſuæ diſcerent reſidere, & domeſtica munia obire. Hæc omnia pertinent ad ſubjectionem vxoris; quæ leviter perſtrinxiſſe ſufficiat; non eſt enim inſtituti noſtri de hiſce ſingulis fusè diſſerere. *Gen. 2. 18.*

Iam accedendum tertio in loco ad illas rationes quæ excitare & impellere debent omnes probas, & pias matronas ad hæc ſubjectionis officia præſtanda. 3

Prima ſumitur à divina ordinatione, cui piam mentem refragari nefas eſt: religioſa enim obedientia non diſcutit Dei mandata, ſed facit. Deus autem apertiſſimè ſanxit hanc ſubjectionem muliebrem, Geneſ. 3. 16. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur in te.* *Rat. 1.*

Secunda ſumitur à naturali mulieris imperfectione: nam naturâ viro infirmior eſt, & ineptior ad regimen, & tutelam ſui. Quod & ſacra Scriptura, & Philoſophia teſtatur. Dicuntur muli- *Rat. 2.*

eres *vaſcula infirmiora*; 1. Pet. 3. 7. Et Philoſophus dicit illas habere quidem τὸ βουλευτικὸν, ἀλλ' ἄκυρον, & virtutem mulieris eſſe διανοητικὴν, non ἀρχικήν. Politicorum 1.cap.8.

Rat. 3. Tertia ſumitur ab ipſa creationis ratione: nam mulier poſt virum, ex viro, & propter virum creata eſt. Illud autem propter quod aliud eſt, eſt illo melius & nobilius. Hoc urgetur ab Apoſtolo, 1.Cor.11.8.9.

Rat. 4. Quarta ſumitur à mulieris tranſgreſſione; illa enim ſeducta violavit mandatum divinum, & pellexit maritum in ſocietatem tranſgreſſionis. Æquum autem ut deinceps uxor auſcultet marito; quia maritus periit auſcultando uxori. Hac ratione utitur Apoſtolus 1.ad Tim.2.14.

Rat. 5. Quinta ſumitur ab incommodo negatæ hujus ſubjectionis, & turbatæ divinæ ordinationis: nam ut in rebus Phyſicis, turbatio ordinis naturalis multa & magna parit incommoda, tonitrua, inundationes, & terræ motus; ſic turbato ordine debitæ ſubjectionis uxoris erga maritum, audiuntur in domo rixæ & clamores, quaſi tonitrua; concutiuntur eorum pectora metu & mutuis ſuſpicionibus, quaſi terræ motibus; obruitur denique tota illorum vita miſeriis & lacrymis, quaſi inundationibus. Facile eſſet plures rationes coacervare; ſed hiſce contenti erimus.

4 Illud jam reſtat, ut ultimo in loco ſolita impedimenta hujus ſubjectionis oſtendamus, & vitanda moneamus, non omnia, ſed præcipua.

Imped. 1. Primum eſt ſuperbia, quæ facit uxorem de ſe ſuiſque omnibus, utpote de forma, de prudentia, de genere magnificè ſentire: è contrà, virum ſuum (tanquam qui imperet tali fœminæ indignum) contemnere, & flocci facere. Vt huic malo occurratur, cogitet viri dignitatem, ſuámque inferioritatem non æſtimandam eſſe ex virtutibus, forma, nobilitate, divitiis; ſed ex ſola ordinatione divina; in hac fundatur mariti authoritas, & ſubjectio uxoris, quæ abrogari, aut mutari ex cauſis iſtis accidentalibus nec debet, nec poteſt: Illud etiam perpendat, eſſe ut plurimùm ſtultitiæ & inanitatis argumentum, de ſua virtute & prudentia præſumere: vacua enim ferè ea omnia ſunt, quæ de facili inflantur. Poſtremò, & illud intelligat, hunc motum ſuperbiæ à diabolo manare, qui, ut infuſo hoc veneno Evam incitavit ad comedendum illud pomum à Deo prohibitum; ſic Evæ filias eodem inſtillato veneno indies ſolicitat ad excutiendam ſubjectionem à Deo præſcriptam.

Imped. 2. Secundum eſt defectus veri, & genuini amoris: non enim ſtudet placere marito; cui maximè diſplicet, quòd nacta ſit talem maritum. E contrà, verus amor perpetuus eſt monitor, & optimus

mus obedientiæ magiſter. *Tene amorem: nam ex eo pendent omnia officia; in eo tenebis quod didiciſti, & quod non didiciſti.* Si igitur amor deſit, nec ſcit fœmina placere marito, nec curat. *Auguſt.*

Hoc malum vitabitur; 1. Si parentes filias ſuas non cogant ad inviſas nuptias; ſed priùs quàm dent nuptum, faciant quod factum legimus Rebeccæ, Gen.24.57.58. *Tunc dixerunt, Vocemus puellam ipſam, & interrogemus ex ore ejus: vocantes ergò Rebeccam dixerunt, Viſne proficiſci cum hoc viro? Dixit illa, proficiſcar.* 2. Si ipſæ caveant in contrahendo matrimonio, ne honoris, aut divitiarum causâ eligant maritos, quos minimè ſentiunt ſeſe medullitùs amare. Poſtremò, ſi poſt contractas nuptias vitent ſedulò vel leviſſimas offenſionum occaſiones: ut enim res conglutinatæ initio quavis alliſione divelluntur; ſic etiam novus amor conjugum: ſed & Deus etiam perpetuò invocandus, ut conjugum pectoribus infundat verum, & ſanctum amorem: laſcivus enim & vagus amor eſt qui à ſola carne oritur; caſtus & conſtans à Spiritu originem ducit.

Tertium eſt ſtulta affectatio vanitatum diverſarum: non enim poteſt præſtare officia domeſtica ſpectantia ad ſubjectionem conjugalem, quæ tota abripitur ſtudio nugarum à matronali officio alieniſſimarum. Huc refero deſiderium illud immodicum prodeundi in publicum, ut ſpectent, & ſpectentur; quod ſemper conjunctum eſt cum nauſea curæ oeconomicæ. Hinc etiam pullulat luxus in veſtitu, fucus in vultu, in toto denique vitæ genere pompa quædam quaſi hiſtrionica. Quæ ex hoc vanitatis morbo inſaniunt, nec maritum, nec filios, nec familiam curant: ut itaq; huic malo obſiſtatur, cogitent uxores, non oculis populi; ſed unius mariti placendum. *Inhoneſtum* enim *eſt* (ut loquitur Clemens) *corporis pulchritudinem facere hominum aucupium*; Pæd.2. Inhoneſtius, *de adulterio vultus, meditari adulterium caſtitatis*; Aug. de Doct. Chriſt. 4. 21. Si itaque ornatui ſtudere volunt, audiant Tertullianum; *Sumant de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem; inſerant in aures margaritas verbi, &c.* Sed & Apoſtolus ab iſtis vanis, ad hæc vera ornamenta revocat, 1. Tim.2.9. *Imped.* 3. *Prov.7.10.* *De Cult.fem.*

Vt convenit in Domino] Verba hæc, vel rationem continent prædicti mandati, vel potiùs limitationem. Si rationem, hoc modo exponenda ſunt; Subditę eſtote viris veſtris; quia ſic juſſit Chriſtus Dominus veſter, cujus ordinationi æquum eſt ut pareant Chriſtianæ. Sed de hac ordinatione divina dictum eſt. Si igitur limitationem continent hæc verba (quod potiùs probo) tum ſic explicanda ſunt: Subditę eſtote viris veſtris, non in omnibus abſolutè & promiſcuè; ſed quatenus Dominus permittit, vel quatenus convenit fœminis, quæ ſunt in Domino, id eſt, fidelibus & Chriſtianis.

Hujus limitationis occaſio indè nata, quòd multæ fideles fœminæ junctæ erant infidelibus viris, quibus eatenus parere tenebantur, quatenus id fieri potuit, non violatâ fide, & religione Chriſtianâ. Si enim conjux infidelis uxorem ad cultum Idololatricum adigere conatus fuiſſet, reſiſtendum fuit, & illud Petri regerendum; *Obedire oportet Deo potiùs quàm hominibus*; Act. 5. 29. Eadem ratio eſt ſi maritus ad quodlibet peccatum tentet pellicere uxorem ſuam: nam non convenit illis, quæ ſunt in Domino, in talibus parere. Fundamentum hujus exceptionis illud eſt, quòd omnis authoritas, & ſuperioritas à Deo derivetur, & divinæ authoritati ſubordinetur: Præceptum igitur inferioris poteſtatis non obligat ad obedientiam, quando contrariatur præcepto ſuperioris, ut bene Durand. lib. 2. diſt. 39. quæſt. 5. Illud igitur Gregorii ſemper retinendum; *Sic placeat uxor voluntati conjugis, ut non diſpliceat voluntati Conditoris.*

Corollaria ab hac limitatione.

Coroll. 1. Vxores ſuis viris morigeræ, in hac debita ſubjectione, ipſi Deo gratum præſtant obſequium; quia viris ſubjiciuntur non tantùm ipſorum causâ; ſed multò magis in Domino, & propter Dominum.

Coroll. 2. Vxor ſocia & adjutrix eſſe tenetur viro ſuo, in proſperis & adverſis, in omnibus oeconomicis officiis; ſed nullo modo in peccatis.

Coroll. 3. Imprudentiæ, & etiam impietatis ſignum eſt, talem maritum eligere qui videtur ſuaſurus ea uxori, quæ non conveniunt in Domino. Hoc viderint, qui nullo diſcrimine nubunt Papiſtis, aut quibuſlibet Hæreticis, & improbis, modò ſpes divitiarum indè affulſerit. Atque hæc de ſubjectione uxoris, déque limitatione ejuſdem.

VERS. 19. *Viri diligite uxores, & ne ſitis adverſus eas amarulenti.*

Prudenter à Chryſoſtomo dictum eſt; *in exhortationibus ſemper æquandas eſſe lances:* quod Paulus in tota hac ſua hortatione accuratè obſervavit. Superiore verſiculo in unam lancem conjecit officia uxorum; jam ponit in altera maritorum quoque officia; ut cùm utraque paribus librata ſit ponderibus, neque illa plus æquo deprimatur, neque hæc ſuprà quàm oportet extollatur. Vt itaque accedamus ad verborum explicationem: Mariti officium hoc in loco exprimitur; Præcepto imperante amorem; Interdicto vetante amarulentiam.

1 Præceptum primò explicandum eſt; *Viri diligite uxores*] Diligendi vocabulum, tum ad Affectum, tum ad Effectum referre oportet: quod manifeſtè colligitur ex 5. ad Epheſ. 25. ubi amor Chriſti erga Eccleſiam proponitur maritis in exemplum; *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam,*

&

& ſemetipſum expoſuit pro ea. Ἠγάπησε, Affectum indicat; Παρέδωκε, Effectum amoris demonſtrat.

Primò igitur requirit Apoſtolus affectum amoris, nimirum ut vir uxorem amet ex animo, & corde. Hic enim internus amoris affectus dat ipſum cor rei amatæ, quod eſt donum pretioſiſſimum & primum, ac illud denique in quo omnia alia dona dantur, cùm occaſio poſtulat: nam amor eſt diffuſivus ſui boni. Non malè Philoſophus, Rhetor. 2. 8. τὸ φιλεῖν ὅτι βέλτιστα ἴσασι ἃ ὄντως ἐγαθὰ, ἐκεί νε ἕνεκα, ἀλλὰ μὴ ἀυτῶ· καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τέτων. Talem igitur affectum requirit in corde mariti. Sed quia non poſſumus in corda hominum oculos inſerere, ut affectus internos videamus, effecta externa requiruntur ad amoris teſtificationem: nam probatio dilectionis eſt exhibitio operis. Ad illa veniamus.

Maritalis amor in tribus potiſſimùm effectis exprimi debet.

Primum in eo ſitum eſt, ut lubens & lætus domi ſuæ vivat cum uxore; præſentiâ ejus, & conſortio delectetur; avelli ſeſe ab ea in longum aliquod tempus niſi cauſis neceſſariis non patiatur; ut denique alibi jactari ſeſe, & fluctuare exiſtimet; in domo autem apud uxorem ſuam, tanquam in portu optato conquieſcere. Quamvis enim ità animo comparati eſſe debent conjuges, ut, ſi neceſſitas ferat, poſſit alter alterius abſentiam æquo animo ferre; tamen non eſt ferendum ut maritus odio vel tædio habeat conſortium propriæ uxoris, aut libentiùs alibi ſit, quàm cum ea: nam verus amor maximè delectatur præſentiâ amati, & quaſi cruciatur ejuſdem abſentiâ. Hunc amoris effectum videmus in Chriſto erga Eccleſiam: nam ille nunquam illam deſerit, aut ſolam relinquit; ſed præſtat quod promiſit, Matt. 28. 20. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi:* ſic igitur & animatus debet eſſe maritus erga uxorem ſuam, ut ſit cum illa omnibus diebus uſque ad extremum vitæ ſuæ ſpiritum. Hoc Salomon exigit ab omni marito pio & probo, Prov. 5. 18. 19. &c. *Lætare cum uxore adoleſcentiæ tuæ: ſit cerva chariſſima, & hinnulus tibi gratioſus: in amore ejus lætare jugiter. Quare errares cum extraneâ?* &c. Imò ipſe Philoſophus ad viri injuſtitiam refert, ſi uxorem ſuam ſpernat, & alibi indulgeat voluptatibus illicitis: atq; vocat illam individuam vitæ ſocietatem, & debitam benevolentiam, quam maritus uxori præbere tenetur, ὁσίαν καὶ ἀγνοτάτην συνδιαιτησιν, καὶ γαμικὸν γέρας. *Oecon. 1. 8.*

Rejicienda itaque opinio, vel potiùs impietas Aelii Veri Imperatoris, qui in hoc falſus, quòd dixerit uxorem eſſe nomen *dignitatis*, non *voluptatis*: quaſi uxores ſat habere deberent, quòd mariti illas dignentur honorare contracto cum illis matrimonio; maritis autem interim licitum eſſet, extra matrimonium ſectari delicias, vel potiùs nequitias, pro arbitrio ſuo. Atque hæc de primo amoris effecto.

Secundum amoris officium eſt, dirigere & erudire uxorem pro virili, in illis omnibus quæ ſpectant vel ad hanc vitam probè tranſigendam, vel ad æternam conſequendam. Hanc ob cauſam in ſacris Literis dicitur vir *Caput uxoris:* ut quemadmodum à capite corpus; ſic à marito uxor dirigatur ad commune bonum utriuſque. Ariſtoteles ſcribit prudenti marito, Οὐδὲν παραπλήσιον τῶν εἰς παίδευσιν γαμετῆς συνεργόντων· Atque cauſam affert; ut illa ſcilicet bene inſtituta poſſit liberos meliùs erudire. Hoc etiam apud Xenophontem in Oeconomico feciſſe ſe ſedulò dicit Iſchomachus, quem ſuaviſſimus ille Scriptor propoſuit tanquam exemplum boni mariti, ut Cyrum boni Regis. Ipſe igitur dicit ſe docuiſſe uxorem ſuam, ut curandis iis quæ ad munus ipſius pertinent ſufficeret, atque hunc in finem à Deo priùs petiiſſe, tum ut ipſe quæ utrique eſſent optima, doceret, tum ut illa eadem addiſceret.

Oecon. lib. 1. 8.

Hoc officium amoris ne ipſos quidem Ethnicos (ut videtis) latuit, præſertim quatenus ſpectat hanc vitam; ſed ſacri Scriptores etiam ad alteram vitam hanc mariti curam extendunt: debet enim etiam in religionis negotio, & iis quæ ſalutem ejus æternam ſpectant, uxorem erudire. Nam hoc maximum eſt veri amoris indicium, curare ut uxor unà ſecum ritè colat Deum in hac vita, quò unà frui Deo poſſint in futurâ. Hanc ob cauſam Paulus 1. Cor. 14. 35. remittit uxorem ad maritum, tanquam ad præceptorem domeſticum; *Si quid diſcere volunt uxores, domi ſuos viros interrogent:* Debent igitur mariti uxores ſuas dirigere in rebus terrenis & ſecularibus; quia ſunt comparticipes omnium terrenarum: debent etiam in divinis & cœleſtibus; quia ſunt cohæredes bonorum cœleſtium: συγκληρονόμοι χάριτος ζωῆς, ut loquitur Petrus 1. Pet. 3. 7.

Tertium & ultimum effectum amoris eſt, providere uxori ſuæ de rebus omnibus neceſſariis. Atque hoc in loco oportet maritum, Chriſti curam & providentiam imitari: nam ille ſuæ Eccleſiæ nihil deeſſe voluit, quod ad veſtitum, victum, vitam, valetudinem illius eſſet vel neceſſarium, vel conducibile: ſic maritus labore ſuo acquirere, & ex amore ſuo communicare debet conjugi, quicquid ejus aut neceſſitas, aut perſonæ dignitas poſtulabit. Qui hoc officium ſuſque, deque habet, ſubjacet cenſuræ illi graviſſimæ; *Si quis ſuis, & maximè domeſticis non providet, fidem abnegavit, & eſt infideli deterior;* 1. Tim. 5. 8.

Hinc conjecturam facere licet, quid de illis prodigis helluonibus ſentiendum ſit, qui non ſolum non providenſ familiæ ſuæ; ſed quæ bene proviſa ſunt diſſipant ludendo, potando, ſcortando; uxore interim & liberis ringentibus, & tantùm non inopiâ & fame pereuntibus. In hiſce nec amor viget mariti, nec fides Chriſtiani; quos non excuſat, quod dicere ſolent, ſe quæ ſua ſunt

ab-

abſumere: nam nec divinæ, nec humanæ leges permittunt cuiquam rebus ſuis abuti pro libidine. Adde, quòd omnium bonorum, quæ ſpectant ad maritum, uxor quoque particeps eſſe debet, non minùs quàm cogitur particeps eſſe omnium malorum. Atque hæc de tribus amoris effectis, quæ ut meliùs præſtentur, cautionem neceſſariam auctarii loco adjungemus.

Qui in diligenda uxore præſtare cupit officium ſuum, in eligenda caveat vulgi errorem; nec *ſolis oculis*, nec *ſolis digitis* putet ineundum ab initio matrimonium; ut loquitur Plutarchus in Conjug. Præcep.

Illi dicuntur oculis ſolis inire matrimonium, qui in ducenda uxore præcipuè ſpectant externam ejus formam & pulchritudinem. Amor ille, qui tam inſtabili fundamento nititur, ſtabilis & conſtans eſſe nullo modo poteſt. Neque hoc ſic dictum velim, quaſi illicitum eſſet uxorem facie decoram expetere: nam videmus ſanctiſſimum & caſtiſſimum Patriarcham Iacobum Rachelem Leæ prætuliſſe; ſed ut intelligatur pulchritudinem externam non præcipuè, aut per ſe appetendam in matrimonio ineundo; ſed quatenus eſt pulchræ animæ quaſi pulchrum veſtimentum. *Gratior eſt pulchro &c.* De moribus itaq; prima fiat quæſtio; ſi illi probi, & laude digni extiterint, tum forma non negligatur, quæ à Tertulliano *felicitas corporis*, *divinæ plaſticæ acceſſio*, atque *animæ veſtis urbana* non inſcitè vocatur. Salomonis ſententia hac in re tenenda, Prov.31.30. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo; mulier timens Dominum ipſa laudabitur.*

Iam digitis inire matrimonium dicuntur, qui tantùm ſpectant quid afferat uxor in pecuniis numeratis; ſi dos placeat, de probitate aut pietate parum aut nihil ſoliciti. Hi pejores ſunt prædictis: nam illi formam reſpiciunt, bonum ſcilicet conjunctum; hi pecuniam, bonum nimirum ſeparatum. Illorum igitur amor levis, horum planè nullus: non enim uxorem quærunt; ſed pecuniæ portatricem; poſtquam in pecuniam ungulas injecerint, illam quæ apportavit flocci faciunt: Sed piorum eſt, & ſapientum, malle uxorem pecuniâ, quàm pecuniam uxore indigentem, & reſpicere illud in eligenda uxore, quod poteſt, & debet maximè promovere ad conſtanter diligendam uxorem. Atq; ſic explicatum vobis dedimus Præceptum, quod amorem imperat; jam ad Interdictum veniendum eſt, quod amaritudinem prohibet.

Ne ſitis adverſus eas amarulenti] Verbum Metaphoricum eſt, ab ingratis & amaris cibis deductum, quorum guſtu homines offenduntur. Hoc dicto igitur innuit Apoſtolus, dulcem & mitem eſſe debere converſationem mariti erga uxorem; non inſuavem & aſperam: Imò, ut loquitur Ambroſius in Hexaem.5.7. Etiamſi *habeat naturalem rigorem, debet tamen illum mitigare ipsâ contemplatione conjugii.* Quod ipſis Ethnicis etiam viſum

eſt:

eſt: Nam (ut refert Plutarchus) *qui Junoni nuptiali ſacrificabant, fel hoſtiæ exemptum abjiciebant, eâ cæremoniâ ſignificantes, Conjugio bilem & amarulentiam intereſſe non oportere.*

Amarulentia hæc prohibita in tribus ſeſe oſtendere ſolet; Affectibus, Dictis, Factis.

1 Primò, in ipſis affectibus maritorum: Quoad affectus enim amarulenti ſunt, qui ob leves cauſas, & delicta quantumvis minuta exaſperantur contra uxores, & illas aut odiſſe indè incipiunt, aut ſaltem remiſsè, & languidè diligere. Qui hoc modo affecti ſunt, quamvis uxoribus ſuis nec faciant, nec dicant quicquam malè, ſæpe tamen injucundam, atque ingratam reddunt conjugalis vitę ſocietatem.

Hanc amarulentiam fugiendam eſſe colligitur;

1. Ab ipſo præcepto diligendi uxores, quod maritis imponitur: non enim admittit illam exceptionem, Si fuerint, vel dum fuerint ab omnibus peccatis immunes: Deus enim, qui hoc præceptum dedit de diligenda uxore, novit bene neminem mortalium ſuis nęvis & imperfectionibus carere: ſupervacaneum itaq; (& ridiculum) fuiſſet præceptum, annexâ aut ſubintellectâ hac conditione planè impoſſibili, Vt igitur illa tenetur parere marito, non obſtantibus multis ejus imperfectionibus; ſic & maritus diligere uxorem: ſi ob cauſas leviculas vel remittat affectum dilectionis, amarulentiæ tribuetur.

2. Ab exemplo Chriſti hoc etiam patet, qui proponitur in exemplum maritis ab Apoſtolo: nam ille Eccleſiam ſuam non odiſſe, aut ſpernere ſolet ob multos ejuſdem nęvos & peccata; ſed potiùs ipſa ejuſdem peccata ſtudet emendare & tegere, odio interim nullo redundante in perſonam: Talis debet eſſe affectus mariti in uxorem: Nullum igitur uxoris vitium aut peccatum extinguere debet affectum illum maritalem, niſi ejuſmodi ſit, ut ipſum matrimonium poſſit extinguere & diſſolvere: nam matrimonio conſtante manet uxor una caro cum marito: *Nemo* autem *unquam carnem ſuam odio habuit; ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*; ad Epheſ. 5. 29.

3. Ab ipſorum Ethnicorum confeſſione: nam ipſe Ariſtoteles luce naturæ imbutus videbat, non debere maritum ob quodvis delictum animo alieno ſtatim fieri ab uxore; ſed, ut ille loquitur, Τὰ μὲν μικρὰ τῶν πλαισμάτων, parva delicta condonet lubens, licèt fuerint voluntaria: ſi verò per ignorantiam etiam in illis quæ majoris ſunt momenti offenderit, ſat habeat monuiſſe, & erudiviſſe illam, non odiſſe. Atque ſic videtis omnem amarulentiam ab ipſo animo & affectu maritorum procul eſſe arcendam. *Oecon. 1. 8.*

2 Secundò, ſita videtur hæc amarulentia in verbis aſperis, contumelioſis, aut quibuſcunque aliis amori conjugali repugnanti-

bus:

bus: mollis enim animus non minùs vulneratur aſperis verbis, quàm corpus acutis telis. Vnde apud Pſalmiſtam verba nonnunquam ſagittis & gladiis comparantur. Non oportet itaque maritum hiſce gladiis uxorem vulnerare. Pſalm. 55.

Ad contumelioſa verba quod attinet, ſunt ab officio & amore maritali alieniſſima: nam contumeliæ ſcopus eſt, ut quis gaudeat ejus dedecore, quem contumeliosè tractat: At barbarum eſt gaudere propriæ uxoris dedecore. Sed nec illa iracundorum amarulentia ferenda, quæ prorumpit in verba dura, & in minas, etiamſi nullum ſit propoſitum, aut contumeliæ, aut injuriæ inferendæ. Nam ſi quis iraſcitur cuivis fratri ſuo, & prorumpit in verba aſpera, *reus erit gehennæ*; Matth.5.22. Tum quantò magis, qui id facit adverſus uxorem ſuam? Vt itaque exulet à matrimonio omnis amarulentia, retineatur in memoria illud præceptum, Prov.5.18. *Lætare cum uxore adoleſcentiæ tuæ:* non rixare, convitiare, minare, ſed *lætare*. Ariſt. Rhetor.

Tertiò, amarulentia, eáque amariſſima ſita eſt in factis, cùm ſcilicet maritus immemor planè quæ ſit ſocietas conjugalis, Tyrannum ſeſe exhibeat; uxorem autem ùti ſervulam ſuam tractet. Hanc amarulentiam ipſa matrimonii inſtitutio repudiat: non enim Deus dedit Evam Adamo in ſervam aut mancipium, ſed in ſociam aut adjutorium. *Non es dominus, ſed maritus; non ancillam ſortitus es, ſed uxorem: gubernatorem voluit te eſſe Deus ſexûs inferioris, non* tyrannum *præpotentem*; Ambroſ. Hexa.5.7.

Tyrannis autem hæc exercetur in uxorem multis modis:

1. Quando ab omni imperio oeconomico removetur, & quaſi in ordinem ancillarum cogitur, fortaſſe etiam illarum alicui ſubjicitur. Sed hoc repugnat inſtituto matrimonii, quo uxor aſſumitur ad familiæ ſupremam ſub viro adminiſtrationem. Vnde Xenophon uxorem vocat Νομοφύλακα σῴζειν τὴν οἰκίαν· Et Ariſtoteles ait, δεσπόζειν ἧττον· Quinetiam ſacræ Scripturæ hoc munus illi aſſignant, Prov. 31.27. Tit. 2.5. Quamvis igitur ipſi marito parere uxori jucundum eſſe debet; tamen amarulentum eſt, ſi ſubeſſe cogatur ſervę ſuæ, aut ſi non ſinatur pręeſſe. Abrahamus noluit adverſus Saram amarulentus eſſe hac in re, atque eapropter ejecit ancillam ex ædibus, quę cœpit eſſe dominæ ſuę immorigera, & moleſta; ut colligere licet ex Geneſ.16.4.

2. Ad hanc tyrannidem etiam ſpectat, cùm uxori à marito negantur, aut auferuntur ea, quæ ſpectant ſive ad neceſſitatem ejus, ſive etiam ad dignitatem. Nam illa, virtute pacti matrimonialis, particeps eſſe debet omnium bonorum unà cum marito: Injuſtitiæ igitur eſt, ſi in ſuos uſus abſumat etiam plus quàm res patitur; uxori interim quod æquum & bonum eſt detrahat. Hoc amarulentum cenſetur in agente, & amarum ſapiat neceſſe eſt

patienti,

patienti; Πάντες γὰρ τὰ γήϊνα ἴδια ἀποτερέμενοι, σφόδρα φέρουσι χαλεπῶς. Ariſt. Oecon. 1. 8.

3. Vltimò, culmen eſt amarulentę iſtius tyrannidis, etiam verberibus ſævire in uxorem, quod ne apud Ethnicos quenquam feciſſe legimus, niſi temulentum aut inſanum. Hinc lex Civilis permittit uxori *repudii auxilio uti, ſi probare poſſit maritum verberibus illam affeciſſe:* & rationem reddit, *quia verbera ſunt ab ingenuis aliena*; Codex, lib. 5. Tit. 17. de Repudiis; atque in Novel. Conſtitut. 117. Non enim quævis ſuperioritas dat poteſtatem coercendi inferiorem per verbera. Si duo ineant amicitiam hac lege, ut qui minor eſt ætate pareat majori, & illius conſilio & prudentiâ dirigatur in omnibus: virtute hujus pacti tenetur obedire; ſed ſi id facere recuſet, non poteſt verberibus cogi ad officium. Idem dicendum eſt de contractu matrimoniali; nam in hoc conveniunt maritus & uxor in amicabilem quandam vitæ ſocietatem, ità ut uxor viro ſubjecta ſit, & ab illo dirigatur; ſed ut ſocia, non ut ſerva; conſiliis, non plagis.

Ariſt. Oecon. Rationem affert Philoſophus, quia *non oportet uxori talem metum incutere, qui repugnat & pudori & amori:* utrunque autem tollit metus ille ſervilis qui per verbera incutitur.

Neque oportet quenquam exercere in alium invitum poteſtatem nullo jure nixam; ſed nec divinâ, nec humanâ lege nititur poteſtas illa caſtigandi uxorem per verbera.

Adde denique, Illud non faciendum, quod ſine peccato fieri non poteſt, quódque ſemper ex hoc peccato amarulentiæ originem ſuam ducit: nam quamvis parentes filios ſuos ſæpe caſtigant ex amore; tamen & experientia, & conſcientia uniuſcujuſq; teſtabitur, neminem ad uxorem verberibus afficiendum venire, niſi ex ira, amaritudine, aut odio, quæ omnia illicita ſunt, & matrimonio ex diametro contraria. Removeatur itaque omnis amarulentia.

Atque hactenus dictum eſt de officio uxoris & mariti: proximo in loco ſequitur officium liberorum & parentum; inter quos ſita eſt ſecunda combinatio œconomica.

VERS. XX.

Filii obedite parentibus in omnibus: hoc enim gratum eſt Domino.

DIximus ſecundam συζυγίαν œconomicam ſitam eſſe inter parentes & filios; hos itaque ſuo jam loco ſalutaribus documentis imbuere conatur. Vt autem ab uxorum officio exorſus eſt, in priori illa συζυγίᾳ ordinanda; ſic à filiorum jam orditur, eaſdem (utì opinor) ob cauſas, aut ſaltem non multùm diſſimiles.

les. Hunc itaq; ordinem ſecutus eſt Apoſtolus; tum quòd filii ſæpiùs deficiunt in officio obediendi, quàm parentes in officio amandi; tum quòd hoc officium obediendi ritè præſtitũ, non poteſt non parentes ad ſuum præſtandum allicere. Sed veniamus ad verba.

Habemus in illis Præceptum; ***Filii obedite &c.*** & præcepti Rationem; ***Hoc enim gratum eſt &c.***

In præcepto tria notanda: quibus detur; qua de re; quàm latè pateat.

Τὰ τέκνα] Hiſce verbis videmus quibus proponitur hoc præceptum. Interpres reddidit, ***Filii:*** ſed Græcum hoc vocabulum latiùs patet; nam fœtum ſive prolem in genere deſignat. Extenditur itaque ad filios & filias, imò ad nepotes: nam & ſecundum Scripturas, & ſecundum Iuriſconſultos, filiorum appellatione nepotes continentur; ut cùm dicuntur Iudæi ***filii Iſrael*** &c. Quiſquis itaque τέκνον alterius eſt, habet hoc ipſo nomine cui debet honorem & obedientiam. 1

Obſervationes.

Nulla ætas eximit filium ab officio in parentes; quia ſemper manet, etiam in provectiori ætate, fundamentum officii indiſſolubile. *Obſerv.* 1.

Nullus honor liberat ab hoc debito: nam etſi magiſtratus eſt eâ ratione politicâ honoratior privato; tamen filius hac ratione originis traductæ, eſt ſemper inferior patre. ***Ioſephus obviam prodit patri*** &c. Gen.46.29. Quiſquis itaque filius eſt, nec ætate, nec honoribus, nec divitiis, nullo denique modo eximi poteſt à debito filiali. Sed quodnam illud eſt? *Obſerv.*2.

Obedite parentibus] Hîc habemus præcepti materiam, obedientiam ſcilicet parentibus præſtandam. Græcum verbum ὑπακούετε duo complectitur; humilem promptitudinem in excipiendis juſſis alterius, & alacrem obedientiam in iiſdem exequendis. Ad hanc itaque obedientiam pertinet, facere quæ jubent parentes, diſcere quæ docent, corrigere & emendare quæ reprehendunt, & uno verbo, omnia externa effecta præſtare quæ teſtificantur internum reverentiæ & obſervantiæ affectum. 2

Potuit Apoſtolus dixiſſe, Honorate, quemadmodum dicitur in Decalogo; ſed maluit, ***obedite***; ut ſcilicet illud vitium perſtringeret quo filii maximè laborant. Multi enim reverentiam & honorem deferunt parentibus, qui tamen obedientiam in vitæ ſuæ curſu inſtituendo præſtare detrectant.

Sed & illud animadvertendum, quòd dicit non τοῖς πατράσι, ſed τοῖς γονεῦσι, non patribus, ſed ***parentibus:*** nam hoc vocabulo uterque parens includitur; neque id injuriâ: nam ab utroque trahit originem filius; utrique igitur, & patri & matri, debet obedientiam & reverentiam. Vide Prov.23.22.

In hoc ipſo verbo γονεῦσι, ***parentibus***, latet validiſſimum argumen-

mentum, imò multa argumenta, quæ filios impellere debent ad obedientiam: nam ſtatim atque filii auribus inſonuit nomen *parentum*, in animum revocat, hos illos eſſe à quibus accepit originem, nutritionem, & eruditionem. Si originem, vel Eſſe ſuum corporale ab illis traxit, tum jure Naturæ illis ſubeſſe debet; ſi alimenta & nutritionem, tum morali debito Gratitudinis ſive Honeſtatis ad hoc tenetur; poſtremò, ſi eruditionem & diſciplinam, tum reſpectu propriæ Vtilitatis ad hanc obedientiam præſtandam movetur.

Documenta.

Docum. 1. Fruſtra prætenditur ſtudium parentes honorandi, ubi non oſtenditur officium obediendi; Matth.21.30.

Docum. 2. Qui parentes contemnit, non modò pietatem, ſed & naturam exuiſſe putandus eſt: natura enim jubet prolem parenti obſequium præſtare; quod in ciconiis obſervatur, & proponitur hominibus imitandum ab Ambroſio, Hexam. 5.16.

Docum. 3. Ipſi Deo inuritur contumelia, cùm parentes non honorantur: nam, quà parentes ſunt, habent ſimilitudinem Dei, qui ſupremus Pater eſt, & à quo omnis paternitas derivatur; vide Epheſ.3.15. Hinc Lactantius Inſtit.5.19. vocat ipſum Deum, *verum & ſupremum Patrem noſtrum*; ſed ſimul addit, & *terrenos parentes eſſe miniſtros generandi ſub Deo*. Non poſſunt itaque hi ſubordinati parentes contemni, quin & ipſe Deus contemnatur.

Docum. 4. Qui parentibus morigeri ſunt, iidem ut plurimùm pii ſunt in Deum: nam, ut bene Hug. de Vict. de Sacram. lib. 1. cap. 7. *Hæc paternitas eſt nobis Sacramentum & imago divinæ paternitatis, ut diſcat cor humanum in eo principio quod videt, quid debet illi principio à quo eſt & quod non videt.* Hæc de præcepti materia, jam quàm latè pateat diſcutiamus.

3 *In omnibus*] Videtur Apoſtolus præter æquum & bonum extendere filialem obedientiam ad omnia quæ imperantur à parentibus: nam obedientia univerſalis & abſoluta ſoli Deo debetur. Sed limitatio & explicatio hujus dicti peti poteſt ex 6. ad Epheſ. ver.1. ubi exprimitur quod hoc in loco intelligendum relinquitur; *Liberi auſcultate parentibus veſtris in Domino*, id eſt, quatenus licet per Deum; vel, ut colligi poteſt ex verbis immediatè ſequentibus, *Obedite in omnibus*, in quibus ſcilicet obedientia hæc veſtra *Deo grata* eſſe poſſit: nam *inferiori poteſtati non eſt obediendum contra præceptum ſuperioris*; Aquin.quæſt.diſp.de Conſc.art.4. Per *omnia* igitur hoc in loco, non omnia abſolutè, ſed omnia licita & honeſta intelligere oportet. Hinc itaque colligamus,

1. Parentibus obediendum eſſe in rebus bonis & piis, tum reſpectu rei mandatæ, tum reſpectu ipſius mandantis.

2. In rebus mediis & ſuâ naturâ adiaphoris oportet liberos auſcul-

auſcultare parentibus: nam etſi res præſcripta ſuâ naturâ libera ſit, & adiaphora in utramque partem; obedientia tamen, interveniente mandato parentis, libera non eſt, ſed ſub præcepto. Verè enim & ſapienter dictum eſt à Gerſone, de Relig. Perfect. part.3. *In adiaphoris ſuperioris judicio maximè credendum, quoniam ille vice Dei tibi dicit quid expedit & quid decet.*

3. Etſi duriora, & iniquiora videantur juſſa parentum; tamen ſi nihil impietatis continent, parendum eſt, præſertim filiis nondum emancipatis. Egregium exemplum habemus in Iſaaco, qui uſque ad mortem obedire patri ſuo non detrectavit; Gen.22.9. atque in ipſo Chriſto; Luc.2.51.

Sed hîc quæritur de filiis conjugatis, vel ad Eccleſiæ, ſive Reipublicæ adminiſtrationem vocatis, an illi teneantur adhuc obedire parentibus, & quatenus. *Quæſt.*

Reſpondetur, obedientiam filialem eſſe perpetuam, & ad extremum uſque vitæ ſpiritum præſtandam; quod manifeſtum eſt ex ipſo mandato, *Honora patrem tuum, ut ſis longævus ſuper terram:* quamdiu igitur hîc vivitur, tamdiu honoris obſequium parentibus debetur: ſed non eodem modo & gradu. Liberi igitur viventes in paterna domo, & ſub paterna poteſtate, tenentur ad reverentiam, obedientiam, & ſubſidium præſtandum parentibus, idque in rebus domeſticis curandis, vel aliis modis pro illorum imperio & voluntate. Si parentes volunt ut domi maneant, & illis ſint adjutorio in œconomicis officiis, non debent renuere, ut patet in Parab.Mat.21.28.&c. Si volunt illorum operâ uti ad externa negotia expedienda, in hiſce etiam parendum; Tob.5.3. Sed de conjugatis, vel ad Eccleſiam, ſive Rempublicam adminiſtrandam vocatis, alia ratio: nam licèt hi omnes adhuc tenentur ad reverentiam, obedientiam, & ſubſidium etiam ferendum cùm occaſio tulerit; non tamen tenentur ut priùs ad cohabitationem, non ad negotia parentum domeſtica expedienda; quia jam ſua habent & graviora. *Solut.*

Patet hoc de conjugatis; quia maritus ex ordinatione divina debet relinquere patrem & matrem ut adhæreat uxori: quod non eſt intelligendum ſimpliciter, ſed comparatè, & reſpectu individuæ ſocietatis & cohabitationis; debet enim operari pro familia ſua ſuſtentanda; Gen.30.30. *Gen.* 2.24.

Iam quod attinet ad eos qui ſuſceperunt officia Eccleſiaſtica; non poſſunt parentum authoritate revocari ad terrena ſua negotia adminiſtranda: nam ſi pater non poteſt à militia Regis terreni filium revocare pro imperio ſuo; quantò minùs ab hac ſacra militia? Imò qui huic operi manum admovit, non debet reſpicere ad ea quæ retrò ſunt; Luc.9.62.

Par ratio eſt de illis qui publicis muneribus funguntur: æquum enim eſt ut privata publicis cedant. Vt verbo itaq; expe-

diam: filius nunquam liberari poteſt ab officio honorandi & ſublevandi parentes ſuos; ſed ab officio cohabitandi & adminiſtrandi res illorum domeſticas poteſt. Atque hactenus de ipſo præcepto.

Hoc enim gratum eſt Domino] Verbis hiſce continetur ratio, vel incitamentum ad præſtandum illud obedientiæ officium, quo nullum aliud efficacius apud pias mentes. Non enim dixit, Obſequium hoc veſtrum erit vobis utile, aut parentibus veſtris gratum; ſed gratum erit ipſi Chriſto *Domino* veſtro, cui placere felicitas eſt. Sed quomodo conſtabit obſequium erga parentes, eſſe rem adeò gratam Chriſto Domino noſtro, & Deo Patri noſtro?

Conſtat potiſſimùm duobus modis: ex præmio etiam temporali, quaſi extra ordinem, annexo illi mandato de honorandis parentibus, quod ab Apoſtolo urgetur, Epheſ. 6.2. *Mandatum primum in promiſſione:* atque itidem ex pœna temporali quæ infligenda eſt ex Dei ordinatione violatoribus ejuſdem mandati, quam videte Deut. 21.18. &c. Nec ipſos Ethnicos latuit, divino munere prorogari vitam eorum, qui ſe pios & officioſos exhibent erga parentes. Vnde illud Græci Poetæ, Ἐλπίζε τιμῶν τὸς γονεῖς πράξειν καλῶς· & illud in eandem ſententiam, Ἱκαρὰς βιώσεις γηροβοσκῶν τὸς γονεῖς. Illi igitur agnoverunt hoc eſſe Deo ἐυάρεςον, *pergratum:* ſed & illi etiam judicârunt contemptum parentum acerbiſſimis pœnis coercendum; *Pari vindictâ parentum, & Deorum violatio expianda*, inquit Valerius. Quod etiam Platoni placuit, ut videre licet in 11. de Legibus.

Documenta.

Docum. 1. Oportet fideles in omni opere bono, præcipuè reſpicere ad ipſum Dominum: ſi huic grata ſint facta noſtra, non multùm refert quid homines de nobis ſentiant, aut quo animo illa accipiant.

Docum. 2. Liberi, dum parentibus obediunt ex corde puro, ipſi Deo in hac ſua obedientia gratiſſimum cultum exhibent, atque ab illo præmium reportant, ut patet in exemplo Rechabitarum; Ier. 35.18.

Docum. 3. Qui ſuâ contumaciâ parentum iram & maledictionem in ſe provocant, Dei itidem iram & vindictam in ſe devocant. Abimelec in exemplo eſt, Iudic. 9.56.

Docum. 4. Multùm falluntur hypocritæ, qui prætextu pietatis erga Deum, negligunt pietatis & obedientiæ officia erga parentes: quaſi Deo gratius eſſet ſacrificium, quàm aut obedientia, aut miſericordia. Sed hunc errorem præclarè Chriſtus refellit, Mat. 15.4. 5. &c.

Pontificii hunc Phariſæorum errorem renovârunt, dum tuentur licere liberis, etiam parentibus invitis, religionem profiteri, hoc eſt, in monaſterium ingredi; quo vitæ genere ſuſcepto, non

poſſunt

poſſunt parentibus ſubſidio eſſe, utì tenentur lege divinâ, & naturali. Videamus igitur quid iſti hac de re ſentiant, quid ſecundum verbum Dei ſentiendum ſit. Aquinas 2.2. quæſt.88.art.9. concludit, *poſt annos pubertatis poſſe liberos ſe voto religionis obligare abſque voluntate parentum.* Eſt eadem communis ſententia Pontificiorum, & à Bellarmino defenditur in lib.2. de Monachis, cap.36. ubi ſic ſtatuit, *Licere filiis, invitis parentibus, exire ex paterna domo, & tranſire ad Monaſticam vitam, modò ad annos pubertatis pervenerint, & parentes non ſint in tali neceſſitate, quin vivere poſſint abſque illorum auxilio.* Pueros puberes haberi ſtatuit anno 14. puellas 12. Sed contrà, probabimus non licere hoc facere invitis parentibus.

Rem quamcunque facere à Deo non mandatam, cum manifeſta violatione mandati, eſt impium & temerarium: ſed aſtringere ſeſe ad vitam Monaſticam, non cadit ſub præcepto divino; parentibus autem reniti, cùm id nobis imperant quod aut bonum eſt, aut non eſt illicitum, eſt manifeſta violatio mandati divini: cùm igitur parentibus adeſſe, iiſque inſervire in curandis rebus illorum domeſticis, ſit bonum & licitum, non debent filii nondum emancipati invitos parentes deſerere. 1

Contra virtutem eſt, id quod alterius eſt offerre Deo, illo invito: ſed ad parentes pertinet poteſtas in liberos, dum ſub illorum tutela ſunt, ità ut non poſſint ſe pro arbitrio ſuo ſubtrahere parentibus, & conferre quò velint: ergò non poſſunt vovere ingreſſum in monaſteria parentibus invitis. Huc pertinet illud Num. 30.3. *Mulier ſi quippiam voverit in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari; ſi pater contradixerit, votum irritum erit.* 2

Nec quicquam valet reſponſio Bellarmini & Aquinatis, qui dicunt ante annos pubertatis, id eſt (ut illi interpretantur) ante annum duodecimum non poſſe puellam vovere invitis parentibus; poſteà poſſe, quia libera eſt in illis omnibus quæ ſpectant ad perſonam ſuam: contextus enim reclamat, qui legem hanc fert de omni fœmina manente in domo paterna, id eſt, ſub tutela patris, ſive ſit nata duodecim annos, ſive plures.

Quod temerarium eſt facere parentibus inconſultis aut non probantibus, id impium eſt facere illis invitis & reclamantibus: ſed temeritatis eſt, ſi puer ſexdecennis, aut puella quindecennis ſtatuere velit de genere vitæ ſuæ abſque parentum cognitione & approbatione, præſertim de hujuſmodi vitæ genere ineundo, quod neceſſitate quadam avocat ab obſequio parentibus præſtando; eſt enim officium piorum liberorum priùs adire parentes, & quærere an poſſint, an velint carere illorum ope & ſubſidio: ſi itaque hoc non debent facere inconſultis parentibus, multò minùs invitis. 3

4 Habemus authoritatem Concilii Gangrenſis, cap. 16. tom. 1. *Quicunque filii à parentibus prætextu divini cultus abſcedunt, nec debitam reverentiam dependunt illis, Anathema ſint.* Bellarminus reſtringere conatur ad illos ſolos qui parentes indigos deſerunt, iiſque invitis in Monaſteria ſe abdunt: ſed hoc reſponſum nihili eſt. Nam primò, verba Concilii generalia ſunt; *Quicunq; diſcedunt à parentibus*, ſine Bellarmini gloſſa, *in extrema inopia poſitis.* Secundò, non eſt filii modeſti cùm audit patrem dicentem, ſe illius obſequio carere non poſſe, atque reclamantem propoſito ſuo de ingreſſu Monaſterii, tamen in contrariam partem ſtatuere. Poſtremò, durum eſt filiorum obedientiam reſtringere ad extremam tantùm parentum neceſſitatem.

5 Baſilius in quæſt. fusè explicatis, quæſt. 15. apertè dicit, *Liberos non eſſe recipiendos in Monaſteria niſi à ſuis parentibus offerantur.* Reſpondet Bellarminus id de ſolis impuberibus intelligi oportere, id eſt, de maſculis ante annum 14^m, de fœminis ante 12^m non recipiendis ſine parentum conſenſu; poſt hanc autem ætatem poſſe ingredi illis nolentibus. Sed Baſilius non dividit τὰ τέκνα eo in loco, in puberes & impuberes; ſed in ἔρημα γονέων, καὶ ἀπὸ γονέων ὄντα, *in illos qui parentibus orbati ſunt, & illos quorum parentes adhuc ſuperſtites ſunt, & curam liberorum agunt.* Poſteriores negat ſuſcipiendos ſine conſenſu parentum.

Iam ad Bellarmini argumenta ſolvenda accedamus. Pugnat locis Scripturarum, teſtimoniis Patrum, Conciliorum, & Rationibus.

Arg. 1. ex Script. teſt. 1. Affert locum Scripturæ ex Geneſ. 12. ver. 1. ut habetur in vulgata verſione; *Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtravero tibi:* ergò licet parentes invitos relinquere, & in Monaſterium ingredi.

Reſp. Nullo modo facit ad cauſam. Abrahamus erat jam conjugatus, & ſui juris, non ſub tutela patris; Abrahamus habebat ſpeciale mandatum; non conſtat parentes Abrahami repugnáſſe, imò conſtat patrem in profectionem conſenſiſſe; non denique Monaſterium, ſed in terram promiſſam à Deo profectus eſt. At nos diſputamus de liberis adhuc ſub paterna cura viventibus, qui non habent ſpeciale mandatum à Deo, & tamen invitos parentes deſerunt, & in Monaſteria ſe abdunt. Omnia diſſimilia.

Gen. 11. 31.

Arg. 2. ex Script. teſt. *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos; & fratribus ſuis, Ignoro illos: hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt*; Deut. 33. 9. cui adjungit alium locum Matt. 10. *Qui amat patrem vel matrem plùs quàm me, non eſt me dignus.*

Reſp. Prior locus loquitur de Levitis, qui ad Dei juſſum gladios ſtrinxerunt in idololatras nullâ habitâ cognationis ratione, ut videre licet Exod. 32. Nihil itaque aliud probat, quàm illos

laude

laude dignos eſſe, qui ut cultum Dei retineant, & juſſa Dei exequantur, neque cognationem, neque ullas res humanas reſpiciunt. Quid hoc ad illos, qui contra Dei mandatum de honorandis parentibus, illos deſerunt, ut cultum ſuperſtitioſum in Monaſteriis exerceant? Alter locus non dicit, Qui amat patrem aut matrem plùs quàm Clauſtrum aut Cucullum, ſed plus quàm Chriſtum: ergò ad cauſam non facit. Si non poſſumus Chriſto & parentibus obedire, tum deſerendi parentes ſunt; ſed obedientia licita non pugnat cum religione, ſed eſt opus religioſum & Deo acceptum.

Ex Pſal. 45. *Obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum:* ergò ut Deo ſerviamus licitum & laudabile eſt parentibus renunciare, & in Monaſteria confugere. *Arg. 1. ex Script. teſt.*

Non ſequitur concluſio ex præmiſſis illis, niſi quando non poſſumus ſimul utriſque obedire. Verba autem illa in ſenſu Literali de filia Pharaonis dicuntur, quæ non potuit ſimul manere in Ægypto cum patre ſuo, & marito Salomoni parere: in ſenſu Myſtico, de Chriſto, & ſponsâ ſuâ Eccleſia intelliguntur, quæ non poteſt innatam ſuam corruptionem retinere, & Chriſto placere. Sed liberi non adiguntur hujuſmodi neceſſitate ad ingredienda Monaſteria, & parentes ſuos deſerendos. Affert quædam alia teſtimonia Scripturæ, ſed tam à propoſito aliena, ut me pudeat in talibus nugis refellendis hærere: veniamus itaq; ad Patres quos citavit. *Reſp.*

In unum conjicio teſtimonium Theophylacti cum multis aliis quibus eadem reſponſio accommodari poteſt. Sic igitur Theoph. in 19. Ioan. *Oportet parentibus ad pietatem obſiſtentibus non parere.* Et Gregorius Hom. 37. in Evangelia; *Quos adverſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſciamus.* Et Auguſtinus in epiſt. 38. ad Lętum, dicit illum à vita perfecta, nec imperio, nec obſecrationibus matris abduci debere. *Arg. 1. ex Patr. teſt.*

Peſſimâ fide hæc omnia detorquentur à Bellarmino, qui ſi authores inſpexiſſet, non potuiſſet non perſpicere illos de ingreſſu Monaſteriorum parentibus invitis ne ſomniâſſe quidem. Theophylacti dictum probo, parentibus ſcilicet ad pietatem obſiſtentibus non eſſe parendum: ſed pietatis tamen officia à filiis exigentibus, parendum eſt; atque hoc illud eſt quod nos defendimus. Gregorii verba ad illud dictum Servatoris reſpiciunt. Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, non poteſt eſſe meus diſcipulus:* pertinent itaque ex æquo ad omnes Chriſtianos, non ad ſolos Monachos. Gregorius autem eo in loco eſt optimus ſui interpres, qui hæc verba ſtatim ſubjungit illis quæ allata fuere à Bellarmino, *Quaſi per odium diligitur, qui carnaliter ſapiens dum prava nobis ingerit, non auditur.* *Reſp.*

ditur. Nihil aliud itaque vult Gregorius, quàm parentes, cùm prava ingerunt filiis, non audiendos: quod nemo ſanus negaverit. Ad Auguſtinum quod attinet, non dicit Lætum potuiſſe invitis parentibus, dum ſub illorum tutela erat, ingredi in monaſterium: imò ne Monachum quidem fuiſſe unquam aſſerit in illa epiſtola; ſed oſtendit illum fuiſſe Evangelii prædicatorem, nec debere terrenis curis abduci à munere ſuſcepto. *Rapit te* (inquit Auguſtinus) *Evangelicæ prædicationis officium; rapit militem Chriſti tuba cœleſtis ad prælium, & retinet mater:* deinde paulò pòſt. *Mater Eccleſia, eſt mater matris tuæ; hæc juſtum tuum & debitum poſcit auxilium, &c.* Verum eſt itaque quod Auguſtinus urget, prædicatorem Evangelii non debere ab officio ſuſcepto retrahi, ne matris quidem obſecrationibus: vanum eſt quod infert Bellarminus, puerum non poſſe ab ingreſſu monaſterii prohiberi, ne parentum juſſu & authoritate.

Argum. 2. ex teſt. Pat. Duo citantur teſtimonia ex Hieronymo; unum ex prima ejus epiſtola quæ eſt ad Heliodorum, in hæc verba, *Licèt parvulus ex collo pendeat nepos, licèt ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus, ubera quibus te nutrierat mater oſtendat, licèt in limine pater jaceat, perçalcatõperge patrẽ, ſicciſque oculis ad vexillum crucis evola; ſolum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem.* Licet igitur filiis, etiam parentibus invitis, Chriſtum ſequi.

Reſp. Non eſt magnæ authoritatis ad definiendam Theologiæ controverſiam hæc epiſtola, quæ ſcripta fuit ab Hieronymo adoleſcentulo, & Rhetorem agente potiùs quàm Theologum. Sed tamen reſpondeo, admitti poſſe quod dicit Hieronymus, *vel per calcatos parentes ad vexillum Chriſti evolandum, ſi aliter perveniri eò non poſſit:* nego tamen ad Dominici, vel Franciſci vexillum hoc modo veniendum eſſe: addo etiam liberos ſub parentum poteſtate conſtitutos Chriſtum ſequi poſſe, etiamſi parentes ſuos non deſerant. Si igitur Hieronymus voluit Chriſti vexillum non alibi reperiri quàm in vita Monaſtica, nos errantem Hieronymum liberè repudiamus: ſi hoc noluit, nihil affert pro Bellarmini ſententiâ confirmandâ. Et certum eſt noluiſſe; nam cùm monaſteria plerunque extructa jam ſint prope urbes & oppida, Hieronymus Heliodorum vocat in eremum, & diſertè ſcribit, *Monachum non poſſe eſſe perfectum in patriâ ſua manentem.* Deſerta itaque erunt monaſteria Papiſtica ſi Hieronymi ſententia valeret.

Venio ad alterum Hieronymi teſtimonium deſumptum ex epiſtola 47. *Si quis te corripit quòd ſis Chriſtiana, quòd ſis virgo, non cures quòd matrem deſerueris, ut in monaſterio inter virgines viveres: talis detractio laus tua eſt, crudelitas iſta pietas eſt; illum enim præfers matri, quem præferre juberis animæ tuæ.*

Reſp. Nos propoſitum virginitatis non damnamus in illis quibus

donum

donum continentiæ à Deo datum eſt, nec etiam illos vituperamus, qui, ut hoc propoſitum ſuum meliùs tueantur (quantum fieri poteſt) fugiunt ex ſeculo, & illis ſe adjungunt, qui idem vitæ inſtitutum ſequuntur: ſed negamus hanc virginem (ad quam ſcribit Hieronymus) invitis parentibus in monaſterium ſe contuliſſe, aut ſalvâ pietate conferre potuiſſe: in quo cardo controverſiæ vertitur. Dicit Hieronymus, *Non cures quòd matrem deſerueris, ut in monaſterio viveres*; ſed non addit invitam & repugnantem; imò apertè aſſerit voluntate matris illam virginem fuiſſe conſecratam, atque hoc argumento hortatur illam, ut ſuſpectum adoleſcentuli (neſcio cujus) conſortium vitaret, & cum matre ſua viveret, ſi modò in monaſterio permanere nollet.

Arg. 3. ex Patr. teſt.

Ambroſius (inquit Bellarminus) *in 3. de Virginibus, loquens de illis quæ invitis parentibus profitebantur, non arguit ipſas, ſed illarum parentes qui profeſſionem impedire conabantur, quos dicit eſſe pejores Gentilibus*: in cujus rei probationem affert hæc verba Ambroſii; *Illîc* (id eſt, apud Gentiles) *præmiis revocantur à nuptiis: hîc ad nuptias coarctabuntur injuriis? illîc violentia fit ut capiantur: hîc fiet violentia ne profiteantur? &c.*

Reſp.

Falſum eſt quod præmittit de ſuo Bellarminus, Ambroſium loqui de illis virginibus quæ profitebantur invitis parentibus, atq; arguere parentes, non illas: nam loquitur Ambroſius de patre quodam qui filiæ ſuæ virginitatem voverat; quod votum paternum cùm filia implere vellet, atque profiteri virginitatem juxta cæremonias tunc temporis in Eccleſia uſitatas, amator quidam (matre, ut ſuſpicari licet, favente) ambiebat puellæ nuptias, & per vim profeſſionem ejus impediebat. Interponit itaque ſuam authoritatem Ambroſius, dicit non licere cuiquam virginem hanc, Deo tam patris voto quàm propriâ voluntate dicatam, ad nuptias invitam coarctare. Nihil igitur aliud ex hoc loco evincet Bellarminus, quàm non licere virginem per vim cogere ad nuptias; quod, ſalvâ noſtrâ defenſione, poſſumus concedere.

Arg. 4. ex Patr. teſt.

Affertur Bernardus, qui in epiſt. 111. ſic ſcribit nomine Heliæ Monachi ad parentes ejus, qui illum ex monaſterio domum ad ſe deducere cupiebant, *Sola cauſa quâ non licet obedire parentibus Deus eſt. Ipſe enim dicit, qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non eſt me dignus*; & quæ ſequuntur.

Reſp.

Verum eſt, non obediendum eſſe parentibus contra Deum; ſed falſum eſt (quod ſupponit Bernardus) non poſſe Deo ſervire liberos, niſi deſerant parentes & conferant ſe in monaſteria. Et (ut liberè dicam quod ſentio) graviſſimum errat errorem Bernardus in tota hac epiſtola, dum ſic agit, quaſi nulla religio, nulla ſalus eſſet extra monaſteria: cùm è contrà omnia quæ verè pertinent ad religionem fieri poſſunt à quolibet Chriſtiano extra Monachiſmum;

nachiſmum; multa autem quæ pertinent ad charitatem fieri non poſſunt à Monachis niſi egrediantur monaſterium.

Arg. 5. ex teſt. Pat. Objicit nobis Bellarminus Gregorium Turonicum, qui laudat Leobardum & Pappulam, quòd uterque invitis parentibus Monaſticam profeſſionem ſuſceperint: ergò non licitum modò, ſed laudabile eſt hoc facere.

Reſp. Non tanti eſt apud nos Gregorius Turonicus, ut laudabile admittamus eſſe, quicquid ille laudaverit. Opponimus itaque caput 16. Concilii Gangrenſis, ubi illud idem damnatur, quod à Turonico laudatur, ut anteà oſtendimus. Sed ut intelligatur quàm inconſideratè laudaverit & hunc & illam, hoc ex eadem hiſtoria addemus quod reticuit Bellarminus, Leobardum illum non modò contra voluntatem parentum, ſed contra fidem datam honeſtæ puellæ de conjugio cum illa ineundo, in monaſterium ſe contuliſſe; Pappulam autem illam non modò inſciis & invitis parentibus, ſed virili inſuper habitu ſumpto in monaſterium veniſſe, & in eo totos annos triginta pro viro ſe geſſiſſe. At Concilium Gangrenſe cap. 13. Anathema dicit fœminæ cuicunque hanc ipſam ob cauſam virilem veſtem induenti. Faceſſat itaque laudatio Gregorii, quæ ex diametro repugnat tum graviſſimi Concilii decreto, tum Dei ipſius interdicto.

Arg. 6. ex teſt. Pat. Chryſoſtomus ultimo in loco citatur, qui in fine lib. 3. contra vituperatores vitæ Monaſticæ, ſic alloquitur parentes; ***Si vos contenderitis, filii veſtri ſi fuerint egregiâ virtute præditi, etiamſi nolueritis, pervenient ad hanc Philoſophiam monaſticam, ſempiterniſque gaudiis fruentur; vos autem infinitos vobiſipſis cruciatus congeretis.*** Hoc teſtimonium diſtuli in extremum locum, quia videtur validiſſimum.

Reſp. Sed reſpondeo; Ex illo Chryſoſtomi libro conſtat omnia tunc temporis fuiſſe in urbibus & oppidis corruptiſſima, ità ut ille dicat ſulphureum imbrem eos non minùs meruiſſe quàm Sodomam & Gomorram: hinc occaſionem ſumit hortandi patres, ut filios ſuos teneros, & nondum corruptos communi contagione, in ſolitudines mitterent ad Monachos, apud quos Schola quædam erat pietatis & Chriſtianæ religionis; non ut præter voluntatem parentum perpetuò conſtringerentur neſcio quibus regulis, ut nunc fit; ſed ut bene inſtituti in pietate & religione, ad parentes reverterentur, & illis ſolatio & adjumento majori eſſent per totam vitam. Hiſce fusè explicatis, tandem ſubjungit verba à Bellarmino adducta: ***Filii veſtri, ſi fuerint egregiâ virtute præditi, etiamſi vos nolueritis pervenient ad hanc Philoſophiam monaſticam, &c.*** Non dicit, vobis invitis fient Monachi, ac perpetuò vos deſerent; ſed ***pervenient ad hanc Philoſophiam monaſticam***, id eſt, religionem & Chriſtianam pietatem addiſcent, quæ apud Monachos tum præcipuè viguit. Hic ſenſus eſt

Chryſoſto-

Chryſoſtomi, quod cuivis patebit ipſum librum legenti; in quo toto ne unum quidem verbulum reperitur, quod probet ſolennem ſuſceptionem profeſſionis Monaſticæ, parentibus invitis. Sed ſi illud probâſſet pro ratione illorum temporum, in quibus maximè florebat inter Monachos religio, & verum ſtudium Chriſtianiſmi; non faceret ad laudem Monachorum Papiſticorum, inter quos regnat ocium, libido, ſuperſtitio; verâ pietate, & religione in exilium pulsâ. Hæc de Patribus.

Conciliorum etiam Canones quidam à Bellarmino afferuntur.

Ex Concilio Toletano 10. & capite ultimo ejuſdem, in quo decernitur, *ad parentes ſpectare, filios ſuos religioni tradere non amplius quàm uſque ad quartum decimum eorum ætatis annum: poſteà verò licitum eſſe filiis, etiam ſine voluntate parentum, privatâ devotione monaſteria ingredi.* *Arg. 1. ex Conc. Can.*

Reſpondeo, non teneri nos authoritate hujus Concilii, quia adverſatur Conciliis melioribus: Carth. 3. cap. 4. in quo ſancitum eſt, ut virgines non omnino conſecrentur ante annum viceſimum quintum: atq; etiam repugnat Gangrenſi, cujus Canonem anteà citavimus prohibentem ne filii prætextu religionis deſererent parentes. Poſtremò, repugnat etiam ſententiæ omnium Pontificiorum, & ipſius Bellarmini: nam Canon ille (ut extat in editione Surii & Binnii) non dicit poſt annum decimum quartum poſſe filios invitis parentibus profiteri Monaſticam religionem, ſed poſt annum decimum id illis licere. Videbat Bellarminus hoc ab ipſa ratione alienum eſſe, nec quadrare ad ſuam diſtinctionem de liberis puberibus & impuberibus; pro fide itaque Ieſuitica de ſuo addidit numerum quaternarium. *Reſp.*

Affert ex Concilio Triburienſi Canonem 24. in hæc verba, *Si puella ante 12^m ætatis annum ſponte ſuâ velamen ſibi ſacrum aſſumpſerit, poſſunt parentes, vel tutores id factum irritum facere ſi voluerint. Si verò in fortiori ætate adoleſcens, vel adoleſcentula ſervire Deo elegerit* (in vita nimirum Monaſtica) *non eſt poteſtas parentibus prohibendi.* Hinc colligit Bellarminus poſt 12^m annum invitis parentibus licuiſſe liberis ingredi monaſteria. *Arg. 2. ex Conc. Can.*

Prior pars Canonis corruptè citatur, poſterior confingitur. Nam totum illud, *Si verò in fortiori ætate* & quæ ſequuntur, non ſunt verba Concilii, ſed aſſumentum Gratiani, unde Bellarminus hunc Canonem deprompſit: nam Gratianus Cauſ. 20. qu. 2. Canone *Puella*, eodem modo hæc citat quo Bellarminus: ſed in ipſis Conciliorum voluminibus non reperiuntur illa verba ultima, in quibus tota vis argumenti latet. Nec hoc novum eſt Gratiano, quem egregium eſſe Conciliorum interpolatorem omnes ſciunt, qui illam Decretorum farraginem cum ipſis Conciliis contulerunt. Reſtant ſolvendæ rationes Bellarmini. *Reſp.*

Licet

Rat. 1. *Licet filiis, invitis parentibus, matrimonium contrahere; ergò licet invitis illis continentiam profiteri.*

Reſp. Peccant filii ſi in matrimonio contrahendo non deferant hunc honorem parentibus, ut ab illis patiantur ſe dirigi: & itidem peccant qui illos invitos deſerunt, ut Monaſticam vitam degant. Quanquam illud concedendum eſt, quicquid bonum & pium eſt in vita Monaſtica poſſe à liberis exerceri, etiamſi parentes impii & prophani reclamarent: verbi causâ, poſſunt continentiam perpetuam ſervare, ſi habeant donum illud à Deo; poſſunt orationibus vacare, poſſunt moderatis jejuniis carnis laſciviam domare; quia hæc non repugnant obedientiæ debitæ: ſed non poſſunt invitis parentibus è paterna domo ſe ſubtrahere, & in illo vitæ ſtatu collocare, in quo nequeunt parentes juvare & ſuſtentare; quia hoc adverſatur mandato divino.

Rat. 2. *Licet viro, uxore invitâ, poſt contractum matrimonium de præſenti ad monaſticam vitam ſe conferre; ergò multò magis licet filio id facere invito patre.*

Reſp. Reſpondeo, licere illud per jus Canonicum & Antichriſtianum; ſed per jus Divinum nunquã licuiſſe: nam matrimonium de præſenti contractum, eſt verum & ratum matrimonium ſine copula carnali. Hoc itaq; ipſo contractu transfert maritus poteſtatem corporis ſui in uxorem, & uxor ſui in maritum: non poteſt itaq; invitâ conjuge fraudare illam jure ſuo. Quod obtendunt Scholaſtici, Monaſticam profeſſionem eſſe mortem ſpiritualem, & hac morte non minùs quàm corporali diſſolvi conjugia, tam ridiculum eſt ut refutatione non egeat: nam ſpiritualiter mori mundo & peccato, eſt omnium Chriſtianorum, non Monachorum tantummodo.

Rat. 3. *Quilibet ingenuus poſt annos pubertatis eſt juris ſui, quantum ad ea quæ ad perſonam & ſtatum ſuum pertinent; ergò poteſt uti hoc jure, & invitis parentibus in monaſterium ſe conjicere.*

Reſp. Liberi poſt annos pubertatis, non ſtatim ità fiunt ſui juris, ut poſſint ſine peccato negligere conſilium, excutere imperium paternum, aut ex domo ſe proripere pro libitu ſuo. Imò videmus perpetuò in Scripturis pios liberos etiam poſt annum 14 (quem pubertatis metam ſtatuunt) parentibus inſervire, & eorum juſſis parere, etiam in iis quæ ſpectant ad perſonam ſuam; ut in uxore eligendâ Iacobus fecit, & ante illum Iſaacus; ſic virgines non maritos ſibi aſſumebant ſine approbatione paternâ; Exod. 22. 17. Deutr. 7. 3. 1. Cor. 7. 36. Falſum eſt itaque, & tum divinis, tum humanis legibus contrarium, quod Bellarminus pro conceſſo ſumit, poſſe quamlibet puellam poſt annum 12^m, & quemlibet puerum poſt 14^m, invitis parentibus ſtatuere de illis quæ pertinent ad perſonam & ſtatum ſuum. Et ſi poſſent, tamen hoc ſemper faciendum eſſet ſalvâ obedientiâ, & honore parentibus debito, quæ vita Clauſtralis cogit negligere.

Magis

Magis obediendum eſt Deo quàm hominibus: Deus autem conſulit perfectam vitam omnibus in genere; Mat. 19. *& in particulari, internâ inſpiratione vocat quoſdam: ergò ſi parentes reſiſtant, non ſunt audiendi.* Rat. 4.

Deſipit planè Bellarminus, qui perfectionem alligat ad clauſtrum & cucullum. Nos perfectionem Chriſtianæ vitæ in fide & charitate ponimus, non in cæremoniis aut regulis Monaſticis. Et dicimus cum Gerſone; *Religiones factitiæ, impropriè, & abuſivè, & forſan arroganter dictæ ſunt ſtatus perfectionis.* Ad argumentum igitur reſpondemus, tendere debere omnes Chriſtianos ad perfectionem ſpiritualem, nec audiendos eſſe parentes ſi conentur liberorum profectum in fide & charitate impedire: ſed ſi jubeant liberos ſub poteſtate ſua conſtitutos, ſecum domi manere, ſibi parere in officiis domeſticis; dico hujuſmodi licita mandata contemni non poſſe ſine violatione mandati divini, & perfectionis opus excellentius eſſe, in timore Dei obedire parentibus, quàm ſubjicere ſeſe traditionibus Monaſticis. Reſp.

VERS. XXI.

Patres ne irritate liberos veſtros: ne deſpondeant animum.

Dictum eſt de liberorum obedientia; jam ne parentes quidvis ſibi licere putent in liberos pro imperio, & illos etiam monitos voluit Apoſtolus de non abutenda hac ſua authoritate. Habet autem hic verſiculus duas partes: prior continet Prohibitionem; poſterior Cauſam prohibitionis.

Patres ne irritate liberos veſtros] Hac prohibitione coercet patriam poteſtatem intra limites ſuos: in eâ autem perpendamus Actum prohibitum, & Perſonas. Prohibetur irritatio; ea autem accidit ex multiplici abuſu paternæ poteſtatis.

1. Si denegaverit aut ſubtraxerit liberis ea quæ illis jure debentur, putà victum, veſtitum, educationem pro patris conditione & facultatibus convenientem. Et hoc quidem adeò grave peccatum eſt, ut Apoſtolus non veritus ſit dicere *illum qui ſuis non providet, fidem abnegâſſe, & eſſe infideli deteriorem*, 1. Tim. 5. 8.

Nec tamen (quod ſæpe fit) in contrariam partem peccandum eſt; quod illi faciunt, qui liberos ſuos lautiori victu, ſplendidiori veſtitu, molliori educatione quàm opus eſt corrumpunt. Et hoc certè vitio ſeculum noſtrum laborat magis quàm nimiâ in liberos ſeveritate. Quintiliani illud in nos convenit; *Vtinam liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis ſolvimus; mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adul-*

tus concupiſcet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, & jam coccinum intelligit, jam conchylium poſcit. Antè palatum eorum quàm os inſtituimus, &c. lib.1.cap.2.

2. Irritantur liberi, ſi conentur parentes impiis aut iniquis mandatis eos onerare. Impium fuit illud Saulis, cùm præcepit Ionathani, ut Davidem amicum ſuum, & innoxium, captum ad ſe adduceret ut morte mulctaretur; 1.Sam. 20.31. Hinc itaque dolore & irâ accenſum Ionathanem legimus verſu 34. Impium item fuit illud Herodiadis, quæ juſſit filiam (cui Herodes ſpoſponderat ſe daturum quicquid petiiſſet) petere caput Ioannis Baptiſtæ; Matth. 14. 8. Non legimus autem hanc ſaltatricem filiam matris impio mandato offenſam, quia impietate matrem ſuam æquavit; ſi quid pietatis habuiſſet, id ægrè tuliſſet. Iam verò iniqua voco mandata, ſi pater (nullâ neceſſitate urgente) filium ad opera ſervilia & ingenuo homine indigna cogere pro imperio conetur. Nam alia eſt filiorum, alia mancipiorum ratio. In filios pater obtinet, non Tyrannicum imperium, ſed Baſili cum. Debet itaque ſic illorum operâ uti, ut Rex bonus utitur operâ civium, non ut herus abutitur operâ ſervulorum. Hoc Philoſophus ipſe annotavit, Pol.1.7. & 8.2.

3. Ad hanc irritationem pertinet, cùm parentes temerè, irâ correpti, filios ſuos immerentes verbis contumelioſis & indignis proſcindunt. Habet enim aculeum quendam contumelia, quem pati etiam prudentes difficillimè poſſunt. Hoc etiam genere injuriæ Saul irritavit filium ſuum Ionathanem, 1.Sam.20. 30. ubi in hæc verba erumpit, *Fili mulieris ultrò virum rapientis, nunquid ignoro quòd diligis filium Iſai in confuſionem tuam, & in confuſionem ignominioſæ matris tuæ?* Quid dici potuit ad filium irritandum acerbius, quàm quod in ejus contumeliam etiam ſuam uxorem tanquam publicum proſtibulum lacerat maledictis?

4. Irritantur liberi, cùm patres, pro libidine & furore, injuſtis, aut immodicis verberibus & pœnis illos cedunt & caſtigant. Injuſtam caſtigationem voco cui cauſa non ſubeſt legitima. Sic Saul etiam haſtâ percutere voluit filium ſuum, non aliam ob cauſam, quàm quòd defenſionem abſentis & innocentis Davidis in ſe ſuſceperat; 1.Sam.20.33. *Quapropter ſurrexit Ionathan accenſus irâ*; verſ. 34. Immodica autem eſt caſtigatio quando pœnæ acerbitas ſuperat gravitatem criminis: Itaq; cautum eſt authoritate divinâ, ne, qui imperium habent in alios, hac in parte pro libidine ſuâ deſæviant in criminoſos. *Si eum qui peccavit dignum viderint plagis, proſternent & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati erit plagarum modus, &c.* Deut.25.2.3. Atq; ſic breviter monſtravimus quibus modis accidat hæc irritatio prohibita.

Corolla-

Corollaria.

Paternum imperium non eſt abſolutum, aut infinitum; ſed naturæ, rationi, & inprimis Legi divinæ conformandum. *Coroll.* 1.

Liberis cum gravitate & prudentiâ imperare oportet; ſed non oportet nimiâ acerbitate & crudelitate eos exacerbare. Liberalitate enim & pudore ſatius eſt eos in officio continere, quàm metu & tyrannide. *Metus haud diuturni magiſter officii*; Cicero. *Coroll.* 2.

Etſi non licet irritare & exacerbare liberos, oportet tamen eos erudire, clementer corripere & caſtigare. Quod hoc in loco expreſſè non ponitur, ſubintelligendum tamen eſſe colligitur ex 6. ad Eph. 4. *Patres, nolite provocare ad iram liberos veſtros: ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini.* Nam eruditio & caſtigatio liberorum delinquentium, ſub divino mandato cadit, & ad illorum qui caſtigantur utilitatem facit. Hactenus actum prohibitum penſitavimus; jam uno aut altero verbo expediamus quæ ſpectant ad conſiderationem perſonarum. *Coroll.* 3. *Pro.* 23. 13. 14.

Duæ perſonæ hîc deſignantur: illius, vel illorum quibus datur hoc interdictum de non irritando; hi ſunt patres: & illorum pro quibus, vel quorum causâ datur; atque hi ſunt horum patrum liberi. 2

Primò, in hac perſonarum deſignatione obſervandum eſt, cur Apoſtolus vocabulum non retinuerit quod poſuit in ſuperiore verſiculo, cùm præceptum dedit de obedientia liberorum: ibi enim de parentibus, id eſt, de patre & matre conjunctim; hîc de ſolo patre loquitur. Id facere videtur, quia filii ſæpe peccant in defectu obedientiæ erga matres; ergò cùm de obedientia præcepit, perneceſſarium fuit matres includere: ſed matres rarò peccant in nimia acerbitate erga filios; ergò ſat habuit ſolos patres in hoc interdicto compellare. Indulgentia enim nimia maternum peccatum eſt, non ſævitia, quæ in patrem vix cadit, niſi omni paterno affectu vacuum.

Secundò, obſervare oportet argumentum illud quod incluſum latet in nomine Patris: nam cùm dicit, *Patres ne irritate*, idem eſt ac ſi dixiſſet, ne facite quod à Patris perſona & officio debet eſſe alieniſſimum. Ipſum Patris nomen promittit clementiam & manſuetudinem. Vnde illud Poetæ,

Πατὴρ ὡς ἤπιός ἦν, *Tanquam pater mitis erat.*

Atque hîc patres terreni habent quod ſibi proponant exemplum cœleſtis Patris, qui nunquam ità excandeſcit in filios ſuos, quin memor ſit paternæ ſuæ clementiæ, ut eſt Pſal. 89. 32. *Si præcepta mea non obſervaverint, viſitabo quidem virgâ defectionem eorum, & plagis iniquitatem eorum; ſed benignitatem meam non irritam faciam ab eo &c.*

Tertiò, notandum & aliud argumentum quod ſubeſt illis verbis, *Liberos veſtros*: quid enim hoc aliud eſt, quàm ſi dixiſſet,

Ne injuriâ afficite carnem veſtram, ſanguinem veſtrum, viſcera veſtra, vosmetipſos. Nam *filius eſt aliquid patris*, ut loquitur Aquinas quæſt. diſp. de pec. orig. art. 8. Et, authore Philoſopho, τὸ ἴδιον ἀγαπητόν. Eſt igitur contra naturæ ipſius propenſionem, ut pater liberos proprios, quos fovere & amare oportuit, lædere & irritare contendat. Sed nec illud omittendum eſt, hanc perſonarum conſiderationem & filios ipſos inflectere debere ad patientiam & æquanimitatem cùm duriùs & immitiùs tractentur: nam ſævitia patris in filium grave peccatum eſt; ſed ira & impetus filii in patrem immane monſtrum eſt. Hinc Orator in oratione pro Cluentio dixit, *Filios non modò reticere parentum injurias, ſed animo æquo etiam ferre oportere.* Atque huc uſque ipſam prohibitionem expoſuimus; jam cauſam prohibitionis expendamus.

Ne deſpondeant animum, vel *Ne puſillo animo fiant*] Cauſa prohibitionis petitur ab incommodo irritationis: incommodum autem ingens oſtenditur; nam cùm hoc modo filii tractentur à parentibus, ut plurimùm incidunt in ἀθυμίαν.

Hæc ἀθυμία tria mala complectitur; 1. Mœrorem illum, & animi triſtitiam in quam liberos (præſertim pios) conjicere ſolet illa parentum crudelitas. Hinc ſæpe morbi, & quandoque mors immatura illorum exoritur. Nam *ſicut tinea veſtimento, & vermis ligno; ità triſtitia nocet cordi*; Prov. 25. 20. Parentibus itaque ſummopere cavendum eſt hoc incommodum, ne videantur liberos in eum ſolummodò finem procreâſſe, ut habere poſſent quos excarnificarent. Et Dei paterna bonitas illa imitanda, qui vult à filiis ſuis ſibi obſequium præſtari cum alacritate & lætitiâ, non cum anxietate & gemitibus: idem debet eſſe patrum terrenorum animus.

2. Ἀθυμία hæc complectitur dejectionem illam, & animi ſtupiditatem, quæ timidos facit, & ineptos ad quodvis opus aggrediendum. Nam liberi parentum ſævitiâ perterriti, & experti ſe, ſuáque omnia obſequia illis ingrata & inviſa eſſe, tandem animos abjiciunt, nil tentare aut moliri audent; ſed inertes & torpidi evadunt. Atque parentibus valde cavendum eſt ne huc perducant liberos ſuos: nam liberi ſunt quaſi manus & brachia, quibus parentum ſenectus defendi; ſunt pedes & crura, quibus ſuſtentari oportet. Quemadmodum igitur inſanus meritò haberetur, ſi quis narcotico aliquo medicamento brachia & crura ſua ſic ſtupefacta efficeret, ut poſtmodum nulli uſui ſibi eſſe poſſint: ſic exiſtimandi ſunt illi patres non multùm ab inſanis diſtare, qui ſuâ duritiâ & crudelitate ſic obtundunt & obſtupefactos reddunt liberos ſuos, ut nec parentibus, nec ſibiipſis ſubſidio eſſe poſſint.

3. Ἀθυμία hæc poſt ſe trahit (in illis ſaltem qui non ſunt

valde

valde bona indole) deſperatam quandam contumaciam. Nam cùm vident omnem ſpem placendi ſibi ereptam, ipſi etiam ultrò omnem curam placendi abjiciunt: imò quandoque indè ſibi aſſumunt audaciam diſplicendi, & libidinem irritandi parentes. Eſt hoc quidem in filio culmen impietatis; ſed tamen patri cavendum, ne huic impietati occaſionem det ſuâ crudelitate. Non enim acuit liberorum animos ad officia præſtanda, ſed ab eo revocat & abducit importuna ſævitia. Atque hæc de officio parentum.

VERS. XXII. XXIII. &c.

Servi, auſcultate per omnia iis qui domini ſunt ſecundum carnem, non obſequiis ad oculum adhibitis, ut qui hominibus placere ſtudent; ſed cum ſimplicitate cordis, timentes Deum.

Et quicquid feceritis, ex animo facite, tanquam Domino & non hominibus.

VXorum & maritorum, filiorum & parentum officia jam explicata ſunt: reſtant ſervorum & dominorum; quibus expoſitis, nihil deerit quod attinet ad doctrinam Oeconomicam. A ſervis ordiendum. Hos igitur quod attinet, tria facit Apoſtolus. 1. Dat præceptum de obedientia. 2. Docet modum obediendi. 3. Addit quoſdam ſtimulos ſive incitamenta ad obedientiam; verſ.24.25.

Præceptum primo in loco explicandum eſt, quod hiſce verbis continetur,

Servi, auſcultate per omnia iis qui domini ſunt ſecundum carnem.] Occaſio hujus præcepti indè nata videtur, quòd ſervi ad Chriſtianiſmum converſi, exemptos ſeſe putabant à jugo ſervitutis. Quam opinionem, erroris plenam, Diabolus procul dubiò injecerat hominum animis, ut indè in odium vocaret Chriſtianam religionem apud Ethnicos, quaſi ordinis perturbatricem. Error iſte hoc fortaſſe colore pingebatur; Si domini unà cum ſervis Chriſtianam religionem amplectuntur, iniquum eſt ut adhuc pro mancipiis habeant, quos pro fratribus habere tenentur: ſi domini Paganiſmo adhuc adhæreſcunt, ſervis eorum converſis, multò iniquius videtur, ut qui ſanguine Chriſti ereptus ſit & redemptus ex poteſtate Diaboli, mancipium nihilominùs maneat hominis Pagani, qui manet ipſe mancipium Diaboli. Videntur hæc in ſpeciem dicta probabiliter: ſed hiſce tamen non obſtantibus, contrarium præceptum dat Apoſtolus; in quo ſingula verba ſuum habent momentum ad æquitatem præcepti & etiam neceſſitatem demonſtrandam. 1

Servi] Alloquitur Christianos, & tamen adhuc eos servos appellat.

Δοῦλοι] Vocabulum hoc non tales famulos designat, qualibus nunc utimur; qui reverà liberi sunt & ingenui, quamvis mercede conducti aliis famulentur: sed tales denotat, qualibus Veteres utebantur, qui erant aut capti in bello, aut empti, & proinde toti erant in potestate Dominorum.

De fundamento hujus servitutis, justúmne fuerit, an violentum, non disputo: jure tamen Gentium ratum & stabilitum fuisse constat. Vnde Philosophus hujusmodi servos nihil aliud esse dicit, quàm ὄργανα ἔμψυχα, ***animata quædam instrumenta Dominorum***; Pol. 1. 3. Et etiam apud sacros Scriptores hi servi numerantur in bonis & possessionibus dominorum: & Exod. 21. 21. servus dicitur ***pecunia domini sui***. Hoc itaque ipso nomine ostendit Apostolus, illos teneri ad obedientiam: & proinde subnectit ipsum mandatum,

Iob. 1. 3.

Auscultate per omnia] Præceptum hoc iisdem verbis propositum fuit liberis, vers. 20. atque (ut tum dictum fuit) duo involvit; humilitatem in excipiendis jussis alterius, & alacritatem in iisdem exequendis: duo enim hæc innuuntur unico hoc vocabulo ὑπακούειν. Quod autem addit, ***per omnia***, id restringendum est ad licita & honesta, eáque quæ spectant ad officium servorum: nam si herus jubeat servum aliquid facere, quod aut pietati contrarium, aut à servili officio alienum sit, non tenetur parere; quia Dominus non debuit talia imperare. Rectè igitur Hieronymus hanc exceptionem apposuit, ***Per omnia; nimirum*** (inquit ille) ***in quibus Dominus carnis, Domino spiritûs contraria non imperat***. Non itaque Apostolus includit obedientiam impiam & illicitam, sed prohibet obedientiam dimidiatam, & arbitrariam pro libitu ipsorum servorum, cùm jubet obedire ***per omnia***

Dominis secundum carnem] Hic etiam titulus, æquè ac prior ille ***servorum***, æquitatem præcepti ostendit: nam ut ***servi*** vocabulum obedientiam alteri præstandam monet, sic ***Domini*** nomen obedientiam sibi ab alio debitam demonstrat. Illud autem additamentum, κατὰ σάρκα, significat hunc dominatum sive potestatem hominis in hominem, esse tantummodò temporalem, & in rebus externis & temporalibus; ad animam autem & conscientiam per se non pertingere. Hoc discrimen divinæ, & humanæ dominationis Christus observavit, Mat. 10. 28. ***Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed timete potiùs eum, qui potest & animam & corpus perdere.***

Documenta.

Docum. 1. Christiana religio non evertit ordinem Politicum; imò ne

Eth-

Ethnicos dominos privat imperio legitimo in Chriſtianos ſervos.

Errant itaque Anabaptiſtæ, qui imperium omne adverſari putant libertati Evangelicæ, etiam Chriſtianorum in Chriſtianos.

Errant Papiſtæ, qui imperium Regum in ſubditos per hæreſin amitti volunt; nam ſi Paganiſmo non obſtante, Dominus manebat Chriſtianorum Dominus κατὰ σάρκα, tum & Rex manebit Rex ſubditorum.

Chriſtiana religio id quod optimum & excellentiſſimum eſt in homine liberat jugo ſervitutis humanæ, ſpiritum nimirum & conſcientiam. Vide Gal. 5. 1. *Docum.* 2.

Errant igitur qui hominum animis & conſcientiis dominari volunt virtute cujuſcunque ſuperioritatis, & dominii humani; ſunt enim domini κατὰ σάρκα, non κατὰ πνεῦμα.

Errant etiam qui credunt, aut parent, doctrinis, aut juſſis ſuperiorum in ſpiritualibus, & ad ſalutem pertinentibus, non cogitantes aut quærentes à Deo fluxerint, an à propriis illorum adinventionibus. Hoc errore laborat vulgus Papiſticum, qui cæcam fidem & obedientiam præſtant Prælatis, quaſi illi dominarent fidei Chriſtianæ. Conſule 1. Pet. 5. 3. & 2. Cor. 1. 24.

Poſſunt & debent Chriſtiani ſubmittere ſeſe κατὰ σάρκα, id eſt, in rebus externis, caducis, & temporalibus, etiam iniquis imperiis illorum qui ſunt Domini κατὰ σάρκα. Sic Auguſtinus in Expoſ. Epiſt. ad Rom. propoſ. 74. *Non reſiſtendum magiſtratibus, etſi temporalia injuſtè nobis auferant.* Et 1. Pet. 2. 18. *Subditi eſtote dominis, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed dyſcolis* &c. Atque hæc de Præcepto & Neceſſitate obediendi; ſequitur de Modo. *Docum.* 3.

Modus obediendi ab Apoſtolo deſcribitur, tum Negativè, tum Affirmativè: negando, morbos oſtendit ſervorum, quibus Chriſtianum vacare oportet; affirmando, prophylactica quædam præſcribit prædictis morbis contraria. 3

Μὴ ἐν ὀφθαλμοδουλείαις, ὡς ἀνθρωπάρεσκοι] Tangit morbum ſervis nimis familiarem, & etiam cauſam ejuſdem. Morbus vocatur ὀφθαλμοδουλία, id eſt, *obſequium ad oculum.* Hoc morbo tenentur, qui, domino præſente & aſpectante, ſedulò & ſtrenuè faciunt officium ſuum; eodem abſente & ignorante, ociantur, &, quod pejus eſt, dilacerant & devorant rem herilem. Talis ſervus deſcribitur Lucæ 12. 45. qui dicit abſente Domino, *Tardat Dominus meus adventum*, ac proinde tyrannidem exercet in conſervos; ipſe autem edit, bibit, & inebriatur. Hic eſt morbus à Chriſtianis ſervis procul arcendus. Iam cauſam ſive fontem hujus morbi indicat, cum ſubjungit protinus,

Ὡς ἀνθρωπάρεσκοι] Ille ἀνθρωπάρεσκος dicitur, qui hunc ſolummodò ſcopum ſive finem ſibi proponit, ut laudetur ab hominibus, iiſque placeat; nihil interim ſolicitus, veríſne & legiti-

mis obſequiis hoc effecerit, an fucatis & ſimulatis: abſente itaq; ſpectatore ceſſat ab opere. Servulus ille cui ſic decretum eſt Domino placere, non in operibus ſuis conſcientiæ integritatem, non Domini utilitatem reſpicit; ſed tum ſolummodò præ ſe fert diligentiam & induſtriam in expediendis Domini negotiis, cùm viderit id ſibi ad ſuum finem expedire. Sunt itaque Scænicis actoribus ſimiles hujuſmodi ſervi: quemadmodum enim Comœdi, qui agunt ut placeant, & placere ſtudent ut indè ſibi compendium quærant, non aſcendunt ſcænam, niſi populo videnté & inſpectante: ſic hi ἀνθυπαίτιοι, non admovent manum operi, niſi cùm habeant Dominos ſpectantes & applaudentes. Atque hæc de morbo ὀφθαλμοδουλείας, & origine ejuſdem, fraudulento ſcilicet placendi propoſito: ſequuntur remedia oppoſita.

Sed cum ſimplicitate cordis, timentes Deum] Habent hæc manifeſtam antitheſin ad prædicta vitia. Nam ſimplicitas cordis opponitur doloſæ ὀφθαλμοδουλείᾳ: verus timor Dei fraudulento propoſito placendi hominibus: expulſis itaque iſtis vitiis, vult haſce contrarias virtutes regnare. Qui ad oculum inſervit Domino, duo corda videtur habere: unum officioſum & pium, quod illum excitat ad debita obſequia Domino ſpectante; alterum inofficioſum & impium, quod ad inertiam & fraudem impellit Domino abſente. Sed qui obedit ἐν ἁπλότητι καρδίας, ille unicum cor habet, & ſui ſemper ſimile, quod illum movet ad obſequium ſuum præſtandum, ſive herus inſpectet, ſive non; quia maximum fructum officii judicat eſſe ipſum officium. In ſimplicitate igitur cordis is agere & operari dicendus eſt, qui id facit excluſo dolo, hypocriſi, & omni occultatione pravæ intentionis ſub ſpecie honeſta; quíque deſiderat idem videri quod eſt, idem eſſe quod videtur. Sed huic ſimplicitati adjunxit,

Timentes Deum.] Vt ſtudium doloſè placendi hominibus, nil aliud producere poteſt quàm ὀφθαλμοδουλείαν, ſic verus & germanus Dei timor, ſimplicitatem & ſinceritatem ſemper producit: ut cauſam itaq; cum effecto, timorem Dei cum ſimplicitate cordis collocavit. Et rectè quidem: nam qui homines ſolos timet aut reſpicit, in quolibet officio fungendo varius & inconſtans erit, quia dirigitur regulâ inconſtanti: metus ſiquidem hominis inconſtans, utpote qui incitatur illo præſente, evaneſcit illo abſente; ſed metus Dei conſtans & firmus in pectore piorum, quia Deus ſemper illis præſens eſt, nunquam ut abſens cogitari debet aut poteſt. ***Deus ego ſum appropinquans, non Deus è longinquo***; Ier. 23. 25. Quod ne Poetam latuit, qui dixit, ὁ Ζεὺς βλέπει σε πλησίον παρών. Exemplum timoris divini præclarum habemus in Ioſepho; qui, cùm Domino abſente & ignorante ab ipſa Domina ſua ad ſtuprum ſolicitaretur, auſcultare noluit: ſed impudicam hiſce verbis repulit; *Gen. 39. 9.* ***Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?***

Si

Si ἀνδραποδίσκος tantummodò fuiſſet, & potuiſſet proculdubiò & feciſſet: ſed quia Deum ſupremum Dominum timebat, non potuit hac injuriâ afficere Dominum terrenum. Tales ſunt omnes qui inſerviunt Dominis ſuis *cum ſimplicitate cordis, timentes Deum.*

Vers. 23. *Et quicquid feceritis, ex animo facite, tanquam Domino & non hominibus*]

Pergit adhuc Apoſtolus in deſcribendo modo legitimæ obedientiæ, & addit aliam conditionem, nimirum ut omnia ſervorum obſequia præſtentur, non ſolùm in ſimplicitate cordis & timore Dei, ſed etiam ex animo: atque rationem ſtatim ſubnectit, quia ſcilicet Domino, id eſt Chriſto, non hominibus inſerviunt. Perpendamus itaq; primò ipſam conditionem requiſitam in omni obſequio ſervorum; ſecundò, rationem requiſitæ conditionis.

Quicquid feceritis ex animo facite, ἐκ ψυχῆς.] Duo implicantur hoc uno vocabulo. 1

1. Vt ſervi lubenter & alacriter agant quæ mandantur à Dominis, non coactè & invitè. Et ſanè verisimile eſt, ſervos quoſdam Chriſtianos, potiùs conditionis ſuæ neceſſitate, quàm voluntate, obtemperâſſe Dominis, præſertim infidelibus. Huic itaque malo mederi conatur Apoſtolus, cùm jubet ut omnia agant, non ex neceſſitate, ſed *ex animo.*

Ex animo agimus, cùm animus id cupit ac gaudet fieri quod manus facit: è contrà, cùm animus remurmurat & renititur, licèt externum opus peragatur, fit tamen ex corpore potiùs quàm ex animo. Nam, ut rectè Proſper, *Si quid invitus feceris, fit de te magis quàm facis.*

2. Hoc vocabulo etiam ſignificatur, ſervos debere inſervire Dominis μετ' εὐνοίας, ut ſcilicet non modò bene affecti ſint ad operis executionem, ſed etiam benevolo animo ſint erga operis mandatorem. Atque hæc ut plurimùm connexa ſunt inter ſe; nemo enim opus impoſitum alacriter perficit, niſi qui amore aut reverentiâ proſequitur illum qui opus mandavit. Atque hoc expreſſè ponitur ad Epheſ. 6. 7. μετ' εὐνοίας δουλεύοντες. *Nemo meliùs obtemperat quàm qui ex charitate obſequitur*, inquit Ambroſius. Hæc de conditione; veniamus jam ad rationem hujus conditionis.

Tanquam Domino, & non hominibus] Id eſt, utpote qui Domino ſerviunt potiùs & principaliùs quàm hominibus, etiam in illis obſequiis quæ exhibentur hominibus: uſus enim ſive utilitas operum ad homines reſpicit, animus operantis ad Deum primò & præcipuè. Negativa itaque particula hoc in loco non omnino tollit aut removet, quaſi nefas eſſet hominibus ſervire, aut homines reſpicere inter ſerviendum; ſed corrigit & minuit, 2

indicans

indicans Dominum Chriſtum magis & priùs reſpici oportere in iſtis obſequiis, quàm ipſos dominos terrenos.

Nota eſt Regula in ſacrarum Scripturarum expoſitione, *In comparationibus ſæpe negatur illud quod non eſt excludendum, ſed tantùm alteri poſtponendum:* ut Marc. 9. 36. *Qui me recipit, non me recipit, ſed eum qui miſit me*, id eſt, magis Patrem mittentem recipit, quàm me miſſum; quia illius gratiâ me recipit. Sic hoc in loco, *Domino, non hominibus*, id eſt, Domino Chriſto magis quàm hominibus; quia Chriſti causâ illis ſervitis.

Sed cur domino in hiſce vilibus & externis obſequiis parere magis dicuntur quàm hominibus, ad quorum juſſa ſunt, & quibus ſolis proſunt?

Primò, quia ipſi qui parent ſunt magis Chriſti quàm dominorum terreſtrium: nam domini terreni auro & argento emunt ſervos ſuos; Chriſtus eoſdem emit pretioſo ſuo ſanguine: illi corpus ſolum redemerunt, ídque in aliam ſervitutem; Chriſtus & animam & corpus in perpetuam redemit libertatem. Chriſto igitur præcipuè ſerviendum.

Secundò, quia dominis terrenis parent tantùm ad præſcriptum Chriſti; ergò magis Chriſto quàm illis: non ſecus ac ſervi inferiores qui diſpenſatori parent, magis tamen parere dicuntur hero ſuo, ad cujus voluntatem obtemperant diſpenſatori: repugnatur, ſi quid juſſerit contra dominum.

Tertiò, quia Chriſtus ipſe declaravit velle ſe ut ſervi dominis obſequantur, atque hoc ſeverè juſſit in verbo ſuo; atque ipſe etiam pro ſuâ gubernatoriâ prudentiâ & poteſtate alios ad ſervitutem ordinavit, alios ad dominationem. Hæc omnia dum ſpectant fideles ſervi, rectè dicuntur Domino & non hominibus ſervire.

Iam verò, hanc validiſſimam eſſe rationem cur ex animo faciant omnia, indè colligitur, quòd hic ſupremus Dominus, Chriſtus ſcilicet, & in animum poteſt inſpicere, & animum ſolet magis quàm externum actum reſpicere. Huic itaque qui placere cupit, ex animo omnia agat oportet. Iam documenta in unam ſummam colligamus.

Docum. 1. Chriſtianus ſervus non ſat habet, terreno ſuo domino placere, niſi itidem & placeat ſupremo Domino, ſcilicet Chriſto.

Docum. 2. Vtcunque opus & obſequium externum videatur laudabile; fucatum tamen eſt & hypocriticum, cùm ad malum finem refertur.

Docum. 3. In omnibus operibus vocationis noſtræ ſtudendum potiùs ut bonam ſervemus conſcientiam, quàm ut humanam reportemus approbationem.

Docum. 4. Defectus in omnibus obſequiis hominum erga homines oriuntur ex defectu timoris & reverentiæ erga Deum.

Illi ſoli verè Deum timere judicandi ſunt, qui ſimplici & recto corde verſantur inter homines; è contrà, qui erga homines ſe gerunt aſtutè & dolosè, ſunt in Deum impii & perfidi. *Docum. 5.*

Vt itaque concludamus; hic eſt modus obedientiæ Chriſtianæ, ut homo fidelis in omnibus operibus vocationis ſuæ ſic agat ac ſi nihil aliud in hoc mundo eſſet præter illum & Deum: namque cùm ſic in quovis opere fixos habeat oculos in Deum, non audebit ea obſequia hominibus obtrudere, quæ Deo cordium ſcrutatori novit eſſe odioſa & inviſa. Hæc de Præcepto obedientiæ, & Modo.

Vers. XXIV. XXV.

Scientes quòd à Domino recipietis mercedem hæreditatis: nam Domino Chriſto ſervitis.

Qui verò injuriam fecerit, recipiet id quod iniquè fecerit: nec eſt perſonarum reſpectus.

Hiſce duobus verſiculis continentur incitamenta duo ad prædictam obedientiam, ab illis rebus ducta, quibus maximè movetur humanum genus; nimirum à præmio, & pœna: à promiſſione ſcilicet præmii, verſu priore; à comminatione pœnæ, verſu poſteriore.

Quod ad priorem verſum attinet, habemus in eo, 1. Ipſam promiſſionem mercedis; ***Scientes quòd à Domino recipietis mercedem hæreditatis.*** 2. Confirmationem promiſſæ mercedis; ***Nam Domino Chriſto ſervitis.***

In hac promiſſione primò obſervemus Authorem ſive Donatorem mercedis promiſſæ, nimirum Chriſtum; ***Scientes quòd à Domino recipietis.***

Rectè & prudenter Apoſtolus hoſce ſervos à Chriſto vult expectare mercedem: nam domini terreni mancipiis, ſive emptis, ſive in bello captis, victum & veſtitum dabant, mercedem aliam non magis illis deberi putabant, quàm jumentis ſuis. Δίλῳ μισθὸς τροφή· Ariſt. Oecon. 1. 5.

Solatur itaque hoſce ſervos Apoſtolus, quòd etſi negligantur à dominis terrenis, habeant tamen cœleſtem Dominum munificum remuneratorem, qui non patietur illos mercedis expertes, ſi ex animo obſequantur heris ſuis, & ut decet homines pios & Chriſtianos. Itaque adjungit illud vocabulum εἰδότες, *ſcientes*, vel ***pro certo tenentes***; quia nefas eſt vel dubitare de mercede quam ipſe Chriſtus retribuendam ſuſcepit: utcunque enim homines pactam mercedem detinere & negare ſolent, Chriſtus tamen, id nec faciet unquam, nec facere poteſt. Hæc de Authore vel Promiſſore mercedis.

Secundò

Secundò, obſervemus qualitatem mercedis hoc additamento ſignificatam, ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας, ***mercedem hæreditatis.***

Videntur hæc non bene cohærere; nam merces ſolvitur operariis, hæreditas donatur filiis. Sed voluit Apoſtolus indicare, ſe non loqui de temporali aliqua mercede, quæ ex æquo valore reſponderet operæ illorum: ſed de illo æterno beatitudinis præmio, quod longè latéque ſuperat omnem dignitatem humanorum operum, aut obſequiorum.

Cœleſte itaque hoc præmium vocatur *merces*, non quòd homines illud promereri poſſunt dignitate operum ſuorum, ſed quòd in quibuſdam aliis circumſtantiis obtinet ſimilitudinem mercedis.

1. Vt merces non datur niſi operantibus & laborantibus; ſic cœleſte regnum non datur ocioſis, ſed laborantibus in vocatione ſua.

2. Vt merces dari non ſolet niſi poſt labores exactos; ſic vita æterna non datur, niſi poſt curſum vitæ hujus exactum.

Iam in duobus aliis cœleſte præmium eſt mercedi diſſimile.

1. Merces datur ex merito operantis; ſed præmium cœleſte datur ex gratia & liberalitate conferentis; Luc. 17. 10.

2. Merces habet proportionem ad opera quibus retribuitur, ſed cœleſte præmium nullam habet proportionem ad obſequia noſtra quibus rependitur: nam ***finiti ad infinitum nulla eſt proportio.*** Idem igitur hoc præmium vocatur etiam *hæreditas*, quia ad pios & fideles jure filiationis pertinet. Atque hoc vocabulo ſolatur ſervos Chriſtianos: nam utcunque non accepturi ſint mercedem à dominis terrenis, qui illos habent pro mancipiis; accepturi tamen ſunt hæreditatem à Deo, qui illos habet pro filiis: atque hanc mercedem hæreditariam illos ſpectare oportet.

De hac hæreditate jure adoptionis debitâ fidelibus ſic loquitur Apoſtolus ad Roman. 8. 15. ***Accepiſtis ſpiritum adoptionis per quem clamamus Abba, Pater. Quòd ſi filii, hæredes etiam: hæredes quidem Dei, cohæredes Chriſti;*** verſ. 17.

Corollaria.

Coroll. 1. Nulla vocatio tam vilis & abjecta, cui præmium ab ipſo Deo non proponitur, ſiquidem homines in eadem piè verſentur. Non tam igitur ſpectandum quàm ſit noſtra vocatio honorifica; ſed laborandum potiùs ut quæcunque tandem illa ſit (modò legitima & honeſta) probè à nobis, & conſcientiâ bonâ obeatur. Hinc illud conſilium Apoſtoli 1. Cor. 7. 20. ***Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus fuit, in ea maneat. Qui in Domino vocatus eſt ſervus, libertus Domini eſt &c.*** verſ. 22.

Coroll. 2. Non oportet oculos aut animum figere in præmia illa levia, quæ ab hominibus promittuntur rectè agentibus; ſed ſemper ſpectare oportet mercedem illam æternã, quam Deus Pater promiſit

filiis

filiis ſuis obedientibus. Sic Paulus in vocatione ſua obeunda, non mercedem gratiæ aut gloriæ humanæ, aut lucri terreni ſpectat; ſed coronam illam *quam Dominus reddet diligentibus adventum ſuum*; 2. Tim. 4. 8.

Peccant qui bene agere deſiſtunt, aut ſaltem languidè & remiſsè agunt propter hominum ingratitudinem & iniquitatem: ſufficit enim pio, ſcire quòd à Chriſto accepturus ſit mercedem hęreditatis; quâ contentus abire debet, etſi interim negligatur & malè tractetur ab hominibus. *Coroll.* 3.

Errant etiam qui præmium hoc beatitudinis meritis ſuis imputant: nam etſi detur operantibus, non tamen propter operum dignitatem, ſed jure adoptionis, ut antè dictum & probatum eſt. Iam verò adoptio meritum excludit, ſi rectè definiatur à Iuriſconſultis: *Adoptio eſt gratuita aſſumptio perſonæ non habentis jus in hæreditate, ad participationem hæreditatis*; Durand. lib. 3. diſt. 10. qu. 2. Atque hæc de promiſſione mercedis; ſequitur confirmatio promiſſionis. *Coroll.* 4.

Nam Domino Chriſto ſervitis] Valet hoc ad confirmandam ſpem ſervorum de recipienda ſua mercede ab ipſo Chriſto: nam opus & merces Relata ſunt; æquitas igitur poſtulat, ut cui opus exhibetur, ab illo merces expectetur. Vix credibile videbitur, ut qui funguntur vilibus officiis apud homines hîc in terris, dicantur hoc ipſo ſervire ipſi Chriſto, qui glorioſus, & humani obſequii minimè indigus, ſedet in cœlis. Sed ratio in promptu eſt (quam verſu ſuperiore fuſiùs expoſuimus) nimirum, quòd quæcunque præſtantur obſequia hominibus juxta præſcriptum & mandatum Chriſti, & propter ordinationem & gloriam Chriſti, ipſi Chriſto exhibita & oblata judicantur. *Servit* enim *Deo, qui propter Deum ſervit homini*, ut rectè in hunc locum Hieronymus. Hoc ipſe Chriſtus oſtendit, Mat. 25. verſ. 40. & 45. *Quatenus id feciſtis uni ex iſtis, mihi feciſtis. Quatenus id non feciſtis uni ex iſtis, nec mihi feciſtis.* Hoc eo in loco dicitur de operibus eleemoſynæ, quatenus exhibentur aut negantur hominibus; ſed extendi debet ad omnia opera obedientiæ à Deo mandatæ: nam hæc cùm præſtantur hominibus, præſtantur Deo qui ea fieri mandavit; cùm negantur illis, Deo ipſi negata cenſentur. Neque hoc injuriâ: nam qui juſſus à Deo parere hominibus, detrectat ferre imperium humanum; ſi vires ſuppeterent, excuteret etiam & divinum.

Corollaria.

Nulla ſervitus non honorifica eſt, in quâ homines bene & fideliter ſe gerunt: nam qui ſunt hujuſmodi, ipſi Chriſto inſerviunt, quod eſt culmen dignitatis & honoris. *Coroll.* 1.

Nullus honor, nullum imperium vindicat hominem impro- *Coroll.* 2.

bum ab ignominia & dedecore: nam qui ſunt iſtiuſmodi, Diabolo inſerviunt, quod eſt abyſſus infamiæ & miſeriæ.

Coroll. 3. Qui ſub dominio aliorum conſtituti, ſervire nolunt, ſunt non modò in homines, ſed in Deum & Chriſtum rebelles. Vnde illud ipſius Dei contra Iſraelitas Samuelis imperium excutere volentes, *Non te abjecerunt, ſed me*; 1. Sam. 8. 7.

Coroll. 4. Non debemus ulli mortalium parere in iis quæ ſunt contra voluntatem Chriſti; iniquum enim eſt, & à recta ratione alienum, ut illis pareatur contra Chriſtum, quibus paretur propter Chriſtum. Atq; hæc de priore incitamento ducto à promiſſione præmii; reſtat alterum à comminatione pœnæ.

VERS. 25. *Qui verò injuriam intulerit, recipiet id quod iniquè geſſit: nec eſt perſonarum reſpectus.*

Servos ſuperiore verſiculo invitavit Apoſtolus ad officium ſuum probè faciendum, propoſito illis præmio; jam eoſdem ſtimulat ad idem officium, pœnâ quoq; intentatâ. Sunt autem hujus verſiculi duo membra.

Prius habet comminationem vel intentationem pœnæ omnibus qui defecerint in officio; *Qui injuriam intulerit &c.*

Poſterius habet anticipationem tacitæ objectionis, quæ videtur infringere certitudinem pœnæ intentatæ; *Nec eſt perſonarum reſpectus.*

Qui injuriam intulerit, recipiet id quod iniquè geſſit] Nonnulli putant in ſolatium ſervorum hanc pœnam dominis iniquis intentatam: quaſi dixiſſet Apoſtolus, Si domini veſtri improbi & iniqui fuerint, ne deſpondete animos, ne deſiſtite quod veſtrum eſt illis præſtare; ſed Deo vindictam relinquite, qui ulciſcetur quaſcunque vobis intulerint injurias.

Solent domini imperioſi & impii multis modis injuriam inferre ſervis ſuis; quandoque illos defraudant veſtitu, victu, aut debitâ mercede; quandoque premunt & urgent laboribus ſupra vires; quandoque contumeliis & injuſtis verberibus affligunt: *Exod. 5.* quę omnia ferè acciderunt populo Dei in Ægyptiaca ſervitute.

Ob hujuſmodi injurias, ne ſervi per impatientiam aut iracundiam inſurgant in dominos, aut per ignaviam deſerant munia ſibi impoſita, dicit Apoſtolus, Quicunque tandem ille fuerit, qui haſce injurias intulerit ſervo ſuo, ab ipſo Deo *recipiet id quod iniquè geſſit*, hoc eſt, ſentiet vindictam & pœnam iniquitati ſuæ reſpondentem.

Specimen habemus hujus divinæ vindictæ in Ægyptios oppreſſores, quos Deus multò gravioribus pœnis afflixit, quàm illi potuerunt ſervos ſuos Iſraelitas affligere; & in Saulem, qui in poſteris ejus punitur ob Gabaonitas per injuriam occiſos; 2. Sam. 21.

Alii interpretes hanc comminationem referunt ad ipſos ſervos;

vos; quaſi dixiſſet Apoſtolus, Si cœleſtis præmii expectatio vos ad officium implendum non poſſit accendere; at hoc ſaltem excitet, quòd ipſe Deus puniet, ſive contumaciam, ſive ignaviam veſtram. Nam ſervi contumaces, qui dominos ſuos contemnunt & floccifaciunt, injuriam illis inferunt, quatenus obedientiam, & reverentiam illis debitam non perſolvunt: deſidioſi etiam ac doloſi cenſentur injuriam dominis inferre, quia obſequia illis debita, aut omnino non præſtant, aut non eâ fide & cordis ſinceritate quâ oportuit. Si igitur ſervi hiſce modis, aut aliis quibuſcunque injuriam intulerint dominis ſuis, recipient id quod iniquè geſſerunt; hoc eſt, Deo judice & vindice, pœnas improbitatis ſuæ dabunt. Extat exemplum Giezi, 2. Reg. 5.

Sed cum Hieronymo arbitror utramq; interpretationem conjungendam; tum quia Apoſtolus omnes generatim alloquitur, tum quia hanc comminationem mediam interſeruit inter officia ſervorum & dominorum, ut ad utroſque ſcilicet ex æquo poſſet pertingere. Sic igitur explico verba Apoſtoli; *Quicunque injuriam intulerit*, ſive ſit dominus ſervum injuſtè affligendo, ſive ſervus dominum contemnendo aut defraudando; uterque *recipiet quod iniquè geſſit*, id eſt, malè mulctabitur à ſupremo Domino Deo pro gravitate peccati ſui.

Documenta.

In omni peccato (etſi ſpes impunitatis ſit apud homines) tamen ſtatuendum eſt impendere peccantibus pœnas ab ipſo Deo infligendas. Quid autem prodeſt vitâſſe manus hominum ultrices, & incidiſſe in manus Dei viventis? *Docum. 1.*

Domini terreni quantalibet poteſtate armati, non poſſunt tutò aut impunè ſibi ſubjectos proterere: nam & ipſi ſubjiciuntur Deo; & *omne ſub regno majore regnum eſt*, ut loquitur Tragicus. *Docum. 2.*

In tractandis ſubditis aut ſervis, ſemper qui illis præſunt perpendere debent, an quæ faciunt ejuſmodi ſint, ut vel Deo judice ab injuriarum crimine poſſint abſolvi: nam ad hoc tribunal ratio reddenda eſt. *Docum. 3.*

Omnium mortalium miſerrimi ſunt, qui alios maximè affligunt miſeriis: nam ipſi recepturi ſunt ea omnia quæ iniquè geſſerunt. Delirant igitur qui ſe felices putant, hac injuriarum inferendarum poteſtate. Sic Sylla *Felicis* cognomentum nactus eſt, quòd ſcilicet impunè potuit pro libidine ſua innoxios cives interficere. *Docum. 4.*

Qui ſunt ſub imperio & poteſtate aliorum, nullis injuriis moveri debent ad officii ſui neglectionem: ſed potiùs in officio manere, & illas Deo vindicandas relinquère. Hæc de comminatione. *Docum. 5.*

Nec eſt perſonarum reſpectus] Ineſt hiſce verbis anticipatio tacitæ objectionis. Potuit enim objici ex parte dominorum, Quis

nos ob ſervulum malè tractatum in judicium vocabit? Servi pro nullis habentur; ſervis nulla injuria fieri intelligitur, ut volunt Iuriſconſulti. Sed fac nos in judicium vocatos; aut gratiâ elabemur, aut vi perrumpemus, aut pecuniâ ipſum judicem corrumpemus. Occurrit hiſce cogitationibus Apoſtolus, & affirmat non eſſe eandem rationem judicii divini, & humani. Humana tribunalia ſunt aranearum telis ſimillima; implicant impotentes & imbecilles, at potentes & divites ſolidâ vi perrumpunt. Aſt ſupremus ille Iudex non terretur potentiâ, non flectitur gratiâ, non corrumpitur pecuniâ improborum: nulla eſt apud illius tribunal προσωπολημψία. Hoc optimè depingitur Iobi 34. 19. *Qui non accipit perſonas principum, nec cognovit tyrannum cùm diſceptaret contra pauperem: opus enim manuum ejus ſunt univerſi.* In hanc ſententiam ſcripſit Ambroſius, *Dominus juſtus judex eſt; cauſas diſcernit, non perſonas.* *In Epheſ. 6.*

Sed etiam ex parte ſervorum objici potuit, Quid? Si dominis hiſce noſtris terrenis non pareamus ex animo; ſi fallamus quandoque cùm datur occaſio; an igitur putandum eſt ipſum Deum in nos miſellos vindicaturum? Sat miſeriarum experti ſumus in vita agenda ſub hiſce dominis duris & imperioſis; à Deo miſerationem potiùs quàm ſupplicium expectamus.

Hiſce etiam Apoſtolus præcidit hanc inanem ſpem, & negat Deum præter æquum & bonum, aut ex miſericordia favere pauperibus, aut ex invidia detrahere quod ſuum eſt divitibus. Imò lege latâ hanc quoque προσωπολημψίαν ſuſtulit, Exod. 23. 3. *Pauperis non miſereberis in judicio:* & Levit. 19. 15. *Non facies quod iniquum eſt, nec injuſtè judicabis. Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis.* Non eſt igitur perſonarum reſpectus apud Deum, qui ſemper ſolet πᾶσι δίκαια νέμειν, μηδὲ κρίσιν ὁς χάριν ἴλκειν· ut rectè Poeta.

Documenta.

Docum. 1. Non modò illæ injuriæ quæ inferuntur Regibus & Magnatibus, ſed quæ ſubditis & ſervulis, Deum quoque habent ultorem.

Docum. 2. Vtriſque proinde ex æquo cavendum, ne peccent in alterutrum: cùm uterque ex æquo ſubjaceat vindictæ divinæ.

Docum. 3. Oportet eos qui Dei vicem gerunt in terris, hanc divinam juſtitiam imitari, &, depoſitâ προσωπολημψία, quod ſuum eſt unicuiq; tribuere. Rectè dixit Archytas, *Iudicem & Aram idem eſſe: ad utrumque enim confugitur, quoties alicui injuria intentatur.* Vt itaque Iudex ſit Ara, tam pauperes & infimæ ſortis homunculos, quàm divites & magnates protegere debet.

Finis Capitis tertii.

Cap. IIII.

Vers. I.

Vos domini, quod juſtum & æquum, ſervis exhibete: ſcientes quòd & vos Dominum habetis in cœlis.

VErſiculus hic, qui primus conſtituitur hujus quarti Capitis, videtur mihi à Capite præcedente inconſultò & nullâ ratione avulſus. Refertur itaque ad Caput præcedens, à Chryſoſtomo, Aquinate, Hugone, Illyrico, Muſculo, Zanchio, aliiſque: atque ad illud pertinere, clamat tum ipſa materia, quæ eadem planè eſt cum octo verſibus præcedentibus, ſcilicet œconomica; tum materia verſiculi inſequentis, quæ planè nova eſt, & proinde novi Capitis initium aptiùs eſſe potuit. Nos itaque hunc verſum, tanquam prioris Capitis particulam, explicabimus: ejus autem duo membra ſunt. In priore proponit dominis officium ſuum; ***Vos domini, quod juſtum eſt & æquum, ſervis exhibete.*** In poſteriore ſtimulum addit ad idem præſtandum; ***Scientes quòd & vos Dominum habetis in cœlis.***

Vos domini] Explicato ſervorum officio, dominos itidem ſui officii admonere voluit; quia nihil pernicioſius domino tyrannico, nihil facilius quàm abuti imperio. Vnde Plato optimum ſpecimen veræ juſtitiæ eſſe dixit, *ſi quis abſtineat ab illis lædendis, quos facile eſt injuriâ afficere.* Subjiciam ejus verba, digna obſervatione: Διάδηλος ὁ φύσει καὶ μὴ πλασῶς σέβων τὸν δίκαιον, μισῶν δὲ ὅλως τὸ ἄδικον ἐν τούτοις μὴ ἀνθρώπων ἐν οἷς αὐτῷ ῥᾴδιον ἀδικεῖν· de Leg. 6.

Ne igitur vel ſervos neglexiſſe, vel dominos omni lege ſolutos reliquiſſe videretur Apoſtolus, etiam hoſce præceptis ſuis conſtringit. Ad præceptum ipſum veniamus; cujus duo ſunt membra;

Quod juſtum eſt exhibete ſervis] Τὸ δίκαιον hoc in loco includit quicquid ſervis debetur ex obligatione legali, vel ſecundum leges poſitivas; excludit quicquid iiſdem adverſatur. Ariſtoteles tria ſtatuit ſervis neceſſaria & debita: Ἔργον, τροφὴν, κόλασιν· nos & quartum addemus, ſcilicet μισθὸν· qui debetur ſervis noſtris, quia non ſunt mancipia, ut olim fuerunt apud Veteres. 1

Oecon. 1. 5.

Ad juſtitiam igitur dominorum pertinet, hæc omnia ſervis exhibere juxta debitam menſuram: injuſtitiæ eſt, aut ſaltem ſtultitiæ, ſi aliter cum illis agant. Verbi causâ; in opere ſervis injungendo juſtitiam colit, qui nec premit laboribus immodicis, nec ſinit ocio & deſidiâ torpeſcere: Sic in cibo præbendo, qui nec detrahit illis victum neceſſarium ac convenientem, neque patitur illos gulæ & ebrietati indulgere: In caſtigatione adhibenda, qui nec crudeliter in illos ſævit ultra meritum delicti, nec ſinit eos tamen impunè quævis flagitia admittere: In mercede perſolvenda, qui nec ità præparcus eſt, ut indè non poſſint quæ neceſſaria ſunt ſibi parare; nec ità prodigus, ut luxuriandi materiam illis ſuppeditet. Græcus Scholiaſtes ſic totam rem expreſſit, Τὸ δίκαιον καὶ ἡ ἰσότης ἐστὶ τὸ ἀμείβεσθαι τῶν πόνων τοὺς δούλους, καὶ ἐν ἀφθονίᾳ πάντων τῶν πρὸς χρείαν καθιστᾶν. Sequitur alterum hujus præcepti membrum,

2 *Quod æquum eſt exhibete ſervis*] In Græco eſt τὴν ἰσότητα, *æqualitatem*, vel *æquabilitatem*. Quod vocabulum non eo ſenſu accipiendum eſt, quaſi oporteret dominos æqualem honorem, ac æqualia illis quæ ab iis exigunt obſequia, ſervis exhibere: nam rectè Plato, Τοῖς ἀνίσοις τὰ ἴσα ἄνισα &c. ***Inæqualibus dare æqualia, eſt inæquale.***

Hæc igitur ἰσότης, non ipſa opera ſive officia ſervorum & dominorum deſignat; quæ diverſa ſunt & planè oppoſita: ſed refertur ad animum & modum agendi; qui in utriſque par eſſe debet analogicâ quadam proportione. Verbi causâ; ſervi jubentur parere dominis in ſimplicitate cordis, & timore Dei: jam domini τὴν ἰσότητα præſtant illis, cùm ipſi imperant etiam piè & religiosè. Servi jubentur ex animo & cum benevolentia ſervire dominis: domini paria rependunt, cùm regunt ſervos ſuos miti & paterno quodam affectu. Vt itaque ſub compendio redigam diſcrimen *juſti* & *æqui* hoc in loco: id juſtum vocatur, quod Lex exigit, vel quod ſervis debetur ex obligatione Legali; id æquum dicitur, quodcunque Charitas, & Manſuetudo Chriſtiana poſtulat, quodque illis debetur ex obligatione Morali. Hujus æquitatis, vel æquabilitatis, hæc præcipua opera ſunt;

1. Servum, ut ejuſdem naturæ, addo etiam & gratiæ participem, æſtimare; non animo elato vilipendere, ut ſolent nonnulli: nam utcunque Dominus & Servus ſint vocabula diſtinctæ conditionis; Homo tamen & Homo ſunt nomina ejuſdem naturæ. Vnde Philonis illud, ***Fortuna diſtinxit dominos à ſervis, natura utriſque communis & eadem.*** Et Paulus huc reſpexit, cùm juſſit Philemonem recipere Oneſimum jam factum Chriſtianum, Οὐκέτι ὡς δοῦλον, ἀλλ' ὑπὲρ δοῦλον, ἀδελφὸν ἀγαπητόν, Epiſt. ad Philem. verſ. 16.

De Spec. Legib.

2. Cum ſervis ſic agere in omnibus, ut non valeat illud,

lud, *Stet pro ratione voluntas*; ſed vel illis auſcultare & cedere paratus ſit dominus, quoties ratio, & veritas id poſtulaverit. Profitetur Iobus ſe ſervis hanc æquitatem exhibuiſſe, &, ni exhibuiſſet, divinæ iræ obnoxium fuiſſe: *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo, & ancilla mea, cùm diſceptarent adverſum me: Quid enim faciam cùm ſurrexerit ad judicandum Deus? &c.* Iobi 31. 13. & 14.

3. Humanæ infirmitatis rationem habere, & ſervos, vel morbo debilitatos, vel ſenectute, vel aliâ causâ quacunque, clementer & miſericorditer tractare, benigniter & amanter fovere & curare. Atque hanc ob cauſam mihi videntur Romani Dominum *Patremfamilias* appellâſſe, quòd Paternâ curâ & amore complecti debeat omnes in familia ſua, quaſi fidei & tutelæ ſuæ concreditos.

4. Servis fidelibus & benemeritis, etiam ſupra pactam mercedem, præmia quædam extra ordinem dare: nam cùm illi, fidelitate & amore erga dominos, ſe præſtiterint pluſquàm ſervos; poſtulat ἰσότης, ut, liberalitate & munificentiâ, domini ſe exhibeant pluſquàm dominos. *Servus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima &c.* Eccleſiaſtici 7. 21.

Documenta: Ab eo quòd etiam Domini in ordinem coguntur.

Prudens Verbi diſpenſator, non ſervos, aut ſubditos, aut infimæ ſortis homines ſolummodò; ſed dominos, magiſtratus, omnéſque adeò qui Chriſti jugo colla ſubmiſerunt, erudire, monere, increpare debet. *Docum. 1.*

Vtcunque ſolitum eſt ſuperioribus (neque id injuria) de ſubditorum vitiis conqueri; tamen ut plurimùm & ipſi non minoribus inficiuntur: utriſque igitur incumbit, non tam alterius vitia exaggerare, quàm ſua emendare. *Docum. 2.*

Documenta: Ab ipſo præcepto de juſtitia exhibenda.

Injuſtus & improbus dominus eſt, qui tractat ſervos ad regulam ſuæ, non divinæ voluntatis: Dei enim voluntas eſt regula juſtitiæ, & ſemper præſcribit auream mediocritatem; humana vergit ad extrema. Vnde Plato, Μετρία μὲν ἡ θεῷ δουλεία, ἄμετρος δὲ ἡ τοῖς ἀνθρώποις, *Moderata ſervitus eſt quæ Deo placet, immoderata quæ ad humanam libidinem exigitur.* *Docum. 1.* *Epiſt. 9.*

Taxandi itaque hîc domini, qui peccant ex utravis parte contra illam juſtitiæ regulam quam ab initio deſcripſimus. Multi providos ſe & frugi exiſtimant, dum ſervos domant laboribus & verberibus, macerant fame & jejuniis: alii è contrà ſeſe venditant pro dominis beneficis, quòd permittunt eoſdem ocio diffluere, & in ſingulos dies temulentis compotationibus vacare. Sed neutri τὸ δίκαιον tenent. *Docum. 2.*

Documenta: A præcepto de æquitate.

Docum. 1. Dominus Chriſtianus non tantùm ſpectare debet, quid lex, aut conſuetudo humana, ſed quid inſuper charitas & manſuetudo Chriſtiana jubet ſervis exhibere. Si illa non præſtiterit, injuſtus peragetur etiam ad tribunal hominum: ſi hæc non fecerit, impius & crudelis peragetur ad tribunal Dei.

Docum. 2. Ius analogum, ſive ἰσότης, valere debet inter omnes hominum ordines; & quæcunque ſuperiores exigunt à ſubditis, paria debent, ſi non ſpecie, tamen analogiâ iiſdem rependere. Hæc de præcepto.

Scientes quòd & vos Dominum habetis in cœlis] Iam ſtimulum ſubjicit ad præcepti obſervationem. Is autem duplex eſt: unus in eo, ut ſciant quòd & ipſi habeant Dominum; *Scientes quòd & vos &c.* alter in eo, ut ſciant qualem & ipſi habeant Dominum; *In cœlis.*

Scientes quòd & vos Dominum habetis] Id eſt, *tenentes, credentes, cogitantes* vos itidem ac ſervos veſtros Domino ſubeſſe. Cogitatio hæc acerrimus ſtimulus eſt ad juſtitiam & æquitatem ſervis exhibendam, quia cauſam injuſtitiæ & iniquitatis elidit. Ideò enim domini nihil non audent in ſervos ſuos, quòd putant illos ſolos ſervos eſſe, ſe Dominos abſolutos, & nihil aliud quàm Dominos. Iubentur igitur ſcire & meminiſſe, ſe etiam ſervos eſſe ejuſdem ſupremi Domini, & proinde ſervorum ſuorum conſervos: eſt autem à ratione alienum, ut ſervus, quamvis paulò honoratior, injuſtè & tyrannicè agat cum conſervis ſuis; quia non vult ut Ipſe Dominus eodem modo ſecum agat.

Dominum habetis in Cœlis] Hoc vocabulo indicare voluit, qualem Dominum habeant & ipſi domini; Cœleſtẽ ſcilicet, id eſt, juſtum, omnipotentem, omniſcium, uno verbo, Deum. Hæc etiam cogitatio valde facit ad reprimendam dominorum injuſtitiam: nam ideò inſolenter ſe gerunt adverſus ſervos, quia plerunq; nec illis adeſt reſiſtendi facultas, nec videtur adeſſe ullus judex, aut defenſor, qui injurias ſervis illatas ulciſcatur. Iubet igitur Apoſtolus ipſos dominos cogitare, ſe habere Dominum, eúmq; non mortalem, ſed Cœleſtem, qui non patietur illos impunè abuti delegatâ in ſervos authoritate.

Tali igitur Domino ſubditi, debent in omnibus ſanctè colere & obſervare juſtitiam & æquitatem,

Primò, quia hic Dominus cœleſtis, omniſcius eſt, adeò ut nihil illum poſſit latere quod perperàm & injuſtè agatur. Extremæ autem audaciæ eſt, Domino cœleſti inſpectante, protervè & crudeliter tractare conſervos: nam nequam ille ſervus in Evangelio, non audet conſervos affligere, priuſquam dominum peregrè profectum videt. Quandoquidem igitur hic Dominus cœleſtis nunquam à nobis abeſt, nunquam tutum eſt protervire.

Secun-

Secundò, quia hic Dominus cœleſtis, ſanctus & juſtus eſt, & odio habet omnem injuſtitiam. Terreni quidem domini quandoq; aut favent improbitati ſervorum, aut ſaltem connivent; quia ipſi pariter improbi ſunt: nulla autem ſpes eſt, illum Domino cœleſti poſſe placere, qui juſtitiam & æquitatem audet violare. *Odio eſt Deo impius & impietas ejus*; Sap. 14. 9.

Tertiò, quia hic Dominus in cœlis, omnipotens eſt: poteſt igitur ille quod odit punire; nec poteſt quiſquam ſe ex manibus ejus eripere. Eſt omnium Dominator, nec verebitur magnitudinem cujuſpiam: *Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio*; Sapient. 6. 9. Cogitent igitur hæc omnia domini, ſe habere Dominum, ſe habere Dominum Cœleſtem, id eſt, omniſcium, omnis injuſtitiæ oſorem, omnipotentem; atque hoc eos ſtimulabit ad juſtitiam & æquitatem ſervis exhibendam.

Documenta.

Fideles & pii ſic ſeſe gerant erga ſuos inferiores, ut interim ſemper meminerint ſe habere Dominum ſuperiorem. *Docum.* 1.

Nimis uſitatum viris potentibus, & in eminenti loco conſtitutis, oblivioni tradere hunc ſupremum & communem Dominum. *Docum.* 2.

Oblivio hęc omnis injuſtitiæ & iniquitatis origo eſt, ut patet in Pharaone, Exod. 5. 2. *Neſcio Dominum, Iſrael non dimittam.* *Docum.* 3.

Cogitandum igitur perpetuò, qualem Dominum habeamus in cœlis, ut hæc ipſa cogitatio ſtimulus ſit quo excitemur ad æquitatem, & frænum quo inhibeamur ab injuſtitia & tyrannide. *Docum.* 4.

Eâ clementiâ tractare oportet ſervos noſtros, quâ optamus ut Dominus cœleſtis utatur erga nos. *Docum.* 5.

Atque ſic explicâtam habetis hanc œconomicam Apoſtoli hortationem, quam ad Caput præcedens retulimus; jam ultimi Capitis expoſitionem aggrediemur.

CAPITIS QUARTI EXPOSITIO.

Argumentum.

Præcula præmittam de Argumento hujus Capitis; dein rectà pergam ad contextus explicationem. Poſt tradita igitur præcepta œconomica, quæ pro diverſo perſonarum

rum ſtatu ad ſingulos accommodantur, revertitur Apoſtolus ad hortationes quaſdam generales, quæ omnibus communiter proponuntur. Hiſce ſtatim ſubjungit honorificam mentionem Tychici & Oneſimi, per quos miſſa eſt hæc Epiſtola ad Coloſſenſes. Demum ſalutat illos nomine multorum piorum qui tum Romæ verſabantur, præcipitque ut publicè in Eccleſia legatur hæc Epiſtola, atque ſic clauſulam eidem imponit. Sunt itaque tres præcipuæ hujus Capitis partes;

Hortationes, Laudationes, Salutationes.

Hortatur ad tria, { Perſeverantiam in orando; verſ. 2, 3, 4. / Sapientiam in converſando; verſ. 5. / Diſcretionem in loquendo; verſ. 6.

Commendat illis duos eximios viros { Tychicum, verſ. 7. 8. / Oneſimum, verſ. 9.

Quod reliquum eſt hujus Epiſtolæ, Salutationibus penè totum conſumitur, pauculis aliis interjectis & additis. Ad contextum veniamus.

VERS. II. &c.

Orationè inſtate (vel *fortiter incumbite*) *vigilantes in ea, cum gratiarum actione. &c.*

IN hoc verſu & duobus ſequentibus accendit Coloſſenſes ad diviniſſimum illud & utiliſſimum opus orationis. In quo tractando, non eſt inſtituti mei locum hunc communem explicare, ſed ea tantùm exponere quæ expreſsè tanguntur ab Apoſtolo in ipſo contextu: hęc autem in genere duo ſunt. 1. Conditiones quædam requiſitę in ipſis orantibus; verſu hoc ſecundo. 2. Specialis quędam & perneceſſaria materia orationis, ſeu cauſa orandi; verſ. 3. & 4.

Conditiones tres hoc in loco recenſentur: { Vehemens perſeverantia. / Cauta vigilantia. / Pia gratitudo. De quibus ſigillatim.

1 Τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε] Gręcum hoc vocabulum deducitur à καρτος, quod unâ literâ tranſpoſitâ idem eſt quod κρατος, robur ſcilicet, vehementia, victoria. Vnde καρτερεῖν, fortiter tolerare, vel perdurare; & προσκαρτερεῖν, vehementer & aſſiduè incumbere rei alicui difficili & laborioſę, donec eam ad optatum eventum perduxeris, & quaſi victoriam obtinueris. Προσκαρτέρησις igitur hæc duo involvit; vehementem quandam animi intentionem, & quaſi pugnam, dum verſatur in actu orandi; & aſſiduam frequentationem orationis: Ἐν παντὶ καιρῷ ἐν πνεύματι· Epheſ. 6. 18.

Quod attinet ad vehementiam, ſeu animi intentionem; eſt ea quidem multis nominibus valde neceſſaria:

1. Quia

1. Quia cauſæ orandi ejuſmodi ſunt quæ maximè excitare debent mentem humanam ad hoc opus ſeriò & totis viribus agendum: nam magnitudini rei quæ geritur, intentionis noſtræ magnitudo ſemper ſolet, aut ſaltem debet, reſpondere. Iam verò *nulla negotia comparari poſſunt negotiis veniarum, gratiarum, gloriarum: at hæc ea ſunt, quæ præcipuè per orationem quæruntur*; Pariſienſ. de Rhetor. divina cap. 38. Tanta igitur ac talia bona frigidè & perfunctoriè petere, quid aliud eſt quàm Deo illudere?

2. Quia torpidæ iſtæ & ſomniculoſæ preces, quæ animo aut vagante, aut obtorpeſcente dicuntur, nec cœlos penetrare, nec Deum ad audiendum inflectere poſſunt: oratio enim noſtra nuncii vicem præſtat inter nos & Deum; nuncius autem ſi vel nugas in via egerit, vel obdormiverit, nec ad itineris metam perveniet, nec negotia ſibi commiſſa expediet. Vnde Cyprianus de Orat. Domin. *Quâ fronte te audiri à Deo poſtulas, cùm te ipſe non audias?*

3. Requiritur hæc animi intentio & fervor ſpiritus inter orandum; quia cor ſpirituali hoc calore ardeſcit, emollitur, ſimul & dilatatur, aptiúſq; ac capacius ad excipienda divina munera efficitur. Atque hoc in cauſa fuiſſe arbitror, quòd *Fratres Ægyptiaci breviſſimis & raptim ejaculatis orationibus uti voluerint, ne ſcilicet per moras evaneſceret & hebetaretur intentio*; Auguſt. de orand. Deo ad Probam, Epiſt. 121. cap. 10.

4. Intentio hæc & ardor animi, vel eam ob cauſam maximè optabilis eſt, quòd piæ & devotæ mentis ſignum certiſſimum ſit; ut è contrà, frigida & ſomnolenta oratio, indicium animi carnalis, & terrenis rebus agglutinati. Sic Chryſoſtomus in lib. 1. de orando Deo; *Cùm video* (inquit) *quenquam non ſtudioſum orandi, continuò mihi palam eſt, eum nihil egregii in animo poſſidere: rurſus, ubi conſpexero aliquem orationi vehementer & validè incumbentem, illum omni virtute & pietate ornatum colligo.*

5. Quia ardens hoc deſiderium, teſtante Scripturâ, in omnium Sanctorum precibus emicuit. Hac fervidæ orationis luctâ Iacobus cum Deo ipſo colluctans, victor evaſit; Gen. 32. Hac eâdem Moſes Dei manus quaſi ligavit, nec paſſus eſt illum perdere rebelles Iſraelitas. Ob hanc vehementiam David orationem ſuam *clamorem* paſſim vocat. Vt expediam verbo; hæc intentio & fervor orationis ad impetrandi efficaciam maximè ſemper valuit, teſtante Apoſtolo Iacobo, cap. 5. ver. 16. Πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη. Quid eſt autem ἐνεργουμένη δέησις, niſi precatio ſpiritu quodam mota, acta, & quaſi vivificata? Atq; hæc de vehementia ſeu intentione animi, quæ requiritur in ipſo actu orandi, atq; innuitur hoc verbo προσκαρτερεῖτε.

Sed dictum eſt hoc vocabulo, προσκαρτερεῖτε, aliud inſuper innui, nimi-

nimirum aſſiduitatem, ſive frequentationem hujus exercitii; quæ tanta & tam continua eſſe debet, ut eo reſpectu in ſacris Scripturis jubeamur ſemper orare. Ipſe Chriſtus per parabolam oſtendit Diſcipulis ſuis, *quòd ſemper oportet orare, & non deficere*; Luc. 18.1. *Sine intermiſſione orate*; 1. Theſſal. 5.17. Quæ loca non ſunt in eum ſenſum accipienda, quaſi, relictis & abdicatis omnibus laboribus, orationi tantummodò vacandum & adhæreſcendum eſſet; ſed, ut rectè Auguſtinus, *Illud*, SINE INTERMISSIONE ORATE, *ſaniſſimè ſic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi*; de Hæreſ. ad Quod--vult--Deum, Hæreſ. 57. Pſallianorum ſeu Euchitarum. Nam ab opere ſuo nunquam ceſſare judicatur, qui cùm poteſt & debet operatur. Hęc itaque perſeverantia in orando, non continuum, ſed aſſiduè repetitum actum orandi flagitat; ne abjiciamus ſcilicet orationis ſtudium, vel tædio expectandi, vel deſperatione obtinendi, vel ob aliam cauſam quamcunque; ſed crebrò Deum invocemus, crebrò urgeamus, etiam tum cùm precibus noſtris aures ſuas occluſiſſe videtur. Et hoc eſt, τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖν.

Non eſt meum hîc ſtatuere, quoties in die, aut quibus horis orandum ſit; ſed illud oſtendendum eſt, eſſe ſæpiſſimè & frequentiſſimè huic exercitio incumbendum. Ad ipſum temporis articulum quod attinet, Spiritu & occaſione uti oportet conſultoribus.

Incitamenta ad frequentandum orationis exercitium.

Incit. 1. Debet eſſe aſſidua oratio noſtra, quia habemus aſſiduas & infinitas cauſas orandi: nam quicquid boni habemus, aut habere deſideramus; quicquid mali aut patimur, aut pati meruimus, aut metuimus; hæc omnia orandi materiam ſubminiſtrant. Bona quæ habemus excitant ad orationem; quia hoc modo Deus propter accepta beneficia honorandus eſt: bona quibus caremus accendunt ad orandum; quia à ſolo Deo ſunt expectanda: mala quæ patimur, ad preces vocant; quia à ſolo Deo removeri: mala quæ metuimus; quia ab eodem ſolo depelli poſſunt. Hinc ſancti Patres orationem nuncupant *ſacrificium Chriſtiani, clavem cœli, ſubſidium egeni, flagellum Diaboli &c.* Habemus exemplum aſſiduitatis apud Euſeb. lib. 2. cap. 23.

Incit. 2. Quia aſſiduitas & importunitas eſt efficaciſſimum medium impetrandi; ut docuit Chriſtus in parabola, Luc. 18. atque etiam ſuo facto oſtendit erga mulierem Chananæam importunè ſibi inſtantem, & preces ſuas iterum iterúmq; ingeminantem; Mat. 15. Hinc Gregorius vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci; *Bona hæc violentia eſt, quâ Deus non offenditur, ſed placatur*; in ſextum Pſalm.

Incit. 3. Quia hæc perſeverantia in orando maximè facit ad fidem noſtram declarandam, augendam, roborandam. Eſt enim ſuperbi

&

& faſtidioſi petitoris, nullas moras perpeti, ac propter quamlibet dilationem à precando ſtatim reſilire. Hinc illa vox 2. Reg. 6. 33. *Quid conſiderem Iehovæ ampliùs?* At David è contrà, pſal. 5. verſ. 3. *Manè ad te diſponam orationem meam, & ſpeculabor.* Fides igitur non illicò reſilit, ſed quaſi in ſpecula conſiſtit, & expectat donec Deo viſum ſit annuere.

Documenta ex hiſce emergunt ad intentionem ſpectantia.

Cùm excitemur ab Apoſtolo ad intentionem & fervorem animi inter orandum, colligitur, nos eſſe naturâ frigidos & torpidos in hoc exercitio, adeò ut à ſomno vix temperare poſſimus, niſi monitorem & exuſcitatorem habeamus. Ipſorum Apoſtolorum ſomnolentia hoc teſtatur; Mat. 26. 40. *Docum.* 1.

Deus igitur orandus eſt, ut Spiritum orationis nobis impertiat: nam caro & ſanguis neq; ſciunt, neque diſcere poſſunt veram & juſtam precandi rationem, abſq; magiſterio & afflatu Spiritus. Hinc illud ad Rom. 8. 26. *Quid precemur ut oportet non novimus, &c.* *Docum.* 2.

Hinc apertè deducimus, nullius aut parvi admodum momenti eſſe orationes iſtorum, qui nullo ſenſu, nullo intellectu eorum quæ dicuntur demurmurant indies orationes ſuas, in id tantùm ut dicantur oráſſe. At vel ex hoc loco didiciſſe potuerunt, orationem non eſſe rem perfunctoriam, ſed ſeriam & laborioſam, cui inſtare oportet, non indormire. *Docum.* 3.

Sunt igitur omni odio digni Papiſtæ, qui volunt populum Chriſtianum preces publicas linguâ incognitâ audire, preces ſuas privatas linguâ item incognitâ effutire; quaſi id unum ſtudeant, ut rem diviniſſimam & utiliſſimam, reddant ridiculam, infrugiferam, & pſittacis, non hominibus convenientem. Errorem hunc breviter perſtringamus.

Perſpicuum eſt, in oratione ſeria requiri & cogitationem illarum rerum quas petimus à Deo, & ardens earundem deſiderium. De cogitatione Cyprian. ſic ſcribit de Orat. Dom. *Cogitatio omnis carnalis abſcedat, nec quicquam tunc animus quàm illud ſolum cogitet quod precatur.* De deſiderio ſic Pariſienſis, *Deſiderium impetrandi quod petitur eſt vox orationis, abſque hac muta eſt*; de Rhetor. Div. cap. 28. Iam verò nec cogitatio, nec deſiderium rerum illarum quæ petuntur, in illis reperitur qui non intelligunt quid petunt à Deo.

Haſce preces non intellectas damnavit Paulus, qui concludit nos non poſſe dicere Amen ad orationes quas non intelligimus, 1. Cor. 14. 16. Damnavit Auguſtinus, qui in libro de Magiſtro cap. 1. ſic ſcribit; *Populus debet intelligere preces Sacerdotum, ut conſenſione quadam ſuſpendatur in Deum.* Ipſi etiam Pontificii, in quibus aliquid aut mentis aut frontis fuit, hunc errorem Romaniſtarum perſtrinxerunt. Pariſienſis de Rhet. Div. c. 38. ubi ora-

tionem nuncio comparat, *Numeratur* (inquit) *inter fatuitates nuncii iſtius, quòd de ipſis negotiis nec curat nec cogitat, niſi hoc ſolum, quòd petitionem offerat Deo, omnino ignorans quid illa contineat, & quid per eam petatur. Et hæc manifeſta ſunt in omnibus orantibus, qui labiis ſolis ſtrepunt, de his quæ verba orationum ſignant nihil omnino intelligentes.* Et cap. 40. ubi orationem *vitulum labiorum* appellat, ſic ſcribit; *Carnes iſtius vituli, intellectus ſunt & cogitationes eorum quæ verbis orationis ſignantur, medulla eſt pia orantis intentio, pili in vitulo iſto ſunt exterior vocalis ſtrepitus. Detruncant igitur hoc ſacrificium, & Deum fraudant potioribus vituli iſtius, qui intellectum & ſignata verborum, vel non habent, vel non curant.* Hęc ille. Ioannes Gerſon, quamvis, implicatus errore Romanæ Eccleſiæ, neget hoc eſſe neceſſitatis quod attinet ad illiteratos; tamen ultro fatetur, converſionem cordis ad Deum tempore orationis, cæteris paribus, eſſe laudabiliorem, ſi ſecundum verba & ſenſum orationis fiat. Poſtremò, Cajetanus à Theologis Pariſienſibus erroris arguitur, quòd ſcripſerit meliùs eſſe quòd orationes dicantur in lingua vulgari & cognitâ, quàm Latinâ non intellectâ. At quomodo ſe tutatur? *Non ſcripſi* (inquit) *quòd eſt* MELIVS, *ſed quòd* EST MELIVS AD AEDIFICATIONEM ECCLESIAE; *neque ſcripſi* ORATIONES, *ſed* ORATIONES PVBLICAS, QVAE AVDIENTE POPVLO DICVNTVR; *hoc autem ſuper doctrinam Pauli fundavi*, 1. Cor. 14. Hæc Cajetanus in reſponſione ad quoſdam articulos nomine Pariſienſium editos; quod opus habetur poſt tertiam partem Thomæ. Non diutiùs immorabor in impugnatione hujus abſurdiſſimi erroris, qui tollit ipſam quaſi animam orationis: nam rectè Athanaſius, in Orat. 16. ad Maximum Philoſophum; *De rebus apertis & ſole lucidioribus diſputare, nihil aliud eſt quàm hominibus prava defendentibus cauſam improbitatis impudentiæque ſuggerere.* Hæc de intentione ſeu fervore orantium.

Documenta ad aſſiduitatem ſeu perſeverantiam referenda.

Docum. 1. Hæc ipſa hortatio ad perſeverandum in oratione detegit naturæ noſtræ vitium, quod facit nos adhæreſcere nimis rebus & voluptatibus carnalibus; è contrà autem, illicò ſegneſcere & fatiſcere in ſpiritualibus. Nam animæ ſanæ nihil jucundius quàm effundere ſua deſideria in ſinum cœleſtis ſui Patris, quod tamen nos ſine tædio facere non poſſumus.

Docum. 2. Summopere cavendum, ne voluptatibus noſtris, aut negotiis, aut ullis moleſtiis unquam avellamur ab hoc tam neceſſario orationis exercitio. Quemadmodum enim ſi nervos incideris, totum corpus ſine motu & viribus, trunci inſtar, reliqueris: ſic ſi orationem ſuſtuleris (quam Chryſoſtomus *animi nervum* appellat) hominem planè mancum & debilem, omníque ſpirituali motu

vacu-

vacuum reddideris. Atque hîc præclarum Danielis exemplum ob oculos proponendum eſt, qui ne unum quidem diem ab orando arceri potuit, vel edicto Regis, vel periculo mortis, ut videre licet Danielis 6. verſ. 11.

Hinc colligere licet impiorum & infidelium miſeriam, qui cùm expertes ſint fidei & amoris divini, ne orare quidem poſſunt niſi dicis tantùm causâ, multò minùs προσκαρτερεῖν, *inſtare orationi*. At quid illo miſerius, cui cum ipſo fonte beatitudinis non poteſt eſſe ullum commercium? *Docum. 3.*

Hinc patet felicitas piorum & fidelium, qui, cùm ferventem & perſeverantem orationem quaſi inexhauſtum theſaurum poſſideant, nullâ re egere unquam poterunt, quæ ſit illis neceſſaria & ſalutifera: *Nam ſi vos qui mali eſtis, noſtis bona dare liberis veſtris; quantò magis Pater veſter qui eſt in cœlis dabit bona petentibus ab ipſo*; Mat. 7. 11. Atque hæc de fervore & perſeverantia. *Docum. 4.*

Vigilantes in ea] En alterum juſtæ & legitimæ orationis comitem, nimirum vigilantiam. Poſſumus autem vigilantiam hanc referre, vel ad vigilias propriè dictas, id eſt, ad ſtatas & ſolennes noctis vigilias; vel ad vigilias Metaphoricè dictas, id eſt, perpetuas mentis Chriſtianæ vigilias: imò utraſque conjungere ſat commodè poterimus.

Ad nocturnas vigilias quod attinet, clarum eſt Chriſtianos Apoſtolorum temporibus, propter ſævitiam Paganorum neceſſitate quadam coactos ſæpe fuiſſe ad conventus nocturnos, quando vel Evangelium prædicare, vel preces publicas Deo fundere volebant, ut patet Act. 12. 12. Act. 20. 7. & aliis in locis. Quinetiam ſolennitatis & devotionis excitandæ causâ, Imperatoribus jam ad Chriſtianam religionem converſis, & rebus noſtris pacatis & florentibus, vigiliarum conſuetudinem retinebant, eáſque potiſſimùm celebrabant cùm Feſtorum ſolennitas inſtaret. Hinc Patrum conciones in vigilia Nativitatis, in vigilia Paſchæ, in vigiliis etiam Martyrum habitæ adhuc leguntur. Haſce autem vigilias Verbo & precibus impendebant, atque hoc pacto præparabant ſe ad Feſti ſanctiorem obſervationem, & cœnæ Dominicæ participationem. Apponamus teſtimonia ex Patribus. Tertullianus in 2. lib. ad uxorem, oſtendit Chriſtianas fœminas non debere nubere maritis Ethnicis, argumento ab hiſce vigiliis petito: *Quis Ethnicus* (inquit) *nocturnis convocationibus uxorem à latere ſuo eximi libenter feret? Quis ſolennibus Paſchæ obnoctantem ſecurus ſuſtinebit?* Ante Synaxin in vigiliis pernoctare ſolitos fuiſſe Chriſtianos oſtendit etiam Athanaſius, Apol. ad Conſtant. ubi conqueritur illos fuiſſe oppreſſos à Syriano Præſide: nam dum precibus intendebant, ille milites ſuos in eos immiſit. Harum vigiliarum mentionem facit Nazianzenus Orat. 27. &

Orat. 2. in Iulianum. Et Bernardus, in vigilia S. Andreæ; *Indignus eſt ſolenni lætitiâ qui ſtatutam vigiliæ abſtinentiam non obſervat.*

Iam, præter publicas haſce vigilias publicis Chriſtianorum conventibus deputatas, obſervare etiam licet, pios & ſanctos viros privatâ devotione inſomnes noctes quandoque duxiſſe, & precibus vehementiùs incubuiſſe. Sic David paſſim affirmat ſe etiam nocte ab oratione non ceſsâſſe. Pſalm. 22. 3. & Pſal. 77. 7. Sic Paulus & Silas incarcerati, mediâ nocte Deum invocant; Act. 16. 25.

De publicis illis vigiliis quas neceſſitas invexit in Eccleſiam illud unum dicimus, ceſſante causâ, non malè ab Eccleſia noſtra eſſe jam ſublatas: nam multis incommodis ac periculis obnoxias fore, nemo ſapiens negabit, qui hujus ſeculi mores perſpectos habet. Quinetiam in veteri Eccleſia multa incommoda indè manâſſe colligitur ex Canone 35. Concilii Eliberini; ubi fœminæ arcentur ab hiſce vigiliis, eò quòd ſub obtentu orationis ſcelera latenter committant. Et apud Auguſtinum paſſim taxantur abuſus in vigiliis Martyrum, qui in conſuetudinem, & legem penè abierunt. Videte de Morib. Eccleſ. Cath. cap. 34. Epiſt. 64. & paſſim in Sermonibus.

Iam quod attinet ad privatorum devotionem, qui diurnâ oratione non contenti, etiam nocturnæ invigilant; eſt ea quidem valde laudabilis, ſi ſuperſtitione vacet, atque oriatur ex zelo divini nominis, ac denique adhibeatur cùm graves & juſtæ cauſæ hanc vigilantiam flagitare videantur. David, imò Chriſtus ipſe nobis exemplo præivit ad hanc vigilantiam; Matth. 26. 38. 39. Paulus etiam Magiſtrum ſuum hac in re imitatur, 2. Corinth. 6. 5. Nec laudabiles ſolùm, ſed etiam delectabiles ſunt piis hæ vigiliæ, ut verè Auguſtinus, de bono viduitatis cap. 21. *Vigiliæ in quantum valetudinem non perturbant, ſi orando, pſallendo, legendo ſumantur, in delicias ſpirituales vertuntur.*

Atque hactenus de vigiliis propriè dictis; reſtant vigiliæ Metaphoricè & figuratè dictæ, hoc eſt, Mentis vigiliæ; quæ planè neceſſariæ ſunt, non modò in orationibus noſtris, ſed in tota vita; ac proinde perpetuæ eſſe debent. Mentem autem vigilare dico, cùm peccatis, & mundanis rebus minimè indormit; ſed ſemper experrecta, diem mortis adventúmq; Chriſti expectat, atque futuram gloriam ſpe & fide certâ quaſi præguſtat. Qui animum hunc in modum comparatum geſtat, is perpetuas agit excubias; qui hanc mentis vigiliam negligit, is, etiamſi dies ac noctes precibus impendat, dormire nihilominùs judicabitur.

Ad

Ad hanc vigiliam mentis nos vocat--

--Chriſtus, { Mar. 13. 35. 36. *Vigilate, ne cùm Dominus &c.* / Apocal. 3. 2. *Eſto vigilans &c.* / Apocal. 16. 15. *Beatus qui vigilat, & cuſtodit &c.*

--Paulus { 1. Cor. 16. 13. *Vigilate, ſtate in fide &c.* / 1. Theſſ. 5. 6. *Ne dormiamus, ſed vigilemus &c.*

--Petrus { 1. Epiſt. 5. 8. *Vigilate; nam adverſarius veſter &c.*

Haſce itaque vigilias obſervare oportet, ſi vel nos, vel orationes noſtras Deo gratas eſſe velimus. Vnde Auguſtinus, Serm. 23. in Evang. ſecundum Matthæum; *Corde vigila, fide vigila, ſpe vigila, operibus vigila.* Et Bernardus in vigil. Petri & Pauli; *Ad hoc proponuntur vigiliæ, ut evigilemus ſi in aliquo peccato dormitaverimus.* Imò, ut Cyprianus loquitur, de Orat. Dom. *Debent omnes pii, etiam cùm dormiunt oculis, corde vigilare.* Sicut ſcriptum eſt in perſona Eccleſiæ, *Ego dormio, & cor meum vigilat*; Cant. 5. 2.

Documenta.

Hinc arguitur noſtri ſeculi ſocordia: nam nos, quoties convenitur ad publicas preces aut Verbi prædicationem, claro die ſubinde dormimus; cùm Majores noſtri in Primitiva Eccleſia, etiam totas noctes cum alacritate inſomnes duxerint, ut hiſce ſpiritualibus exercitiis frui poſſent. *Docum.* 1.

Arguitur etiam impietas, & vanitas; nam vigiliæ apud nos nulli rei penè deſtinantur, niſi nequitiis aut ineptiis. *Docum.* 2.

Illud etiam colligi poteſt, fruſtra illum extollere vocem ad Deum in oratione, qui dormit in vitæ converſatione; Deus enim non minùs, imò multò magis vigiles animos quàm oculos requirit ab invocantibus nomen ſuum. *Docum.* 3.

Impiorum & impœnitentium orationes, ſomnia potiùs quàm vota habentur; quia corde peccatis indormiente recitantur. *Docum.* 4.

Atque hactenus de vigilantia.

Cum gratiarum actione] Ventum eſt ad ultimam conditionem quæ requiritur in orantibus atque in ipſa oratione, gratitudinem nimirum, & indè dimanantem actionem gratiarum. Et rectè quidem copulatur gratiarum actio cum oratione: nam inter orandum, ſive reſpiciamus ad accepta jam beneficia, ſive proſpiciamus ad accipienda, ſive conſideremus dilata, aut prorſus negata; ob hæc omnia tenemur ad gratiarum actionem. 3

1. Æquum eſt petentes & expectantes nova beneficia, priùs propter accepta gratos ſe præbere; quia (ut rectè & ſapienter Philoſophus Ethic. 9.) *recompenſatio requiritur ad amicitiam conſervandam:* Deo autem, præter gratitudinem, nihil eſt nobis quod retribuamus; Pſalm 116. 12. 13. *Quid retribuam Domino? &c.*

2. Propter accipienda debemus nos gratos præbere; quia fruſtra

nova petit, qui ſe ob præſtita immemorem oſtendit. *Ingrati ſpes tanquam glacies tabeſcet*; Sapient. 16. verſ. ult.

3. Etiam gratiæ agendæ ſunt propter dilata, imò negata: nam quando differuntur, ideò fit, ut commodiſſimo tempore nobis conſerantur; ut collata pluris æſtimentur: quando prorſus negantur quæ petimus, id indè accidit, quòd Deus novit ea nobis nociva eſſe, quæ nos commoda judicamus; è contrà, illa eſſe perquam utilia, quæ nobis acerba & injucunda videntur. Hoc eſt quod Chryſoſtomus innuit, cùm dicit, *Gratias Deo agendas non modò pro manifeſtis beneficiis, ſed pro occultis, quæ præſtantur nobis invitis & repugnantibus.* Hujuſmodi ſunt, adverſa valetudo, paupertas, perſecutio, & ea ferè omnia quæ vulgus perpeſſu gravia arbitratur. Atq; in hiſce ac aliis conſimilibus tenenda eſt Auguſtini ſententia, qui aſſerit pios & fideles, cùm non exaudiuntur *ad voluntatem*, exaudiri tamen *ad ſalutem*; in Epiſt. Ioan. tract. 6.

Ob haſce itaque cauſas manifeſtum eſt, gratiarum actionem, utpote tributum Deo multis nominibus debitum, nunquam eſſe intermittendam.

Hinc docemur,

Docum. 1. Eſſe omnes ferè homines ad petendum & querulandum proniores, quàm ad gratiarum actionem.

Docum. 2. Ingratos hoſce homines, eſſe ad ſacrificium orationis Deo offerendum prorſus ineptos.

Docum. 3. Bona & mala, non noſtro ſenſu metienda; ſed Dei Patris noſtri judicio relinquenda: nam hinc fons ingratitudinis, quòd non credimus ea nobis optima eſſe quæ à Deo immittuntur. Vetus Poeta non immeritò laudatur à Platone, in Alcibiade lib. 2. quòd amicis ſuis hanc precandi formulam præſcripſerit,

Ζεῦ Βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ ἐυχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ ἐυχομένοις ἀπάλεξον κελεύει.

Docum. 4. Non fremendum aut indignandum, ſi nobis negentur ea quæ deſideramus; ſed gratiæ potiùs Deo Patri agendæ, qui nociva amanter & prudenter negat, etiam cùm à nobis ſtultè & inconſideratè appetuntur.

Docum. 5. Nihil contingere piis & fidelibus, propter quod non poſſint & debeant gratias Deo agere meritiſſimas; juxta dictum Apoſtoli, 1. Theſ. 5. *In omnibus gratias agite.*

Hæc de conditionibus legitimæ orationis.

VERS.

Vers. III. IIII.

Precantes simul etiam pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis, ut loquamur mysterium Christi, propter quod etiam sum vinctus:

Vt (inquam) *illud patefaciam, sicut oportet me loqui.*

Multa sunt à Deo Optimo Maximo petenda, & nostro, & aliorum nomine; sed Apostolus, aliis omissis, Colossenses excitat ad petendum unum magnum & necessarium, Evangelii scilicet dilatationem & profectum. Neque id immeritò; nam cœlesti hoc lumine diffuso, & in hominum corda penetrante, reliqua omnia Dei beneficia ultrò adjicientur hominibus; Matth. 6. 33.

In hisce duobus versiculis duo generatim observanda: pro quibus potissimùm precandum sit; quid illorum nomine à Deo postulandum.

Pro quibus? *Pro nobis*] id est, pro me reliquisque fidis Evangelii Ministris.

Quid petendum? {
- Facultas, libertas, efficacia prædicandi; *Ostium sermonis.*
- Vsus seu praxis hujus facultatis; *Vt loquamur mysterium &c.*
- Modus debitus in eadem exercenda; *Sicut oportet me loqui.*

Precantes simul etiam pro nobis] Versu præcedente (uti audistis) excitavit Colossenses ad assiduam orationem; jam docet in hisce orationibus eos memores esse oportere, non suiipsorum solummodò, sed etiam fratrum, ac præcipuè Ministrorum. Sic ad Cor. 2. cap. 1. vers. 11. ait Apostolus, se de auxilio divino confidere, Corinthiis unà pro illo operam suam conferentibus ad Deum deprecandum. Nec sine causa, qui profectum Evangelii ex animo optant, excitantur ad orandum pro Apostolo aliisque Ministris; quia bonus & fidus Minister, est publicus Ecclesiæ thesaurus, & proinde amandus & curandus ab omnibus qui amant aut curant Ecclesiæ ædificationem.

Hinc observemus,

Esse officium omnium piorum, assiduè & enixè Deum orare pro Pastoribus & Evangelii Ministris. *Observ.* 1.

Eos qui hosce non amant vel solo vocationis suæ respectu, (etsi nihil aliud habeant amore dignum) esse animo parùm Christiano; qui vexant & lacerant, planè Diabolico. *Observ.* 2. 1. Thess. 5. 12. 13.

Qui sunt inferiore conditione, & sanctitate minore, orare tamen possunt & debent pro illis, qui sunt eminentiore loco constituti, & majore sanctitate præditi: nam ipse Apostolus non *Observ.* 3.

modò non aſpernatur preces populi Coloſſenſis, ſed majorem in modum eas efflagitat. Hinc Auguſtinus in Pſalm. 38. *Orat Apoſtolus pro plebe, orat plebs pro Apoſtolo: pro ſe omnia membra orant, caput pro omnibus interpellat.*

Obſerv. 4. Orare Deum pro aliis, non eſt in nobis opus Mediatoriæ cujuſdam interceſſionis, ſed mutuæ charitatis & neceſſitatis. Præclarè in hanc ſententiam Auguſtinus contra Epiſt. Parmenian. lib. 2. cap. 8. ubi reprehendit Parmenianum, quòd dixerit Epiſcopum eſſe Mediatorem inter populum & Deum: atq; ſtatim ſubjungit, *Omnes Chriſtiani invicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unicus verúſque Mediator eſt.* Plura vide ibid. Tom. 7.

Obſerv. 5. Fruſtra & ineptè in hiſce mutuis orationibus vivorum Papiſtæ fundare conantur illam Mediatoriam & Meritoriam interceſſionem Sanctorum defunctorum pro Eccleſia militante: non enim vivi pro vivis orantes merita ſua Deo obtrudunt, ſed ſupplices vota tantummodò ſua cum fraternis conjungunt. Qui autem hoc facit alieno nomine, non Interceſſorem propriè dictum, aut Patronum alterius ſe conſtituit, ſed ſupplicem in eadem petitione ſocium. Quicquid itaque ſtatuatur de univerſalibus precibus Eccleſiæ triumphantis pro incolumitate Eccleſiæ militantis; illud retineatur, Chriſtum eſſe unicum Mediatorem & redemptionis & interceſſionis Meritoriæ apud Deum Patrem. Hęc de Perſonis.

Vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis] Iam aggreditur oſtendere, quid potiſſimùm velit ut à Deo petant nomine ſuo & aliorum Miniſtrorum, nimirum, ut illis aperiatur oſtium ſermonis. Quâ loquendi formulâ tria mihi videtur Apoſtolus complecti.

1. Oſtium ſermonis aperire, eſt facultatem internam & aptitudinem dare, atque dotes illas omnes quę homines reddunt idoneos Evangelii Miniſtros. Hanc facultatem Chriſtus, Luc. 21. 15. appellat os, & ſapientiam; *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere &c.* Et ſapienter quidem Apoſtolus hoc animę ſuę oſtium à Deo aperiri poſtulat; quia ille ſolus illuminat hominum mentes in hac rerum divinarum cognitione, ille ſolus ornat dotibus ad tanti muneris functionem requiſitis. Ille oſtium ſermonis aperuit Moſi, qui naturâ fuit *impedito ore, & impeditâ linguâ*; Exod. 4. Atque eodem in loco hanc prærogativam apertè ſibi vendicat, verſ. 11. 12. *Quis ſtatuit os homini? Nonne ego qui ſum Iehova? Nunc itaque & ego adero ori tuo, & docebo te quæ loqui te convenit.* Sic etiam Paulus ſuam facultatem ad Dei gratuitum donum refert, 2. ad Corinth. 3. 5. 6. *Non idonei ſumus ex nobisipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; qui fecit nos idoneos Miniſtros &c.* Vnde Clemens

Strom.

Strom. 1. Εἷς ὁ διδάσκαλος καὶ τοῦ λόγου καὶ τῶν ἀκροωμένων, ὁ ἐπιστηρίζων καὶ τὸν νοῦν καὶ τὸν λόγον.

Documenta.

Nihil ſalubrius à Deo petitur nomine aliorum, quàm ut divino munere idonei efficiantur ad opera vocationis ſuæ. *Docum.* 1.

Hæc una cauſa eſt cur tot indocti invadunt munera Eccleſiaſtica, quòd populus toto corde non petat à Deo idoneos Miniſtros: nam ille eſt qui dat Eccleſiæ Apoſtolos, Doctores, Evangeliſtas ad opus Miniſterii aptos. Vide Eph. 4. *Docum.* 2.

Nemo fretus ingenii ſui viribus, aut eruditione propriâ, hoc munus Evangelicum aggredi debet; ſed confiſus gratiæ & benedictioni divinæ. *Docum.* 3.

Etiam qui maximis dotibus inſtructi ſunt, indies nihilominùs à Deo petere debent, ut eadem dona ſibi dentur, conſerventur, augeantur. Sic Apoſtolus, cui cœlitus data fuit extraordinaria Evangelii cognitio, monet tamen etiam pro ſe orandum, ut oſtium ſermonis ſibi magis magiſque aperiatur. *Docum.* 4.

2. Cùm Deus oratur ut oſtium ſermonis aperiat Miniſtris, illud intelligi poteſt, ut illis det libertatem prædicandi Evangelium, & quaſi viam aperiat, remotis omnibus obſtaculis quæ mundus & Diabolus ſolent opponere Evangelicæ prædicationi. Solitum enim eſt Satanæ atque ſquamis ejus, infrendere ad pateſactionem Evangelii, atque omnes artes ſuas verſare ad excludendum hoc lumen ſalutare; ſed Deus è contrà ſuam authoritatem interponit, compeſcit improbos atque Diabolum ipſorum Ducem, hiſque invitis & renitentibus, aperit oſtium Evangelizantibus.

In prima Evangelii divulgatione hoc fuit manifeſtiſſimum, cùm totus penè mundus conſpiraverat ad occludendum oſtium ſermonis Evangelici; at Deus nihilominùs tam latum oſtium illi patefecit, ut paucorum piſcatorum operâ per totum terrarum orbem inſtar fulguris diffunderetur; teſtante Apoſtolo ad Coloſ. 1. 23. Mat. 24. 14. Hoc Patres contra Ethnicos ſemper afferre ſolent, atque ab hac mirifica Evangelii dilatatione probare ejus veritatem à Deo dimanâſſe. Sic Clem. Strom. 7. prope finem; *Græcam Philoſophiam ſi quivis magiſtratus prohibuerit, ea ſtatim perit: noſtram autem doctrinam, à prima uſque ejus prædicatione, prohibent Reges, Duces, & Magiſtratus, cum univerſis ſatellitibus; illa tamen non flacceſcit ut doctrina humana, ſed magis floret.* Vnde hoc, niſi quòd, fidelibus id enixè petentibus, Deus illi aperiat oſtium ut egrediatur, etiam invitis hoſtibus. Ad hæc, Deus, piis id aſſiduè petentibus, quandoque inflectit corda Principum, non modò ut non obſtent Evangelio, ſed ut faveant Miniſtris, ac promoveant curſum Evangelii. Sic Conſtantinum, ac poſt illum Theodoſium, multóſq; alios Imperatores movit, ut, relicto Paganiſmo,

niſmo, Chriſtianam religionem amplecterentur: ſic noſtro, & proavorum noſtrorum ſeculo, movit multos Principes, ut, rejectis & extirpatis ſuperſtitionibus Papiſticis, in ſuis ditionibus oſtium aperirent Evangelio. Haſce ob cauſas rectè Paulus monuit Coloſſenſes precari Deum, ut aperiret oſtium ſermonis ſibi reliquíſque Evangelii Miniſtris: nam hoc ad Dei potentiam ſpectat.

Documenta.

Docum. 1. Fruſtra conantur Miniſtri diſſeminare Evangelium, ſi Deus illis non aperiat oſtium ſermonis, & externa obſtacula è medio tollat.

Docum. 2. Eſt pii cujuſque officium, non modò à Deo petere, ut is velit promovere liberum Evangelii curſum; ſed etiam pro virili ſua eniti, ut ipſe hoc idem faciat.

Docum. 3. Deteſtandi igitur qui remoram objiciunt Verbo & Miniſtris ejus, atque oſtium hoc (quantum in ſe eſt) occludunt & obſerant. In hac claſſe collocandi Tyranni, qui perſequuntur Miniſtros Evangelicos; Hæretici, qui oppugnant doctrinam Evangelicam; Profani & Pſeudopolitici, qui nihil intereſſe ſtatuunt, utrùm aperiatur oſtium veræ religioni, an Papiſticæ ſuperſtitioni, modò fruantur externis bonis; Simoniaci denique patroni, qui fraudant debito ſtipendio Miniſtros Evangelii, & intercipiunt quod illos capere oportuit.

3. Quando Deus invocatur ut oſtium ſermonis aperiat Miniſtris, illud etiam petitur, ut det efficaciam penetrandi in animos hominum ſermoni Evangelico, atque aperiat oſtia cordium auditoribus ejuſdem. Sic hunc locum intellexit Gregorius, ſcribens in 38. Iobi; ubi hæc verba habentur, ***Paulus in corde audientium myſteriis Evangelii à Domino aperiri oſtium precatur. Habebat enim ille Verbi tonitruum, ſed dari ei viam quærebat: hanc autem viam nequaquam ſe dare poſſe cognoverat.*** Sapienter itaque Apoſtolus monet, Deum invocandum ut aperiat oſtium cordium humanorum; quia ſermo prædicantium à Spiritu hanc gratiam conſequitur, ut ***inſtruat auditoris intellectum***, ut ***moveat ejus affectum***, ut deniq; ***intret & ſanet voluntatem:*** Sic veriſſimè Aquinas 2. 2. quæſt. 177. art. 1. ubi diſputat de gratia ſermonis.

Atque hoc paſſim docent Scripturæ. Actor. 16. 14. ubi Deus dicitur Paulo prædicante ***aperiiſſe cor Lydiæ, ut attenderet ea quæ dicebantur.*** Et ad Epheſ. 1. 17. 18. ubi Paulus Deum precatur ut ***det*** Epheſiis ***Spiritum ſapientiæ & revelationis, ut illuminet oculos cordium illorum*** &c. Et in omnibus locis, ubi fides ***Donum Dei*** conſtituitur: nam fide aperitur oſtium cordis, ad intromittendum Evangelium. Qui igitur fidem dat, oſtium cordis pandit Evangelio. Atque hinc eſt quòd Auguſtinus in libro de Prędeſt. Sanctorum, cap. 20. aſſerat hanc precationem ad quam

Apoſto-

Apoſtolus excitat Coloſſenſes pro aperiendo oſtio ſermonis, eſſe apertiſſimam demonſtrationem quòd ipſum fidei initium ſit donum Dei.

Documenta.

Non eſt in poteſtate humanâ efficaciter ad ſalutem corda hominum docere, ſed hoc divinæ potentiæ & gratiæ tribuendum eſt. Sic Pſalmiſta, Pſal. 119. 18. *Aperi oculos meos & videbo mirabilia legis tuæ.* Et pulcherrimè Auguſt. in Epiſt. Ioan. Tract. 3. *Nolite putare quenquam hominem aliquid diſcere ab homine: ſi non ſit intus qui doceat, inanis ſtrepitus noſter eſt. Magiſteria forinſecus adjutoria quædam ſunt, & admonitiones; cathedram in cœlo habet, qui corda docet.* Vide 4. de doct. Chr. cap. 16. Et Aquin. quæſt. diſput. de Magiſt. *Docum. 1.*

Multi oſtium aurium ſuarum patefaciunt Evangelio, qui interim cordis oſtium occluſum & obſeratum gerunt. Vide Eſaiæ 6. 9. Marc. 8. 18. *Docum. 2.*

Cum auditione igitur, aut lectione Verbi, ſemper copulanda eſt oratio ad Deum pro apertione cordis. Nam *parùm luminoſa, ſive auditio, ſive lectio Verbi, quam oratio non illuſtrat*; Pariſienſ. de Rhetor. Div. cap. 30. Atq; ſic explicatum habetis, quid ſit oſtium ſermonis aperire Miniſtris; nimirum, dare illis facultatem huic muneri exequendo idoneam; dare liberum curſum Evangelio, remotis obſtaculis externis; dare denique eidem efficaciam ut intret & penetret in corda audientium. *Docum. 3.*

Vt loquamur myſterium Chriſti propter quod vinctus ſum] Docuit Apoſtolus populum petere à Deo oportere, ut det Miniſtris oſtium ſermonis, hoc eſt, facultatem, libertatem, & efficaciam prædicationis; jam illud adjungit, eſſe inſuper petendum ut detur illis in uſum & praxin deducere hęc dona: nam ſæpe accidit, ut cùm Deus dederit multis eximiam facultatem, cùm conceſſerit pacata tempora ad Evangelium propagandum, cùm denique illorum inchoatum miniſterium efficax effecerit in cordibus hominum, per inertiam tamen & avaritiam, per invidiam ac vanitatem, abjiciant tandem ſtudium & curam loquendi myſterium Chriſti. Sic Demas Miniſterium abjicit, 2. Tim. 4. 10. Qui inertes & avari evadunt, dona ſibi data ſuffocantes, excutiunt plerunque ipſum munus Evangelizandi: qui turbulenti, aut vani; prædicant illi quidem, ſed ità ut hi ſeminent diſcordias, iſti nugas, neutri loquantur myſterium Chriſti, id eſt, non urgeant doctrinam de ſalute omnibus fidelibus & pœnitentibus oblatá per fidem in Chriſtum crucifixum. At hoc illud myſterium eſt, quod ſolum Paulus decrevit ſcire & prædicare; 1. Cor. 2. 2. Videtis igitur quàm neceſſarium ſit orare, ut Miniſtri, poſtquam inſtructi fuerint omnibus adjumentis neceſſariis, exerant hæc dona ſibi collata in prædicando Chriſti myſterio.

Documen-

Documenta.

Docum. 1. Orandum non modò ut dentur nobis Miniſtri docti, ſed ut inſuper exuſcitentur indies à Deo ad obeundum munus ſuum cum alacritate & conſtantia: nam facilis eſt lapſus à labore ad ſocordiam.

Docum. 2. Deficiunt ſæpe Miniſtri in opere vocationis, quia populus deficit in opere orationis pro illis apud Deum. Nam veriſſimè Gregorius; ***Propter malum populum, etiam bonis tollitur ſermo doctoribus***; Hom. 12. ſuper Ezech. in illa Prophetæ verba, ***Linguam tuam adhæreſcere faciam palato tuo, & eris mutus; quia domus rebellis ſunt***; Ezech. 3. 26.

Docum. 3. Cùm Paulus inſtat ut precentur Deum, non ut honores aut divitias ſeculi obtineat, ſed ut loquatur ac prædicet Evangelium; indè colligitur, nihil tam appetendum pio Miniſtro, quàm exercitium Miniſterii ſui; nihil tam luctuoſum, quàm prohiberi ab hoc opere.

Docum. 4. Cùm adjungit, ***ut loquamur myſterium Chriſti***, oſtendit illos parùm memores officii ſui, qui, nacti facultatem & opportunitatem prædicandi, affectant tamen potiùs ingenium ſuum venditare, quàm Chriſti myſterium prædicare. Nil aliud populus audire deſideret, nihil aliud Miniſter prædicare, quàm myſterium Chriſti, id eſt, doctrinam ſalutis adipiſcendæ per Chriſtum.

Propter quod vinctus ſum] Hæc verba interſerta ſunt obiter, ſed non inaniter: habent enim ſuum uſum, ſive populum reſpicias, ſive Paſtores.

1. Populum accendunt ad amandum hunc Apoſtolum, qui Eccleſiæ ædificandæ causâ tot ærumnas ſuſtinuit.

2. Acuunt etiam ad preces pro illius liberatione, qui ſe tam cupidum ſalutis iſtorum oſtendit, etiam in vinculis.

3. Excitant denique ad veram æſtimationem hujus theſauri, nimirum Evangelii; cujus causâ, nec vincula, nec ipſam mortem detrectat Apoſtolus.

Corollaria.

Coroll. 1. Eſt officium omnium piorum, non immemores ſe præbere Miniſtrorum, quoties perſecutionem ſuſtinent Evangelii causâ; ſed conſiliis, auxiliis, precibus illos adjuvare.

Coroll. 2. Afflictos pietatis causâ Miniſtros, majorem in modum diligere, imò honorare oportet; non enim coronæ & torques aurei magis ornant Magnates ſeculi, quàm vincula & catenæ Miniſtros Dei. Siquidem pati pro Chriſto, eſt eximius honos, quo donari non ſolent ab Imperatore, niſi egregii milites. Vide ad Philip. 1. 29.

Iam ſi Paulum ipſum aliósque Paſtores reſpicias, habent etiam prædicta verba ſuum ſcopum & utilitatem: nam oſtendunt

Paulum

Paulum non fuiſſe hiſce vinculis aliiſve incommodis deterritum ab officio, ſed indè potiùs accenſum majore deſiderio fungendi officio; quam ob cauſam preces illorum tam ardenter expetit.

Corollaria.

Oportet Miniſtros munus ſuum amare atque magnifacere, non modò cùm floret Evangelium, ſed cùm & ipſi & illud ab ingratis & impiis conteruntur & conculcantur. *Coroll.* 1.

Indigni ſunt qui adſcribantur in hanc ſpiritualem militiam ignavi iſti & faſtidioſi operarii, quos ſtatim tædet, vel pudet ſuæ functionis, atque vident Miniſterium ſuum odio, aut contemptui eſſe mundanis. *Coroll.* 2.

Hinc colligimus, quòd etſi prædicatores Evangelii ſæpe vinciri poſſunt & affligi, ipſum tamen Evangelium nunquam poteſt aut alligari aut extirpari: nam, *ut ſolis radiis vincula injici non poſſunt, ſic nec Evangelii*, inquit Chryſoſtomus. *Sermo Dei non eſt vinctus*; 2.Tim.2.9. *Coroll.* 3.

Vers. 4. *Vt* (inquam) *illud patefaciam, ſicut oportet me loqui.*

Vltimo in loco vult illud etiam poni in votis piorum, non modò ut poſſint & velint Miniſtri Verbum prædicare, ſed ut illud faciant ſicut oportet, id eſt, debito & optimo modo. Nam in omnibus officiis quæ Deo exhibentur, non nuda actio, ſed modus agendi vel maximè ſpectatur. Hinc illud Lutheri (utì arbitror) dictum, *Adverbia apud Deum prævalere verbis*, hoc eſt, modum agendi qui per adverbia deſignatur, plùs facere ad laudem vel labem agentis, quàm ipſam actionem quæ verbo aliquo exprimitur. Nam ſicut in Naturalibus forma eſt decentior materiâ, ſic in Moralibus plùs commendatur modus quàm ipſa actio. Vnde Cyprianus, de ſing.Cleric. *Sanctum non eſt quod geritur ſanctum, niſi ſanctè peragatur.* Sed ut ad ipſa verba accedamus: clauſula hæc, *Sicut oportet*, ſuo ambitu multa complectitur; nos tribus hiſce contenti erimus.

1. Oportet verbum Dei prædicare liberè ſeu confidenter. Hoc primo in loco ponendum cenſui, quia Apoſtolus in 6. ad Eph. verſ.20. (unde hæc penè ad verbum deſcripta ſunt) expreſsè mentionem fecit hujus παῤῥησίας, vel libertatis in loquendo. Neq; poteſt conſtare legitima Verbi prædicatio ſine hac libertate; quia finis prædicationis eſt *demoliri & ſubvertere quicquid extollitur contra divinam veritatem, vel voluntatem, ſpiritualibus Evangelii armis*, ut loquitur Apoſtolus 2.Cor.10.5.

Non itaque oportet prædicare placentia, & degeneri quodam timore ſupprimere ſalutaria: ſed errores atque peccata ea reprehendenda ſunt, quæ maximè regnant, etiam in maximis & apud maximos. Sic Deus jubet, Eſa.58.1. *Quaſi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo ſcelera eorum.* Sic Oſeas taxat libe-

rè Principum & Sacerdotum vitia, cap. 5. verſ. 1. Sapienter & piè Proſper, de Vit. Contemp. 3. 23. ***Magis malè debemus hominum inimicitias contrahere, quàm Dei offenſam, dum peccantes palpamus, incurrere. Curant*** enim ***& ſanant hæc amara, quamvis ſenſum exaſperent***; ut rectè Clemens in προτρεπτικῷ.

Neque etiam oportet vel in ipſis dogmatibus, vel in formulis & modis loquendi, attemperare ſe aliorum erroribus in præjudicium cognitæ veritatis: quod timidiuſculi ſæpe faciunt contra conſcientiam ſuam, apud eos præſertim quos conjiciunt aliquantulùm propendere in Papiſticos errores. Sed hoc adverſatur huic libertati quæ requiritur in Miniſtris Chriſti; quos oportet non modò ipſam ſubſtantiam (ut ità loquar) & poſſeſſionem veritatis retinere; ſed extremos etiam limites, & quaſi confinia ejuſdem defendere. Hinc Apoſtolus jubet, non modò ***ſanam doctrinam***, ſed etiam ***formam ſanorum verborum*** retinere. Et prudenter Gerſon monet Theologos, ***ut in doctrina veritatis caveant terminos extraneos***; par. 1. de Exam. Doctr. Conſid. 1. Nam verum eſt illud pervulgatum Hieronymi dictum, ***Ex verbis inordinatè prolatis oritur hæreſis.*** Hæc de παῤῥησίᾳ.

2. Oportet prædicare verbum Dei aſſiduè & diligenter. Sic Apoſtolus ad Roman. 12. 7. ***Cui miniſterium commiſſum eſt, verſetur in miniſtrando; qui doctor eſt, in docendo.*** Et 2. Tim. 4. 2. ***Prædica ſermonem; inſta tempeſtivè, intempeſtivè &c.***

Non itaque abduci oportet ab hoc munere fungendo, vel propriæ utilitatis rationibus, vel voluptatis & quietis: imò hoc debet eſſe optatiſſimum & uberrimum Miniſtro lucrum, quòd aſſiduo ſuo labore animas Chriſto lucretur; hæc debet eſſe voluptas jucundiſſima & acceptiſſima, quòd ſuo Miniſterio indies multos Deo Patri per Chriſtum gratos & acceptos efficiat, ut ſubindicat Apoſtolus 2. Cor. 11. 2. & ad Coloſ. 1. 28. Dixit olim non nemo ex Imperatoribus Romanis, quòd ***oporteat Imperatorem ſtantem mori:*** nos non minùs animosè dicamus, quod ***oportet Verbi Miniſtrum prædicantem mori.*** Hæc de ſedulitate ſeu diligentia.

3. Oportet Miniſtrum loqui verbum Dei ſincerè & fideliter. Ad hanc fidelitatem ſpectat, ut verbo divino non aſſuant figmenta humana, eáque obtrudant populo tanquam dogmata ad
1. *Cor.* 14. 1 ſalutem neceſſaria: nam ipſi Apoſtoli fuerunt diſpenſatores myſteriorum Dei, non propugnatores inventorum ſuorum; inſervi-
2. *Cor.* 1. 24 ebant, non dominabantur fidei Chriſtianorum. Apoſtolorum autem ſucceſſores in Miniſterio, ſi fideles ſeſe exhibere voluerint, oportet doctrinam Apoſtolicam propagare, non novam producere: ***Si nos, aut Angelus è cœlo aliud Evangelium attulerit, præterquam quod annunciatum eſt, Anathema ſit***; Galat. 1. 8. Hæc ſententia fuit omnium piorum Patrum: qui etſi in liberis

ritibus

ritibus agnoſcebant authoritatem Eccleſiæ; tamen in dogmatibus fidei eam ad ſolius Scripturæ regulam alligatam putabant, & huic regulæ aliquid adjicere perfidiæ ducebant. Apponam nonnulla ex Patribus teſtimonia, quia perfidi Tridentini tot dogmata obtruſerunt Eccleſiæ, idque ſub Anathemate, quorum quamplurima (fatentibus Pontificiis) non habent firma fundamenta in Scripturis. Hilarius in 6. de Trinitate, in illa verba HVNC AVDITE; *Audiam planè, nec quenquam præter hunc audiam, niſi qui eum audierit ut doceret.* Et lib. ad Conſtantium, monet *ne egrediamur Apoſtolicæ fidei indemutabilem conſtitutionem, ne fides fiat temporum potius quàm Evangeliorum.* Et Athanaſius de Conciliis; *Si diſcipuli eſtis Evangeliorum, per Scripturas incedite; ſi diverſa à Scripturis fabulari vultis, quid nobiſcum concertatis, qui nec audire ſuſtinemus quod extraneum eſt ab ipſis?* Tertullianus de Anima; *Quis revelabit quod Deus texit? Præſtat per Deum neſcire, quia non revelaverit, quàm per hominem ſcire, quia ipſe præſumpſerit.* Hieronymus in primum Titi; *Sine authoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem.* Auguſtinus paſſim docet, *neminem aſtringi ut credat authoritati humanæ abſque firmamentis Scripturarum*; ut in Epiſt. 19. quæ eſt ad Hieronymum, & in Epiſt. 48. ad Vincent. Donatiſt. Atque hæc ſufficiant ad perfidiam Papiſtarum detegendam.

Spectat etiam ad hanc fidelitatem, non ſubtrahere populo aliquam partem doctrinæ ſalutiferæ: hoc enim in mandatis dedit Deus omnibus Miniſtris; *Ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis, neq; detrahite de eo*; Deut. 4. 2. *Si quis diminuerit de verbis libri hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ*; Apoc. 22. 19. Atq; hanc ob cauſam Paulus, cùm oſtendere conatur quàm fideliter ſe geſſerit in Miniſterio, ait, *Se purum eſſe à ſanguine omnium, quia nihil illis ſubtraxerit, ſed annunciaverit omne Dei conſilium*; Act. 20. 26. 27. Hîc itaq; valde peccant Pontificii, qui de imaginibus colendis, de indulgentiis redimendis, de ſuis traditionibus obſervandis ſæpe declamitant; at de juſtificatione per fidem in ſanguine Chriſti, déq; aliis præcipuis Evangelii capitibus, ſunt apud populum magis muti quàm piſces. Peccant etiam è noſtris, qui non conantur ſuos imbuere (ſaltem ſummatim) cognitione explicatâ illorum omnium, quæ ſunt ad ſalutem obtinendam neceſſariò credenda, vel agenda.

Poſtremò ad hanc fidelitatem ſpectat, doctrinas, monitiones, & reprehenſiones ità adhibere, ut utiles eſſe poſſint audientibus, non ut vanæ aut nocivæ. Nam veræ & ſuâ naturâ utiles redargutiones, ſunt aliquando peſtiferæ cùm non ſuo loco proponantur aut applicentur. Et rectè quidem ſcripſit Au-

guſtinus de bono perſever. lib. 2. cap. 21. *Perfidi eſt medici, etiam utile medicamentum ſic alligare, ut aut non proſit, aut obſit.*

Atque hac in re ſolitum, & penè ſolenne eſt quamplurimis Miniſtris deviare, & non loqui ſicut oportet. Nam nihil uſitatius quàm apud Magnates & Aulicos in plebis delicta declamitare; apud ruſticos & plebeios, in Nobilium, in Magiſtratuum, in Epiſcoporum peccata invehi. Cui bono, niſi ut omnes reddant curioſos & inflatos in alienis peccatis inquirendis ac cenſendis; ſtupidos & deſidioſos in ſuis dijudicandis & corrigendis?

Sed orandum atque laborandum eſt, non modò ut prædicetur Evangelium, ſed ut id fiat ab omnibus Miniſtris ſicut oportet, hoc eſt, liberè, diligenter, fideliter. Hæc de primo membro hujus hortationis.

Vers. V.

In ſapientia ambulate erga extraneos, opportunitatem redimentes.

Præmiſsâ hortatione ad ferventem & aſſiduam orationem jam explicatâ, progrediendum eſt ad alteram, quæ excitat Coloſſenſes ad ſapientem & circumſpectam converſationem. In ejus autem tractatione tria obſervanda occurrunt:

Ipſum officium impoſitum; ***Ambulate in ſapientia:***

Perſonæ erga quas hoc officium præcipuè præſtandum; ***erga extraneos:***

Primarium quoddam opus hujus ſapientiæ requiſitæ; ***opportunitatem redimentes.***

In ſapientia ambulate] Ἐν σοφίᾳ περιπατεῖν, eſt cautè & circumſpectè agere omnia, quemadmodum homines ſolent cùm vident ſe multis aſperitatibus & periculis undique obſeſſos: nam periculum eſt eos ſapientiæ. Tunc dierum vixerunt fideles in medio Ethnicorum dominantium ipſis Chriſtianis, atque inſervientium idolis ac Dæmonibus: fuit itaque eximiæ & accuratæ ſapientiæ, ità inter Scyllam & Charybdim mediam viam tenere, ut nec Paganos iſtos in idololatria ſua & impietate confirmare, nec in imperio & legitima poteſtate oppugnare viderentur.

Impoſiti igitur hoc loco officii ſunt quatuor quaſi Capita primaria.

1. Proſpicere ne Deo quem colunt, & religioni quam profitentur, aliquam infamiæ maculam aſpergant malè vivendo. Præſumitur enim ſervos pro ingenio Dominico converſari. Hinc Pagani ſtatim atque vident flagitia à Chriſtianis committi, laxant ora in ipſum Deum quem colunt, atque privatorum hominum ſcelera religioni noſtræ imputant. Hoc Davidi adulteran-

ti à Propheta objicitur, 2. Sam. 12. 14. *Blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini.* Hoc Iudæis objicit Paulus ad Rom. 2. 23. *Qui de lege gloriaris, per legis transgreſſionem Deum dedecoras? Nam Dei nomen propter vos blaſphematur inter Gentes.* Hoc denique quaſi præcipuum incitamentum ad vitæ honeſtatem adhibuit Apoſtolus, 1. Tim. 6. 1. *Ne nomen Domini, & doctrina ejus blaſphemetur.* Cyprianus graphicè deſcribit incredulorum inſultationem & blaſphemiam hac occaſione erumpentem; cujus verba adſcribam ex libro de dupl. Martyr. *Ecce qui jactant ſe redemptos à tyrannide Satanæ, qui prædicant ſe mortuos mundo, nihilo minus vincuntur à cupiditatibus ſuis quàm nos; quos dicunt adhuc teneri ſub regno Satanæ. Quid prodeſt illis Baptiſmus? Quid prodeſt illis Spiritus ſanctus, cujus arbitrio dicunt ſe temperari? Quare ſemper in ore habent Evangelium, Evangelium, cùm tota vita diſcrepet ab Evangelii præſcriptis?* Hæc ille. Sit itaq; hoc primarium opus ſapientiæ, ità ambulare, ut vita noſtra ornamento ſit, non dedecori Chriſtianæ profeſſioni.

2. Cavere ne ità gratificemur Ethnicis & impiis, ut conſcientiis noſtris vulnus infligamus, illorum ſuperſtitionibus quoquo modo communicando. Eſt enim ignavi, addo & impii animi, in negotio religionis vel minimo, abduci à præſcripto divino, & transfugere in caſtra adverſariorum: neque ſolùm vulnerat conſcientiam Chriſtiani hunc in modum peccantis, ſed obdurat in ſuperſtitione ſuâ mentem Pagani id factum intuentis. Hinc in utroque Teſtamento ſeverè prohibetur hæc communicatio cum idololatris. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum; ne, cùm fornicati fuerint cum diis ſuis & adoraverint ſimulachra eorum, vocet te quiſpiam ut comedas de immolatis*; Exod. 34. 15. *Quæ communio luci cum tenebris? quæ concordia Chriſto cum Belial? quæ conſenſio templo Dei cum ſimulachris?* 2. Cor. 6. 15. 16. *Ne commercium habete cum operibus tenebrarum*; Eph. 5. 11.

Atque hîc operæpretium eſt, veteris Eccleſiæ ſeveritatem perpendere in eos, qui vel minimam ſuſpicionem moverunt idololatriæ commiſſæ, quamvis id fecerint mortis periculo coacti. Diocletianus, Licinius, Iulianus, aliíque idololatrici Imperatores, partim metu, partim præmiis inducere conabantur Chriſtianos ad adolendum thus idolis ſuis; ut videre licet apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 8. cap. 3. & de vita Conſtant. lib. 1. cap. 47. & apud Nazianz. Orat. 1. in Iulian. Non magni momenti fortaſſe videretur alicui, paucula thuris grana in ignem conjicere, jubente Imperatore; ſed quia hoc fiebat in honorem idolorum, graviter in hoſce ſtatutum eſt ab Eccleſiâ; quod videre licet in octo primis Canonibus Concilii Ancyrani, Tom. 1. Concil. pag. 293. Quantum etiam vulnus inflixerint ſuis conſcientiis qui hoc fecerint, colligere licet ex illa narratione quæ

habetur apud Nazianz. Orat. 1. in Iulianum. *Chriſtiani nonnulli denis & aſſutiâ Iuliani inducti fuerunt ad thus adolendum, ſed mox ab aliis caſtigati, & pœnitentiâ ducti, recurrunt ad Imperatorem; exclamant, mentem non mentem errâſſe, ſe Chriſtianos eſſe; poſtulant ut manus quas extenderunt ad thurificationem abſcinderet, eáſque (ſi vellet) in ignem conjiceret quem idololatriâ ſuâ polluiſſent.* Hæc conſcientiæ perturbatio in piis ſequitur quemvis actum idololatriæ; in impiis & carnalibus, ut plurimùm, ſequitur obduratio, & plenaria tandem defectio ad idololatriam. Sit itaque hoc ſecundum officium ſapienter ambulantis, accuratè cavere ne conſcientiam ſuam inquinet ullâ communicatione idololatricâ.

Tertium eſt, ne externâ vi temerè conentur idola, aut ritus idololatricos abolere, cùm non habeant vel vocationem, vel poteſtatem ad talia deſignanda: hoc enim non eſt *in ſapientia ambulare*, ſed abſque omni ratione inſanire. Sapiens ſiquidem priùs confringere tentabit idola in Paganorum cordibus poſita, quàm in fanis; ne, ſi contrariam viam inſiſtat, ſacrilegii potiùs quàm ſapientiæ opus perpetráſſe videatur. Hanc ſapientiam piis omnibus præſcribit ipſe Deus, Deut. 7. 1. 5. *Cùm data fuerit terra in poteſtatem tuam, aras eorum ſubvertite, confringite ſtatuas, lucos ſuccidite, &c.* Vnde Auguſtinus; *Furioſorum circumcellionum eſt, ubi poteſtatem non habent ſævire.* CVM DATA FVERIT VOBIS TERRA IN POTESTATEM, ARAS EORVM DESTRVITE: *ubi non eſt data poteſtas non facimus. Priùs enim agimus ut idola in eorum cordibus confringamus.* Sic Auguſt. de Verb. Dom. ſecund. Matth. Serm. 6.

Deus itaque ab illis qui ſubſunt imperio idololatrarum hoc exigit, ne ſe polluant ſuperſtitioſis cultibus idolorum; illud autem non requirit, ut externâ vi idololatriam iſtorum impedire, aut abolere conentur. *Videbitis in Babylonia deos aureos, argenteos, & lapideos in humeris portari: videte ergò, ne & vos ſimiles efficiamini factis alienis; ſed viſâ hac turbâ idololatrarum, dicite in cordibus veſtris, Te oportet adorari Domine*: Baruch. 6. 4. &c. in Epiſtola illa quæ tribuitur Ieremiæ. Ad extremum, addo exemplum Pauli, qui cùm ambularet inter multa Athenienſium idola, non manibus ea convellere, aut malleis contundere aggreditur; ſed rationibus & argumentis. Vide Act. 17. 16. &c.

Vltimum ſapientiæ officium eſt, non denegare vel ipſis infidelibus & Paganis obſequium, ſive divino, ſive humano jure illis debitum. Hoc Chriſtus omnibus ſuis diſcipulis imperavit, Matth. 22. 21. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*; Hoc Paulus prædicavit, Roman. 13. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Hoc ipſe Petrus admonuit, 1. Pet. 2. 13.

Sub-

Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi, quaſi præcellenti &c. At hi omnes de quibus Chriſtus, Paulus ac Petrus locuti ſunt, erant illo ſeculo Ethnici & idololatræ. Eſt igitur Chriſtiani ſapienter ambulantis, etiam Ethnicis & infidelibus in imperio conſtitutis honorem exhibere, tributa ſolvere, obedientiam præſtare, cæteráque omnia facere, ad quæ per leges divinis legibus non repugnantes tenetur. Sic Auguſtinus quæſt. Veter. & Nov. Teſt. quæſt.35. *Rex ſemper honorandus, ſi non propter ſe, attamen propter ordinem.* Et de Civ. Dei 5. 19. *Malis dominandi poteſtas non datur, niſi ſummi Dei providentiâ, quando res humanas judicat talibus Dominis dignas. Qui regnum dedit Conſtantino Chriſtiano, ipſe dedit apoſtatæ Iuliano*; cap. 21. Si ipſe dedit infideli regnum, non poſſunt homines propter infidelitatem detrectare obſequium.

Iam ſecundo in loco de perſonis magis diſtinctè dicendum 2
eſt, erga quas oportet hanc ſapientiam exercere. Appellantur autem *extranei*: quo nomine deſignat omnes nondum in Eccleſiam adſcriptos, ut etiam 1. Cor. 5. 12. Τί μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; Nam Eccleſia eſt quaſi domus quædam ſpiritualis: unde qui Chriſto nomina dederunt, habentur *domeſtici fidei*, qui nondum id fecerunt, *extranei* & *alieni* ab hac fidelium familia cenſentur. Adhibenda quidem eſt ſapientia in converſatione noſtra erga fratres, adeóque omnes homines; ſed de extraneis fit mentio ſpecialis hoc in loco, propter ſpecialem ea in re difficultatem. Apoſtolus autem pro illorum temporum ratione hoc vocabulo deſignavit (utì dictum eſt) Ethnicos & Paganos: ſed quia jam non vivitur inter iſtos, oportet nos hac ſapientiâ uti erga Hæreticos, erga profanos, & Atheos, qui uſurpant quidem nomen Chriſtianorum, ſed nihilominùs ab orthodoxa & viva Chriſti Eccleſia ſunt prorſus extranei. Gal.6.10.

Hi igitur conſiderandi ſunt, vel quatenus præſunt, vel quatenus ſubſunt veris & orthodoxis Chriſtianis.

Quando præſunt & dominantur, ſapienter erga illos ambulabimus ſi ea præſtiterimus quæ anteà explicata à nobis fuerunt.

Quando ſubſunt, & tamen frequentes verſantur inter orthodoxos, ne ſint quaſi ſudes in oculis eorum opus eſt multiplici ſapientiâ, tum in publicis Magiſtratibus, tum in privatis Chriſtianis.

1. Oportet Magiſtratus ſuam exercere ſapientiam erga doctos, qui ſunt ſigniferi & anteſignani hæreticæ factionis. Ea autem in hoc ſita eſt, ut curetur diligentiſſimè ne miſceant ſermones aut colloquia de religione cum orthodoxis indoctioribus & ſimplicioribus: quamvis enim *caput columbæ* illis ſit, habent tamen omnes *caudam ſcorpionis*, ut loquitur Bernard. Epiſt. 196. Eadem ratio eſt de libris Hæreticorum, à quorum lectione indocti & inſtabi-

les arcendi ſunt, ne fermento errorum & hæreſium corrumpantur. Vide Galat. 5. 9.

2. Ad hanc Magiſtratus ſapientiam pertinet, Hæreticos indoctos, & ab aliis ſeductos, leniter & ſapienter informandos & inſtituendos curare à doctis & piis viris, qui huic negotio idonei judicabuntur.

3. Oportet pium & ſapientem Magiſtratum, promiſcuè erga omnes hoſce extraneos duplicem curam adhibere:

Primò, ut mulctis pœniſque cogantur ſaltem ad externa media religionis, nimirum, ut ſacris precibus & prædicationibus, ac Sacramentorum celebrationibus interſint. Hoc paſſim docet Auguſtin. Epiſt. 48. fatetur ſe fuiſſe in contraria ſententia, ſed experimentis poſteà comperiſſe, legum terrorem & medicinalem moleſtiam eſſe pravis vel frigidis multorum animis valde neceſſariam. Plura videre licet Epiſt. 50. & Epiſt. 204. ad Donat. & contra ſecundam Epiſtolam Gaudentii lib. 2. cap. 17. Hæc prima cura eſt.

Secundò, ut non permittantur exercere ritus ſuperſtitioſos, & ſanè religioni contrarios & repugnantes. *In hoc enim Reges Deo ſerviunt in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolùm quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verùm etiam ad divinam religionem*; Auguſt. contr. Creſconium Grammat. lib. 3. cap. 51. Similia habet idem Auguſt. Epiſt. 50. Hæc de Magiſtratus ſapientia erga Hæreticos, omnéſque ab orthodoxa Eccleſia extraneos.

Ad privatos quod attinet, præſertim imperitos & indoctos, hæc illorum ſumma ſapientia eſt erga hoſce extraneos, eatenus ſolummodò cum illis converſari, quatenus jus Naturale, Morale, aut Civile poſtulat; non illorum amicitiam intimam ambire, non affinitatem affectare, ut multi ſolent. Nam ſapienter Tertullianus adverſus Valentinum; *Vt ſolent vitia alibi connata in propinqua membra perniciem ſuam efflare: ſic improborum vitia in eos derivantur qui cum illis vitæ habent conſuetudinem.* Vnde ab ipſo Deo, miſcere connubia aut amicitias inire cum idololatris, atque erroribus eorum adhærere, connexa & ad invicem conſequentia judicantur, Ioſ. 23. 12. Atque hæc de perſonis erga quas hæc ſapientia adhibenda eſt.

3 *Opportunitatem redimentes*] Hiſce ultimis verbis exprimitur eximium & ſpeciale quoddam opus hujus ſapientiæ: de quo ſeparatim paucula adjicienda ſunt. Καιρὸν ἐξαγοράζεσθαι, nihil aliud eſt, quàm ex difficillimis & incommodis temporibus, ac ſaluti noſtræ infeſtis, facere commoda & opportuna. Talia fuerunt tempora quando Chriſtiani vivebant in medio ſævientium idololatrarum; talia & nunc ſunt quando vivitur in medio ſeducentium Hæreticorum, & profanorum Deo & religioni illudentium.

Quo

Quomodo igitur poterint pii in hac ἀκαιρίᾳ καιρὸν invenire? Non aliter profectò quàm redimendo hanc opportunitatem inſerviendi Deo, & ſaluti ſuæ conſulendi, cui tot incommoda videntur obſtare. Redimitur autem ut plurimùm magno pretio;

Quandoque contemptu & abjectione omnium honorum & voluptatum ſecularium: ſemper enim difficultas, ſæpe etiam ignominia ac pœna abſterret Chriſtianos à via ſalutis. Ex hac ἀκαιρίᾳ καιρὸν ſibi facit, qui religionis & juſtitiæ causâ honorificum putat voluptates & ſeculi delicias ſpernere, ſupplicia & contumelias ſuſtinere; quod Apoſtoli & Martyres fecerunt in primitiva Eccleſia. Vide Actor.5.41.

Quandoque jacturâ divitiarum & omnium bonorum externorum: nam uſitatum eſt Tyrannis veros Dei cultores expilare & ſpoliare bonis ſuis omnibus. Quoties hoc acciderit, modò vitam fidei retinere liceat, omnia ſunt illorum arbitrio permittenda; non ſecùs ac viatores latronibus omnia ſua dare ſolent, modò vitam paciſcantur. Hoc Auguſtinus docuit in Epiſt. ad Rom. propoſ. 74. *Non reſiſtendum magiſtratibus, etſi temporalia injuſtè nobis auferant. Direptionem facultatum veſtrarum cum gaudio ſuſtinuiſtis*; Heb.10.34.

Quandoque diſpendio vitæ hujus & ſanguinis: nonnunquam enim tanta eſt perſecutorum rabies, ut non modò pœnale, ſed capitale ſit veram religionem amplecti. Talia fuerunt tempora Chriſtianis ſub multis Imperatoribus Ethnicis, talia fuerunt & nobis temporibus Marianis, talia adhuc ſunt orthodoxis & piis omnibus ſub imperio purpuratæ Meretricis. Qui inciderunt in aſperrima hæc tempora, potuerunt ex illis beata tempora facere; redimentes nimirum occaſionem & opportunitatem glorificandi Deum voluntariâ ſanguinis ſui effuſione. Vide Act.21.13. Vt verbo expediam, redimere occaſionem is dicitur, qui ad quaſvis iniquas conditiones (modò non illicitas) ſe ſubmittit, ut poſſit Deo adhærere, ac bonam conſcientiam & ſalutiferam fidem retinere.

Documenta.

Tanta eſt impietatis vis & Diaboli rabies, ut pii ne tantillum quidem temporis ſuffurari poſſint, quod Deo & ſaluti ſuæ conſecrent, niſi id magno pretio plerunque redemptum fuerit. *Docum.* 1.

Nulla tamen tempora tam infeſta ſunt piis, tantíſque difficultatibus obſtructa, quin ſapientes qui nôrunt tempus redimere poſſint invenire opportunitatem Deum glorificandi, & ſalutem ſuam promovendi. *Docum.* 2.

Eſt ſapientis & magnanimi Chriſtiani, non deterreri à fide aut pietate, quia dies mali ſunt; ſed hiſce malis & incommodis excitari potiùs ad conſtantiam in cultu divino, & veræ fidei profeſſione: nam ſingulis ſeculi hujus negotiis, aliud tempus opportunum *Docum.* 3.

tunum eſt, aliud ineptum; at futuri ſeculi negotiis promovendis nullum tempus eſt quod non poſſit eſſe opportunum ſapienter ambulanti.

VERS. VI.

Sermo veſter ſemper cum gratia ſit ſale conditus, ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.

PRæceſſit hortatio ad perſeverantiam in orando, & ſapientiam in converſando; ultima hæc hortationis Apoſtolicæ particula excitat ad diſcretionem adhibendam in loquendo.

Duo ſunt membra hujus verſiculi:

Ipſa hortatio; ***Sermo veſter ſit ſemper cum gratia ſale conditus:***

Hortationis amplificatio; ***Vt ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.***

In hortatione ipſa tria hæc perpendenda; Quid, Quamdiu, Quomodo.

1 Si quæratur quid illud ſit, de quo dirigendo & formando tantopere laborat Apoſtolus; ***Sermo veſter***] hoc illud eſt quod ad certam quaſi amuſſim dirigere conatur. Quo vocabulo etſi præcipuè videatur illum ſermonem reſpicere qui habetur ad infideles & Paganos, tamen reſpicit etiam generatim quævis colloquia Chriſtianorum cum quibuſvis.

Documenta.

Docum. 1. Non ſatis eſt vitam & actiones probè inſtituere, niſi verba & ſermonem inſuper religiosè temperemus. Chriſtianis enim non modò vivendum, ſed loquendum eſt ad normam. ***Si quis putat ſe religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, hujus vana eſt religio***; Iacob. 1. 26. Faceſſat itaque illa Poeticæ planè licentiæ excuſatio, ***Laſciva eſt nobis pagina, vita proba:*** piis neç vita, nec oratio indecora permittitur.

Docum. 2. Non modò reatus & damnationis periculum ex improbis actionibus, verùm etiam ex improbis ſermonibus incurritur; quia tenemur ad ſermonem utilem & gratiâ conditum, ut mox patebit: atque hinc Apoſtolus vocat linguam improbam *inquietum malum*, ac *plenam* eſſe dicit *veneno mortifero*; Iacob. 4. 8. ***Mors & vita in poteſtate linguæ***; Prov. 18. 21. Chryſoſtomus in Hom. 2. in Matth. obſervavit pleroſque homines linguis ſuis ſibi perniciem accerſere. Et Cypr. Epiſt. lib. 1. Epiſt. 3. notavit, inter omnes partes divitis illius de quo habetur parabola Luc. 16. 24. os & linguam perpeti acerbiſſima tormenta, quia plùs linguâ & ore peccaverat.

Docum. 3. Eſt Chriſtiani perfecti & undecunque abſoluti ſignum, ſermonem linguámque rectè temperare: unde poſt præceptum de

perpe-

perpetua oratione & ſapienti converſatione, ultimo in loco, quaſi culmen perfectionis, ſubjunxit Apoſtolus linguæ gubernationem: Nam *ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, potens etiam fræno circumducere totum corpus*; Iac. 3.2. Habetis quid illud ſit quod dirigendum eſt.

Sed quamdiu oportet hanc curam ſermonis adhibere? *Semper*, inquit Apoſtolus. Non quod ſemper loquendum ſit; 2
eſt enim tempus tacendi: ſed quòd cùm loquimur, ſemper curandum ut loquamur prout oportet.

Hîc igitur taxandi qui tantummodò coram Miniſtris aut gravioribus hominibus, vel cùm ex morbo decumbunt, ſobriè & religiosè loquuntur; cùm interim in conviviis, aut privatis confabulationibus, quamlibet ἀιχρολογίαν, aut μωρολογίαν, quaſi jure ſibi conceſſam uſurpant. At Apoſtolus, *Sermo veſter ſemper Cum gratia ſit ſale conditus*] Quomodo ſermo noſter rectè 3
inſtitui poſſit, jam tertio in loco oſtenditur; nimirum, ſi gratia quaſi ſale quodam condiatur. Vnde Tremellius vertit paulò explicatiùs, *Sermo veſter ſit cum gratia, ac ſi ſale eſſet conditus.* Per *gratiam* atque *ſalem* hoc in loco intelligere oportet prudentiam illam piam & religioſam à Spiritu ſancto dimanantem, quæ cor primùm, dein linguam hominis ac ſermonem dirigit ad loquendum prout oportet. Hoc donum gratiæ ſali aſſimilatur propter duo:

1. Quia ut ſal extrahit ex cibis noxios humores, & arcet ab illis omnem putredinem; ſic gratia prudentiæ cœlitus datæ, reprimit in colloquiis piorum ſermonem ocioſum & inutilem; ſunditus autem removet & tollit ab iis improbum, obſcœnum, & putridum ſermonem. Πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω &c. Epheſ.4.29.

2. Quia ut ſal non modò exiccat ſuperfluos & noxios ciborum humores, ſed facit illos inſuper aptos ad digerendum, ſalubres ad nutriendum; ſic prudentiæ ſal efficit, non modò ut ſermo Chriſtianorum non ſit ocioſus, aut noxius; ſed ut aptus fiat ac utilis ad ædificandum. Nam quod de Salomone ſcribitur, id ad omnes pios ſuo gradu extendi poteſt; *Quæſivit verba utilia, & ſermones rectiſſimos conſcripſit*; Eccleſiaſtæ 12.12.

Documenta.

Nullus Chriſtianorum ſermo debet eſſe inſipidus: inſulſus autem judicatur, qui vel nocet, vel minimè prodeſt. *Docum.* 1.

Non quolibet ſale ſermonem noſtrum condire ſufficit, ſed ſale prudentiæ id facere oportet. Faceſſat itaque ſal Satyricæ virulentiæ, quo nimis uſitatum eſt petulantibus ſuas confabulationes condire, vel potiùs conſpurcare. Neque valde curemus ſales illos jocóſque quibus urbanioris ingenii homines mirum in modum delectantur: nam etſi non ſtatuerim cum Ambroſio, *om-* *Docum.* 2.

nes

nes jocos ab Eccleſiaſtica regula abhorrere, & eſſe idcirco declinandos: tamen id affirmaverim, Chriſtiani laudem indè non pendere; ac proinde de ſolo prudentiæ ſale adhibendo eſſe illi laborandum.

Docum. 3. Sale hoc prorſus deſtituuntur, quibus ſolitum & volupe eſt effutire verba, Mentem, vel Affectus auditorum corrumpentia: nam ſalis eſt corruptionem prohibere, non gignere.

Corrumpunt mentem & judicium, qui hæreticos, falſos, aut ambiguos ſermones diſſeminant, vel in Papiſmum, vel quamvis aliam hæreſin propendentes. Hujuſmodi enim verba, aut impellunt in errorem imperitos & inſtabiles, aut ſaltem dubios in fide relinquunt.

Corrumpunt voluntatem & affectus, qui evomunt obſcœna, profana, aut irreligioſa dicta; quibus homines athei nil aliud conantur, quàm ut pietatem, & Dei timorem quem ipſi excuſſerunt, aliis etiam contagioſo hoc ſermone eripiant. Sed hi omnes non ſalem in ſe habent; ſed tabem, putredinem, & peſtem, quam aliis omnibus afflare ſatagunt. Hæc de ipſa hortatione; de qua parciùs dictum eſt à nobis, quia ad verſum octavum Capitis præcedentis eandem materiam tractavimus.

Vt ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere] Hiſce verbis amplificat prædictam hortationem, indicatâ causâ ſani & diſcreti ſermonis, ac uſu ejuſdem.

Vt ſciatis] Tremellius vertit *Et ſcitote*. Quibus verbis oſtendit Apoſtolus ipſam cauſam, ſeu fontem ſani ſermonis, ſcientiam ſcilicet ex verbo Dei hauſtam, in animo loquentis latentem: non enim ſanus ſermo efficit ut ſciamus, ſed ſcientia efficit ut ſano ſermone utamur. Quamvis igitur ordine naturę ſcientia præcedat ſermonem diſcretum; ordine tamen cognitionis & manifeſtationis ſermo præcedit atque indicat ſcientiam. Atq; hinc eſt quòd Apoſtolus priore loco poſuit, *Sit ſermo veſter ſale conditus*, dein ſubjunxit *ut ſciatis &c.* id eſt, ut indè fiat manifeſtum, vos præditos eſſe hac eximiâ ſcientiâ, quæ docet Chriſtianos

Quomodo oporteat unicuique reſpondere] Hiſce ultimis verbis habemus fructum, uſum, vel applicationem, tum ſcientiæ, tum ſermonis ſapientis; nimirum, ut unicuique reſpondeatur prout oportet, hoc eſt, infidelibus & Paganis rationem fidei noſtrę expoſcentibus, conſtanter & prudenter, ne riſui religionem noſtram exponamus; Hæreticis fidem veram impugnantibus, acriter & fortiter, ne vel minimam veritatis divinæ particulam labefactari ſinamus; ut doctrinam ſalutiferam impertiamus imperitis, & quærentibus vias Domini; ut ſolatium afferamus afflictis, & ſub conſcientiæ vulneratæ onere gementibus; uno verbo, ut omnibus, quamcunq; ob cauſam colloquium noſtrum expetentibus, ſapienter & cum fructu loquamur.

Corol-

Corollaria.

Omnibus Chriſtianis (quocunque nomine, ſeu Clericorum, ſeu Laicorum cenſentur) enitendum eſt ut adipiſcantur eam religionis & rerum divinarum ſcientiam, quę illos dirigat ad rationem fidei ſuę reddendam. *Eſtote ſemper parati ad reſpondendum cuilibet petenti rationem &c.* 1. Pet. 3. 15. *Coroll.* 1.

Non hoc ſolum à Chriſtianis bene inſtitutis requiritur; ſed etiam ut abundent ſcientiâ & ſermone, ſi non artificioſo, at fructuoſo ſaltem, & ad fratrum etiam ædificationem, ac varias utilitates accommodato. Hoc in Corinthiis laudat Paulus, 2. Cor. 8. 7. *In omnibus abundatis, fide, & ſermone, & cognitione, &c.* *Coroll.* 2.

Meritò culpandi ſunt omnes, qui illis literis ſacris non incumbunt, quæ ſolæ hominum animos imbuere ſolent hac arte ſapidè loquendi. Nam in Verbo ſal ille reconditur, atque indè haurienda eſt omnis prudentia, quæ vel ipſi habenti, vel aliis ſit ſalutifera. Vnde Apoſtoli verbo divino inſtructi, dicuntur *Sal terræ*, Matth. 5. 13. In qua loquendi formula, quod proprium eſt verbi divini, ad perſonas transfertur quibus commiſſa eſt ejus adminiſtratio. *Coroll.* 3.

Hinc cauſam colligere poſſumus, cur ferè omnia ubique loca perſtrepant inſulſis & inſipidis ſermocinationibus; nimirum, quòd plerique mortales deſtituantur hoc ſale doctrinæ Evangelicæ, & ſpiritualis prudentiæ, unde fluit ſermo omnis bene conditus. *Coroll.* 4.

Hinc perſpici licet, quanto ſcelere ſe aſtringunt Romanenſes, qui Laicis verbi divini ſalem eripiunt: nam eâdem operâ imponunt illis quaſi neceſſitatem inſulsè tum ſentiendi, tum loquendi, quibus Deus in mandatis dedit, & ſcientiam acquirere, & ſermonem ſale conditum in utilitatem proximorum expromere. Sed quibus aut ſua ſalus, aut fratrum utilitas curæ eſt, ſale verbi divini condiant oportet & mentem & ſermonem ſuum: nam *unuſquiſque obligatur illud ſcire, ſine cujus cognitione non poteſt mandatum Dei implere, & peccatum vitare*; Gerſon, part. 2. in Regul. Moral. *Coroll.* 5.

Atque ſic triplicem hortationem Apoſtolicam abſolvimus; jam ab hortationibus ad ſecundam hujus Capitis partem, nimirum ad laudationes vel commendationes Apoſtolicas, quibus eximios quoſdam viros ornat, tranſeundum eſt.

VERS. VII. VIII. IX.

Res meas omnes vobis notas faciet Tychicus, dilectus frater, & fidus miniſter, ac conſervus in Domino:
Quem miſi ad vos ob hoc ipſum, ut cognoſcat res veſtras, & corda veſtra conſoletur:
Cum Oneſimo fido & dilecto fratre, qui eſt ex vobis. Omnia vobis exponent, quæ hîc aguntur.

PRopoſuit Apoſtolus præcedentibus ſex verſiculis hortationes aliquot perutiles, & perquam neceſſarias; quibus explicatis, reſtant jam tantummodò laudationes particularium quorundam virorum, & hinc indè miſſæ ſalutationes. Fortaſſe nonnullis hęc levioris momenti eſſe videntur, ſed non ſunt tamen parvi facienda: Nam probata ab omnibus eſt illa Chryſoſtomi regula, *Nomina propria, etiamſi ſola recenſeantur in ſacra Scriptura, non contemnantur*; Homil. 4. in Gen. *Quemadmodum enim, ſi quis herbas aridas, nec odorem, nec colorem gratum habentes, in medici officina diſpoſitas repererit; quantumvis vilem ſpeciem præ ſe ferant, tamen ſuſpicabitur aliquid virtutis & remedii in illis latere: ſic in pharmacopolio Scripturarum ſi quid occurrerit, quod primo aſpectu nobis videatur contemnendum; tamen pro certo ſtatuamus, in eo reperiri aliquid utilitatis ſpiritualis; quia Chriſtus medicus animarum nihil ociоſum aut inutile in hoc pharmacopolio ſuo poſuiſſe judicandus eſt*, ut præclarè Origen. Hom. 8. in Levit. Ad rem jam accedemus, & ſuo ordine, tam commendationes haſce, quàm ſalutationes ſequentes diſcutiemus.

Hiſce itaque tribus verſiculis, quos recitavimus, continetur ſecunda hujus Capitis particula; quæ inſumitur laudationi duorum eximiorum virorum, per quos hæc Epiſtola tranſmiſſa fuit ad Coloſſenſes. Tria autem ſunt in hiſce quaſi literis commendatitiis perpendenda:

1. Perſonæ miſſæ, | Tychicus nimirum, & Oneſimus.
2. Cauſę miſſionis { 1. Notas facere res Pauli Coloſſenſibus. 2. Cognoſcere & inſpicere res Coloſſ. 3. Conſolari corda ipſorum Coloſſenſiũ.
3. Laudes miſſorum { Tychici; quæ explicantur verſu 7. Oneſimi; quæ explicantur verſu 9.

Ordiendum eſt à Perſonis; & primùm à Tychico, qui fuit ex Aſia oriundus, atque comes adhæſit Paulo per Macedoniam eunti, ac poſteà præcedens, Troade eum expectavit; Act. 20. 4. In Synopſi quæ Dorothei nomen præ ſe fert, dicitur primus fuiſſe Chalcedoniæ Epiſcopus. Sed hujus rei fides ſit penes authorem; certum & clarum eſt, fuiſſe virum pium & egregiis do-

tibus

tibus ornatum, iiſdémque uſum ad Evangelium propagandum & Eccleſiam ædificandam.

Ad cauſas miſſionis quod attinet; prima ex hiſce verbis colligitur *Res meas omnes vobis notas faciet*] id eſt, omnes de quibus expedit vos certiores fieri. Erat Paulus longo intervallo disjunctus à Coloſſenſibus, utpote Romæ incarceratus, & quaſi in ore leonis conſtitutus: pro ſuo igitur in tantum Apoſtolum amore, deſiderabant proculdubiò ſcire quid ageret, quid pateretur, quod periculum illi immineret, quæ ſpes liberationis affulgeret, & alia ejuſmodi. Huic itaque tam honeſto deſiderio volens ſatisfacere, legavit ad eos Tychicum & Oneſimum, qui omnia hæc illis nota facerent.

Obſervationes.

Decet Chriſtianos bene inſtitutos de Paſtorum ſuorum rebus proſperis aut adverſis notitiam deſiderare, & illis affectum benevolum, & promptum etiam auxilium (cùm res tulerit) præſtare. *Obſerv.* 1.

Pii Paſtores etiam afflicti & incarcerati ſic ſe gerunt, ut utile ſit Eccleſiæ nôſſe quid agant. Sic magnus hic Apoſtolus Romæ in carcerem conjectus, & catenis vinctus, excipiebat nihilominùs omnes qui ad illum ingrediebantur, prædicans illis regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto cum omni libertate. Non mirum itaque ſi res ſuas notas illis volebat, qui res tam præclaras in carcere agebat. *Obſerv.* 2. *Act.* 28. 23.

Taxandus eſt igitur populus Chriſtianus, quibus nec cordi eſt, Miniſtrorum ſuorum res proſperas videre; nec cordolio, illorum miſerias intueri: ſed quæ ſua ſunt tantummodo curant, de Miniſtris ſuis quid agant aut patiantur nihil ſoliciti. Aliter animati erant Coloſſenſes, qui res omnes Pauli ſcire cupidè cupiebant. *Obſerv.* 3.

Reprehendendi etiam Miniſtri, qui non ità ſe gerunt in omni fortuna & conditione, ut expediat ſuis nôſſe quid agant, quid patiantur. Hujuſmodi ſunt, qui rebus proſperis ocio ſe dedunt, ſub cruce præ ignavia animum deſpondent, aut pro impatientia in Deum & homines debacchantur, nulli interim bonæ rei intenti. Non eſt optandum ut horum res omnes notæ fiant populo, utpote quæ ſcandalo potiùs illis eſſent quàm ſolatio. *Obſerv.* 4.

Vt cognoſcat res veſtras] Hæc fuit ſecunda cauſa cur Paulus Tychicum miſerit ad Coloſſenſes. Non ſolummodò cupiebat ut illi certiores fierent de ſtatu ſuo, ſed ipſe etiam certior fieri cupiebat de ſtatu illorum. Reſpicit autem Apoſtolus potiſſimùm res ad ſpiritualem illorum ſtatum pertinentes: ſcire enim deſiderabat, quàm eſſent in fide radicati, quàm in charitate conſpirantes, quàm diſciplinæ & ordinis obſervantes, &, uno verbo, quàm Chriſtianæ ſuæ profeſſioni adhæreſcentes.

Hæc cognitio eſt Paſtori perquam neceſſaria, quia ſtatu populi minimè intellecto, non poteſt vel doctrinam ſuam, vel reprehenſionem, vel conſolationem aptè & appoſitè illis accommodare; ſicut nec medicus ſua pharmaca, niſi priùs inquirat in ſtatum ægroti.

Multa hîc obſervanda atque imitanda nobis Miniſtris.

1. Paternam Pauli dilectionem erga populum obſervemus, qui incarceratus & ſub ictu mortis conſtitutus, magis tamen ſolicitus erat de rebus aliorum quàm de vita ſua. Si ille propriam vitam minùs curavit quàm ſpiritualem populi Chriſtiani ædificationem, tum oportet nos voluptatibus atque utilitatibus noſtris privatis Eccleſiæ cui inſervimus publicum bonum anteferre.

2. Obſervemus Apoſtoli diligentiam, qui non ſatis habuit Evangelium per prædicationem & per Epiſtolas diſſeminare; ſed ſibi etiam inquirendum putavit in vitam & converſationem hominum, &, quàm fieri potuit, particularem ſingulorum notitiam ſibi comparandam. Sic quilibet Miniſter laborare debet, non modò in grege ſuo paſcendo, ſed etiam in moribus illorum inquirendis & diſcernendis.

3. Hinc obſervemus Pauli ſapientiam: nam fecit Coloſſenſes proculdubiò multò magis ſolicitos de vita ſua probè inſtituenda, dum innuit ſe tam ſolicitum eſſe de eadem cognoſcenda. Nec dubito quin etiam apud nos, omnes, in quibus vel mica eſt pudoris & probitatis, vitam agerent ſanctiorem, ſi Paſtores pro ſuo officio operam darent ut cognoſcerent mores & inſtituta ſingulorum.

3 *Et corda veſtra conſoletur*] Hæc eſt ultima cauſa quâ impulſus fuit Paulus ad mittendum Tychicum. Indigebant conſolatione duplici reſpectu:

1. Quia, ut veriſimile eſt, valde angebantur animo ob Paulum incarceratum, de cujus morte non poterant non triſtem nuncium indies expectare, perſpectâ Neronis (qui tum imperabat) ſævitiâ. Reficit igitur Coloſſenſium animos Tychicus, nunciando egregium hunc Apoſtolum non modò vivere & valere, ſed etiam in vinculis Evangelium liberè prædicare.

2. Indigebant conſolatione reſpectu propriæ infirmitatis; nam nimis uſitatum eſt periculo impendente reſilire à profeſſione Evangelica. Diabolus enim & caro impatiens crucis ſuggerere ſolent hominum animis, ſtultum eſſe illam doctrinam amplecti, quam Reges pœnis impoſitis conantur extirpare, quam mundi ſapientes variis machinis conantur evertere. Vt itaq; huic malo occurreret Apoſtolus, & illos in fide confirmaret contra perſecutores, ac contra ſeductores; miſit Tychicum ad eos ſtabiliendos, & exhortandos ne commoverentur iſtis afflictionibus, ſed

ſuo

ſuo exemplo parati ſint quidvis perpeti pro Evangelio. Vide 1.Theſ.3.2.

Documenta.

Hinc diſcimus agnoſcere innatum naturę noſtrę vitium, quod nos omnes animo dejecto eſſe facit quoties Evangelicæ profeſſioni crucem & afflictionem impendere videmus: ſumus enim petroſa illa terra, quæ *ſermonem excipit cum gaudio, ſed ortâ tribulatione propter ſermonem ſtatim offenditur*; Matth.13.20. Huic igitur vitio obſiſtere, & corda noſtra erigere oportet, & ſpiritualibus ſolatiis confirmare. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; 2.Cor.4.17. *Docum.* 1.

Miniſtrum Verbi decet non modò exhibere ſeſe exemplar conſtantiæ & fortitudinis in patiendo, ſed etiam alios animare & roborare erigendo, conſolando, atque omnibus modis ad crucem cum gaudio tolerandam præparando. Sic olim Tertullianus, Cyprianus, aliíque pii Paſtores, ſcriptis in hunc finem editis Chriſtianos ad Martyrium ſubeundum armârunt: ſic temporibus Marianis Evangelici noſtri Miniſtri literis ac hortationibus ſuorum corda conſolabantur. Sunt igitur officii ſui prorſus immemores, qui fratres ſuos ſub quacunque cruce gementes & laborantes contemnunt, quorum corda conſolari & confirmare debuerunt. Hæc de cauſis miſſionis. *Docum.* 2.

Dilectus frater, & fidus Miniſter, ac conſervus in Domino.] Cauſas miſſionis audiviſtis; jam ad laudationem perſonæ miſſę veniamus: quem non ſolummodò hoc in loco, ſed etiam 6.ad Epheſ.verſ.21. iiſdem eximiis laudibus ornavit Apoſtolus.

Ad præſens encomium quod attinet, conſtat tribus membris; quæ eò breviùs percurremus, quia ad verſum ſeptimum primi Capitis de hiſce dictum eſt.

1. Vocatur Tychicus *dilectus frater*] Solebant omnes Chriſtiani hoc nomine ſeſe mutuò compellare, juxta dictum Chriſti, Matth.23.8. *Vnus eſt magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis*. Sed putandum tamen Paulum id hoc in loco facere, non tantummodò pro more communi, ſed pro amore ſingulari in hunc virum meritò dilectiſſimum.

Hinc collige

Fraternum amorem inter omnes Chriſtianos vigere oportere, ſed maximè inter ipſos Verbi Miniſtros. *Mando vobis ut diligatis invicem*; Ioan.15.17. Vnde Tertullianus de Patient. *Dilectio ſummum fidei ſacramentum eſt, & Chriſtiani nominis theſaurus.* *Docum.* 1.

Qui odio aut invidiâ feruntur in fratres ſuos, præſertim in comminiſtros, nihil habent in ſe Paulini candoris, nihil Chriſtianæ charitatis: nam in omnes verè pios convenit illud 1.Theſ. *Docum.* 2.

4. 9. *De Charitate fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis &c.*

2. Vocatur *fidus Miniſter*] Duobus hiſce verbis duplex elogium continetur: ab honorifico officio laudatur, quia *Miniſter*; à fideli ejuſdem executione, quia *fidus* in Miniſterio.

Miniſter] ſcilicet Chriſti; non enim de quolibet abjecto miniſterio loquitur, ſed de Miniſterio Evangelii: honoris itaque causâ *Miniſter* nominatur.

Hinc collige

Docum. 1. In Chriſtianis non eſſe numerandos, qui hoc ſolo nomine contemnunt viros, alioquin haud contemnendos, quòd Miniſterii functionem ſuſceperunt. Nam ſi Chriſtianum eſſe, glorioſum ſit; tum inter Chriſtianos, eſſe fidelis populi ducem, divinæ voluntatis interpretem, cœleſtium prædicatorem, eſt longè glorioſiſſimum. Vnde Paulus Verbi Miniſtris duplicem honorem adjudicat, 1. Tim. 5. 17. *Duplici honore digni habeantur &c.*

Docum. 2. Stultè verecundos eſſe, & indignos Miniſterio, quos aliorum profana ſtultitia, aut pudere facit vocationis tam honorificæ, aut pœnitere. Aliter animatus erat Paulus, qui putabat ſe hoc *Miniſtri* titulo ornare Tychicum, & commendare Coloſſenſibus; quíque de ſe profitetur, *Non erubeſco Evangelium, &c.* Rom. 1. 16. Et Gregor. Nazian. *excellentius eſſe* dicit *Deo in officio ſacerdotali inſervire, quàm apud terrenos Reges primas ferre*; Orat. 7.

Docum. 3. Peccare etiam & iſtos in contrariam partem, qui Miniſterium hoc ſpirituale conantur transformare in imperium temporale: quod Romanenſes faciunt, qui Papam ſuum, non Evangelii Miniſtrum, ſed totius orbis temporalem Monarcham conſtituunt. Hæc de Officio.

Fidus] Hoc multum addit laudibus Tychici. Nam utcunq; ipſum Miniſterium, etiam in homine improbo honorandum ſit; tamen improbitas aut infidelitas in functione hujus Miniſterii, non modò alienare ſolet animos ab ipſo Miniſtro, ſed ipſi Miniſterio maculam aſpergere.

Fidelitas hæc (quæ laudatur in Tychico) in duobus ſita eſt: in eo quòd Miniſterium ſuum ſemper retulit ad Dei gloriam promovendam; & ad populi Chriſtiani ædificationem procurandam.

Documenta.

Docum. 1. Fruſtra, imò in perniciem & ſuam & aliorum, in Miniſterium ſe ingerunt, qui in eodem fungendo ſeſe fideles non exhibent: Neque aureolum doctoribus deſtinatum, ſed Væ illud non Evangelizantibus intentatum recipient.

Docum. 2. Decet pios Chriſtianos revereri Miniſtros ſuos qualeſcunque; ſed fidos unicè amare, & in oculis (quod aiunt) geſtare, imò,

ut

ut Galatæ Paulum, *ſicut Angelos excipere, aut ipſum Chriſtum Ieſum*; Gal. 4. 14.

Ac conſervus in Domino] Hæc eſt ultima hujus elogii particula. Appellat autem *conſervum in Domino*, quia uterque eidem Domino, ſcilicet Chriſto, inſerviebat in Evangelii prædicatione: non poterant itaque Tychicum parvifacere, apud quos Paulus erat in honore, qui illum pro conſervo ſuo agnoſcit.

Obſervationes.

Eſt hoc commune omnium Miniſtrorum officium, ſocios in eodem Miniſterio ornare quantum poſſunt, & populo ſuo gratos & acceptos reddere; non in illos odium concitare. *Obſerv.* 1.

Decet eos qui in eminentiori loco conſtituti ſunt, non ſpernere inferiores Miniſtros, ſed utì conſervos ſuos habere & tractare. Sic Paulus ex culmine Apoſtolico non deſpicit aut deprimit Tychicum ſe multò inferiorem; ſed effert potiùs, & in æquo ponit, dum *conſervum* vocat. *Obſerv.* 2.

Non eſt aut Pauli aut Petri verus ſucceſſor Pontifex Romanus, qui non ſolùm Clero univerſo, & toti populo Chriſtiano; ſed ipſis Regibus & Imperatoribus Regio more dominari vult: tantum abeſt, ut comminiſtros ſuos tanquam conſervos tractet. Hactenus de Tychico. *Obſerv.* 3.

Vers. 9. *Cum Oneſimo fido & dilecto fratre, qui eſt ex vobis: Omnia vobis exponent quæ hîc aguntur.*

Tychici laudibus explicatis, ad Oneſimum ſuo quoque teſtimonio cohoneſtandum pergit Apoſtolus: quandoquidem enim utrunque in hac legatione ſociandum, in laudatione etiam utrunque conjungendum putavit.

Ad ipſam perſonam quod attinet; fuit hic Oneſimus (ut plerique opinantur) idem quem Paulus ex ſervo fugitivo verum fecit Chriſtianum. Atque hinc eſt quòd *in vinculis ſe illum genuiſſe* gloriatur, Epiſt. ad Philemonem, ver. 10. Vnde Hieronymus adverſ. errores Ioan. Hieroſol. *Legimus Oneſimum inter Pauli renatum vincula, Diaconum eſſe cœpiſſe de ſervo.*

Obſervationes.

Neminem contemnere debemus ob priſtina delicta, poſtquam verè reſipuerit. Fuit hic Oneſimus quondam contemptibilis, inutilis, & fugitivus ſervus: ſed poſtquam Chriſto nomen dedit, non jam contemnitur à Paulo, ſed honoris causâ unà cum Tychico viro illuſtri mittitur ad Coloſſenſes. *Obſerv.* 1.

Peccant igitur graviter, qui verè converſis exprobrare potiùs amant veteres morbos, quàm gratulari novam ſanitatem. Sed hîc debemus ipſum Deum imitari, qui hominum dignitatem aut utilitatem, non ex præterita conditione quam abjecerunt, ſed ex præſenti quam induerunt ſolet æſtimare. Vide Ezech. 18. 22. Hæc de perſona. *Obſerv.* 2.

Hunc Oneſimum Coloſſenſibus commendatum reddit triplici nomine.

Primò, quòd *fidus frater*] id eſt, non modò Chriſtianus, ſed verus & genuinus Chriſtianus: multi enim nomen ſibi aſſumpſerunt, qui ipſam rem abnegârunt. Vnde illa falſorum fratrum mentio, Galat.2.4. & eorundem viva deſcriptio, 2.Tim.3. verſ.2.3.4. &c. Sed talis non fuit hic Oneſimus; qui non ſolùm nomen fratris Chriſtiani induerat; ſed fidi, veri, & Chriſtiani fratris officium in omnibus, & erga omnes præſtiterat.

Hinc obſervemus

Obſerv. 1. Enitendum omnibus, ut reſpondeant nomini & profeſſioni ſuæ: nam vocari & cenſeri Chriſtianum, Theologum, fidelem, aut quidvis ejus generis, & non verè eſſe, ad ludibrium facit, non ad honorem ejus qui falſis titulis ornatur. Hinc taxatur Angelus Eccleſiæ quæ erat Sardibus, quòd *dicatur vivere cùm mortuus ſit*; Apocal.3.1. Nam (ut ſcitè Tertullianus adverſ. Marcion. 1.) *Cui natura nomini ſubjecta negatur, nomine illuditur.*

Obſerv. 2. Ab omnibus piis amandos eſſe, & utriſque (quod aiunt) ulnis amplexandos, qui fidi ſunt, tam in Chriſtiana ſua profeſſione, quàm in ſpeciali ſua vocatione: nam *ut gemmæ ab ipſa raritate gratiam poſſident; ſic fidus frater, fidus Magiſtratus, fidus Miniſter, quia rari apparent, in maximo apud omnes pretio eſſe debent.*

Tertull.

Obſerv. 3. Nihil perniciosius aut periculoſius Eccleſiæ, quàm perfidi iſti fratres, qui religionem ſimulant quam corde aſpernantur. Hoſce falſos fratres Paulus putavit latronibus, Paganis, imò procellis & naufragiis omnibus deteriores: unde cùm catalogum texeret periculorum ſuorum, pericula quæ adierat inter falſos fratres ultimo in loco recenſuit, quaſi cæteris omnibus grandiora.

2.Cor.11.26.

Secundò, commendatur Oneſimus quòd fuerit *Dilectus*] Paulo ſcilicet ſummo Apoſtolo, qui non ſolebat ad intimam amicitiam recipere, niſi amore digniſſimos. Voluit igitur Apoſtolus ut hinc colligerent, fuiſſe hunc virum egregia virtute & pietate præditum, & proinde ab ipſis quoque Coloſſenſibus, adeóque omnibus bonis diligendum.

Obſervationes.

Obſerv. 1. Signum eſt boni & pii Chriſtiani, eſſe charum & dilectum Paſtori ſuo; & è contrà impii & profani, eſſe eidem odioſum.

Obſerv. 2. Decet pium & prudentem Miniſtrum, præ aliis peculiari quodam affectu illos complecti, quos videt eximiâ pietate præditos. Vtcunque enim totum gregem ſibi commiſſum curare & amare teneatur; in amore tamen ejus primas ferre debent, qui ſanctitate & probitate morum cæteris antecellunt. Hi enim ſunt *gaudium*, & *corona* Miniſtri ſui; Philip.4.1.

Obſerv. 3. Ea debet eſſe omnium fidelium cura, ut ſint probati & meri-

tò dilecti Paſtoribus ſuis, propter ſpectatam fidem & probitatem. Qui hoc minimè curant, ut plurimùm ipſam religionem ſpernunt.

Tertiò, *Qui eſt ex vobis*] Vltimò igitur, & hoc etiam reſpectu voluit Apoſtolus gratiorem reddere Oneſimum Coloſſenſibus quòd ipſe fuerat Coloſſis oriundus, illorum ſcilicet popularis & conterraneus. Quamvis enim hoc non multùm faciebat ad laudem hujus viri, facit tamen nonnihil ad inflammandos Coloſſenſes ejus amore: nam quod ſuum & proprium eſt, unicuique eſſe ſolet amabile.

Obſervationes.

Licet eos peculiari affectu proſequi, quibus peculiari aliquo reſpectu ſumus propinquiores & devinctiores; verbi causâ, ſi fuerint nobis ejuſdem ſanguinis, affinitatis, patriæ, aut ſocietatis communione conjuncti. *Obſerv.* 1.

Eſt igitur vitioſus ille affectus, qui in pleriſque gignit contemptum, aut ſaltem neglectionem ſuorum, quia ſcilicet ſui ſunt. Nam ut in rebus, ſic etiam in perſonis, quæ domi naſcuntur ſunt faſtidio finitimæ; peregrina autem omnia & exotica miris laudibus efferuntur. Ipſe Chriſtus expertus eſt hanc ſuorum popularium ſtultitiam, & de ea graviſſimè conqueſtus Matth. 13. 57. *Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua.* Atque hæc de perſona laudata, & ejuſdem commendatione. *Obſerv.* 2.

Iam quod attinet ad cauſam cur & ipſe miſſus fuerit ad Coloſſenſes unà cum Tychico, hiſce ultimis verbis oſtenditur

Omnia vobis exponent quæ hîc aguntur] Dixerat autem de Tychico, *res meas omnes vobis notas faciet:* ſed quia teſti ſingulari ſolent homines non adeò firmiter fidem adhibere, voluit eos duorum teſtimonio de rebus ſuis omnibus certiores facere, ut nullus locus dubitationi relinqueretur. Non opus eſt pluribus ad hujus rei explicationem, quia de eadem hac cauſa dictum fuit ad verſum ſeptimum.

Abſolvimus jam duas priores hujus Capitis partes, quarum prima ſita fuit in hortationibus, altera in laudationibus: reſtat tertia & ultima particula, quæ ſalutationibus inſumitur.

VERS.

VERS. X. XI.

Salutat vos Ariſtarchus meus in captivitate ſocius, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata: Si venerit ad vos excipite eum.

Et Ieſus qui vocatur Iuſtus: qui ſunt ex circumciſione: hi ſoli adjutores in regno Dei, qui fuerunt mihi ſolatio.

VEntum jam eſt ad ultimam hujus Capitis particulam, quæ nihil ferè aliud præter officioſas quaſdam ſalutationes hinc indè miſſas complectitur: in quibus percurrendis, quia facilem habent explicationem, erimus breviores. Neque enim decet contextum facilem, aut nimis operosâ commentatione onerare; aut, quaſi nihil conſideratione noſtrâ dignum haberet, penitus omittere.

Tria igitur hîc à nobis facienda ſunt.

Primò, de hoc ſalutandi officio generatim dicendum eſt.

Secundò, de perſonis ſalutantibus ea explicanda ſunt, quæ eò pertinent ut perſonas ſalutantes cognoſcamus.

Poſtremò, de iis elogiis quæ Paulus pro more ſuo in laudem ſingulorum annectit.

Ἀσπάζεται ὑμᾶς, *Salutat vos*] Ad primum igitur quod attinet; vocabulum hoc Græcum ſignificat vel *amplexari*, quod amici facere ſolent, cùm ex intervallo ſe reviſunt; vel *ſalutare*, ſicuti obvios quoſcunque ſolemus verbis, amicos autem abſentes literis, tum noſtro, tum aliorum nomine.

Eſt autem hæc ſalutatio, fauſta ex animo benevolo ſalutis & felicitatis precatio à Deo authore ejuſdem.

Salutandi formulæ variæ ſunt; omnes autem in eo conſentiunt, quòd illi quem ſalutamus à Deo omnia læta & proſpera exoptamus. Ipſe Chriſtus plerunque uti ſolebat hac formulâ, *Pax vobis:* quam præſcripſit etiam Diſcipulis, Luc. 10. 5. Angelus ad Mariam utitur eâ, quæ etiam Gentibus in more fuit, χαῖρε, *Ave, Dominus tecum*, Luc. 1. 28.

Luc. 24. 36. *Ioan.* 20. 19.

Iam verò cùm per literas abſentes ſalutamus, formulæ Veterum erant in initiis Epiſtolarum, χαίρειν, ἐυτυχεῖν· in fine ἔῤῥωσο· Sed Apoſtoli utrobiq; pro hiſce obſoletis ſalutationibus uſurpant illam ſanctiorem & auguſtiorem, *Gratia ſit vobis & pax à Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto*; vel conſimilem ſaltem & æquivalentem. Salutare itaque, ſub quacunque forma fiat, eſt optare alteri hęc bona à Deo fonte omnium bonorum.

Officium hoc humaniter ſalutandi alios non eſſe negligendum homini pio & Chriſtiano, ſed tam præſentibus quàm abſentibus (cùm occaſio tulerit) præſtandum, patet multis modis.

1. Ex

1. Ex mandato Christi Servatoris, qui jussit hoc officium præstare, Matth. 10. 12. *Intrantes in domum quamlibet, salutate eam &c.*

2. Ab exemplo ipsius Pauli & Sanctorum, qui (uti patet, tum in hoc loco, tum in omnibus ferè ejus Epistolis) harum salutationum non solent esse immemores.

3. Ab usu earundem, & multiplici utilitate: nam charitatem mutuam quæ vigere debet inter Christianos, non modò exprimunt & declarant, sed nutriunt & augent. Ad hæc, cùm fluunt ex corde fide purificato & charitate inflammato, sunt opera Deo grata, & fratribus (quoties expedit) optata bona impetrant. Postremò, si de industria negligantur, aut simultatem arguet, aut charitatem frigidam valde, & languescentem; quâ vel suspicione oportet Christianos omnes vacare.

Sed videntur prohibitæ hæ salutationes, tanquam ociosæ cæremoniæ, & ab occupatis contemnendæ. Elizæus cùm mittit servum suum ad excitandum filium viduæ, vetat *ne vel alios salutet, vel salutantibus respondeat*; 2. Reg. 4. 29. Ipse etiam Christus cùm ad prædicandum mittit Discipulos suos, *Ne portate* (inquit) *crumenam, neque peram, neque calceamenta, & neminem in via salutate*, Luc. 10. 4. Si verbis obvios salutare frivolum sit, tum etiam frivolum erit absentes per literas. *Objectio.*

Respondendum est, hasce locutiones esse tropicas & hyperbolicas, hâncque esse verborum vim, ut prohibeant moras in via nectere, aut aliquid facere quod remoram afferat negotio suscepto; voluit igitur etiam salutationibus abstinendum esse, si fortè impedirent executionem muneris impositi: cæterùm absolutè prohibere hęc humanitatis officia, non fuit aut Prophetæ mens, aut Servatoris in verbis citatis. *Solut.*

Hinc observate

Externa humanitatis officia, quæ faciunt ad charitatem augendam, esse diligenter à piis præstanda. Vnde Augustinus taxat illorum inhumanitatem, qui hæc habent neglectui, in Serm. 42. de Sanctis; *Si quis obvium sibi non salutaret, à viatore non habebitur homo, sed truncus, aut statua Mercurialis.* *Observ.* 1.

Non esse præstanda solummodò pro more & consuetudine, sed ex amore & vera charitate. Simulationis enim & mendacii crimen incurrit, qui verbo illi salutem dicit, cui ex animo salutem omniáque bona non exoptat. Sic Iudas Christum salutavit, quem perditum ibat; χαῖρε ῥάββι, Matth. 26. 49. *Observ.* 2.

Peccare eos, qui hoc Christianæ charitatis officium superbiæ & ambitioni suæ inservire volunt. Sic olim Pharisæi, quos hoc nomine Servator perstringit, quòd *salutationes in foro appeterent*. Sic Magnates apud Ethnicos, qui hoc à clientulis suis exigebant. Vnde Poeta conqueritur de Fabiano; præter æquum (inquit) ju- *Observ.* 3.

bes,

bes,

Horridus ut prime ſemper te mane ſalutem,
Per mediumque trahat me tua ſella lutum.

Mart. lib. 3 Epigram. 36.

Obſerv. 4. Turpiter denique & illos facere, qui ex opere charitatis propriam quærunt utilitatem, & pro officio ſalutandi præſtant officium adulandi. In hoc peccant, qui cæteros negligunt, atq; ſolos Magnates, eóſque à quibus lucrum expectant, colunt hiſce officiis humanitatis. Sed aliter qui verè pii & Chriſtiani: hęc omnia referunt, non ad fallam ſimulationem, non ad inanem ſuperbiam, non ad captationem doloſam; ſed ad veræ charitatis & myſticæ unionis quæ eſt inter fideles ſignificationem.

Ariſtarchus] Ariſtarchus hic Macedo fuit, ex Theſſalonica oriundus, Pauli comes individuus, & omnium ferè periculorum ſocius; unà cum Apoſtolo Macedoniam, Græciam, Aſiam peragravit, & Romam uſque illum comitatus eſt: unde Actor. 19. 29. appellatur Παύλου συνέλημψ· & 20. 4. recenſetur inter eos, qui uſque in Aſiam Apoſtolum proſecuti ſunt; in Epiſtola denique ad Philemonem, verſ. 24. in eorum numero ponitur, qui Apoſtolo Romæ incarcerato inſerviebant.

In laudem igitur hujus eximii viri illud unum affertur, quòd fuerit συναιχμάλωτος Pauli. Quod verbum propriè deſignat haſtâ ſuperatum & captum, & proinde jure belli victoris mancipium. Sed figurata locutio eſt: Paulus enim ſeipſum αἰχμάλωτον vocat, non quòd captivus fuerit jure belli; ſed quòd inſtar captivi & mancipii tractaretur ab adverſariis Evangelii, utpote in vincula conjectus, & catenis oneratus. Iam verò Ariſtarchum *concaptivum ſuum*, vel (ut legit Ambroſius) *comitem captivitatis ſuæ* appellat, quòd præ amore Pauli nunquam ferè ab ejus latere diſcederet; ſed illi, etiam in carcerem & vincula conjecto, adeſſet & miniſtraret.

Hinc collige

Docum. 1. Nihil fidelibus glorioſum magis, quàm perſecutionem pati juſtitiæ & Evangelii causâ. Vnde Paulus non erubuit aut captivitatem aut catenam ſuam, ſed honoris causâ ſeipſum & hunc Ariſtarchum concaptivos appellat.

Docum. 2. Illos, & Dei ipſius, & Eccleſiæ judicio, haberi conſortes earundem paſſionum cum incarceratis & Martyribus, qui illis ex charitate adeſſe ſolent, & opem ac ſolamen ferre: nam hoc reſpectu Ariſtarchus hic cenſetur concaptivus Pauli. Hæc de Ariſtarcho.

Et Marcus] Ioannes etiam dictus, Actor. 12. 12. Matrem habuit piam & religioſam, Mariam Hieroſolymitanam; in cujus domo convenire ſolebant Apoſtoli aliique Chriſtiani, ad prædicandum, orandum, aliáque ſpiritualia exercitia; ut ex eodem loco colligi poteſt. Celeberrimus tum ob multa alia, tum præcipuè ob Evangelium conſcriptum habetur Marcus, quod à Petro di-

dicerat,

dicerat, ut ſcribit Euſebius lib.2.Hiſtor. Eccleſ. cap.24. & Irenæus lib.3. adverſ. Hæreſ. cap.1.

Hinc etiam meritò illuſtre nomen peperit in Eccleſia Dei, quòd inſuper in prædicando adjuvabat Apoſtolos: nam hujus potiſſimùm operâ Eccleſias per totam Ægyptum fuiſſe conſtitutas ſcribit Euſeb.lib.2.cap.16.

Primum fuiſſe Alexandriæ Epiſcopum tradit Dorotheus in Synop. atque ibi ſub Trajano martyrii coronâ decoratum. In eadem etiam urbe ſepultum ſcribit Hieronymus in Catalogo Scriptor. Eccleſ. Quando, aut à Quo converſus fuerit ad fidem Chriſtianam, non expreſsè habetur in Scriptura; ſed valde probabile eſt, fuiſſe à Petro converſum. Huic rei fidem faciunt,

1. Quòd Petrus maternam ejus domum frequentare ſolebat orandi & prædicandi causâ, ut antè oſtenſum eſt ex Actor. 12. Fuiſſe itaque ab hoc illuminatum veriſimile eſt.

2. Quòd Veteres, ut Irenæus & Euſebius, tradunt eum hauſiſſe Evangelicam hiſtoriam à Petro: unde Irenæus appellat illum *Petri diſcipulum*.

3. Quòd Hieronymus in cap.65.Eſa. diſertè affirmat *Paulum genuiſſe Timotheum, Lucam, & Titum; Petrum* verò, hunc *Marcum Evangeliſtam:* quod ipſe Petrus etiam videtur ſatis clarè indicaſſe, 1.Pet.cap.5.ver.13. ubi appellat hunc Marcum *filium ſuum:* non autem naturalem; ſpiritualem igitur, & ſemine Verbi genitum.

Sed ea jam excutiamus quæ ab ipſo Apoſtolo tanguntur.

Primò igitur ornat hunc Marcum à cognatione;

Conſobrinus Barnabæ] Fuit hic Barnabas antiquus & celebris Chriſti Diſcipulus, ut conſtat ex Actor.1.23. ubi cùm conſultatio haberetur de ſurrogando alio in locum vacuum Iudæ traditoris, Barnabas hic, ſive Barſabas, atque Matthias, hujus Apoſtolicæ dignitatis candidati conſtituuntur. Actor. verò 11.ver. 24. brevi, ſed præclaro ornatur elogio; *Erat vir bonus, plenus ſpiritu ſancto & fide.* Honorificum igitur erat Marco, hunc tantum virum tam propinquâ cognatione attingere. *Vide etiam Act.4.v.36.*

Secundò, ornatur etiam Marcus à teſtimonio & mandato ipſius Pauli. Nam Apoſtolus (utì videtur) anteà mandaverat Coloſſenſibus, ut hunc Marcum honorificè exciperent, ſi quando ad eos veniret: quod expreſſiùs habetur in quibuſdam codicibus, ubi legitur δέξασθε, non δέξασθε· *accepiſtis mandatum, ut excipiatis*; ſic habetur apud Ambroſium: & Calvinus hanc lectionem præfert, ut quæ apertè indicet quale fuerat illud mandatum.

Sed quæri poteſt quæ fuit ratio aut neceſſitas hujus mandati. An Marcus literis commendatitiis eguit? Nunquid, ſi Paulus hoc in mandatis non dediſſet, repulſus fuiſſet à Coloſſenſibus, ſi quando ad eos prędicatum veniſſet? *Dub.*

Solut. Conſtat ex Actor. 15. 38. inter Paulum & Marcum aliquid ſimultatis interceſſiſſe, ex eo quòd in Pamphilia illum reliquerat Marcus, nec comes illi permanſerat in opere prædicandi. Hoc fortaſſe innotuerat Coloſſenſibus: pro deſertore itaque illum habituri fuiſſent, niſi Paulus poſtmodùm æquior factus, de illo recipiendo mandâſſet. Nam utcunque à Paulo abſceſſit, à munere tamen Evangelizandi non interim ceſſâſſe veriſimile eſt; ſed aliis in locis prædicâſſe.

Hinc collige

Coroll. 1. Clarorum virorum affines ob hanc ipſam cauſam honore afficiendos, ſi non ſint ipſi degeneres.

Coroll. 2. Probos & induſtrios Miniſtros eſſe ab iis, qui præſunt Eccleſiis, diligenter omnibus commendandos.

Coroll. 3. Si qua in re quid leviter erratum fuerit, id non debere perpetuò obeſſe peccanti, poſtquam ſe emendaverit.

Coroll. 4. Non oportere Miniſtros immortales ſimultates exercere; ſed ſi quandoque inter eos contigerit aliqua exacerbatio, quamprimùm fieri poteſt, omnem ejus memoriam ex animis delendam. Sic Paulus qui olim exacerbatus Marcum repulit, jam reconciliatus eundem commendat Coloſſenſibus, & ne ab illis repellatur diligentiſſimè curat.

VERS. 11. *Et Ieſus qui vocatur Iuſtus: qui ſunt ex circunciſione: hi ſoli adjutores in regno Dei, qui fuere mihi ſolatio.*

Verſus hic cohæret cum ſuperiore, in quo Coloſſenſes ſalutaverat nomine Ariſtarchi & Marci; tertio in loco addit hunc illuſtrem. Habemus hîc conſideranda, perſonam cujus nomine ſalutat Coloſſenſes, *Ieſum Iuſtum*; & laudes ejuſdem quas illi tribuit, non privatas, ſed communes illi cum Marco & Ariſtarcho.

Laudantur autem hi tres { A natione, quòd fuerint Iudæi. / Ab opere, eóq; duplici { prædicandi. / conſolandi.

Ieſus qui vocatur Iuſtus] Credibile eſt eundem fuiſſe, qui Corinthi Paulum hoſpitio excepit, cùm ab aliis Iudæis blaſphemiis exciperetur. Sic enim ſcribit Lucas, Act. 18. verſ. 5. 6. 7. *Paulo prædicante Ieſum Chriſtum, Iudæi qui Corinthi habitabant opponebant ſeſe ac blaſphemabant; ille autem excuſſis veſtibus, dixit, Sanguis veſter ſuper caput veſtrum; & introiit domum cujuſdam nomine Iuſti, colentis Deum, cujus domus erat confinis Synagogæ.*

Cognomentum hoc ab eo inditum videtur, quòd juſti & æqui ſemper fuerit obſervantiſſimus. Hoc idem cognomentum nonnullis aliis tributum legimus, ut Iacobo Alphæi, qui Iacobus Iuſtus vocabatur; de quo multa Euſebius, lib. 2. cap. 1. & 23. Barſabæ etiam hoc cognomentum adhæſit, Act. 1. 23. Ad hunc Ieſum Iuſtum quod attinet; neque (quod memini) in ſacris

Scrip-

Scripturis alibi mentio fit, nec quicquam occurrit apud Euſebium, niſi hic idem ille Juſtus ſit, quem numerat tertium Hieroſolymorum Epiſcopum, lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 29. Hæc de Perſona.

Qui ſunt ex circunciſione] Iam conjunctim laudat & hunc Iuſtum & duos illos ſuprà nominatos: laudantur autem à natione, nimirum quòd fuerint oriundi ex gente Iudæorum; quod ex adjuncto circunciſionis indicatur. Hoc autem eò magis ad laudem illorum facit, quòd cæteri plerunque Iudæi, tum Romę, tum aliis in locis, acerrimi erant inimici Apoſtolorum & religionis Chriſtianæ: imò (ut ſcribit Iuſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone) *Iudæi erant qui Ethnicos paſſim incendebant in Chriſtianos, ſparſis teterrimis de nobis & religione noſtra mendaciis.* Meritò igitur hîc laudantur, qui non modò exuerunt inſitam gentis Iudaicæ in Chriſtum malitiam; ſed ipſum Chriſtum induerunt, & Chriſtianam religionem unà cum Paulo reliquiſq; fidelibus promoverunt.

Non eſt tutum ſemper in religionis negotio ſequi partem majorem, aut patrias opiniones mordicus retinere. Nam qui erant ex circunciſione, majorem ob partem oppugnabant Chriſtum, & ſuas cęremonias ſuperſtitiosè propugnabant: hi tamen tres non verebantur deſciſcere ab erroribus gentis ſuæ. *Obſerv.*

Hi ſoli adjutores in regno Dei] Iam incipit eos laudare ab opere pulcherrimo, cui unà cum Apoſtolo diligenter incumbebant; promovendo ſcilicet Evangelio.

Evangelium autem *regnum Dei* appellat, quia per hoc homines introducuntur in regnum Dei; in regnum ſcilicet gratiæ hoc ſeculo, ut poſtmodum introducantur in regnum gloriæ in futuro. Non eſt inuſitatum in Scripturis, ut Evangelii propagatio, & Eccleſiæ Chriſtianæ extructio *regnum Dei* appelletur. Reſpicit autem hęc loquendi formula ad illas promiſſiones olim factas de ſpirituali regno Meſſiæ, qui ſceptro Verbi divinum & ſpirituale regnum erecturus erat & adminiſtraturus in cordibus fidelium. Vnde illud Matth. 4. 23. *Circumivit Galilæam Ieſus, prædicans Evangelium regni.* Et Marc. 4. 11. *Vobis datum eſt nôſſe myſterium regni Dei.* Et illud Ioannis, Matt. 3. 2. *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum.* In hoc igitur ſpirituali regno promovendo & adminiſtrando erant hi ſoli ex Iudæis Romæ commorantibus Pauli adjutores.

Corollaria.

Etſi quamplurimi paſſim ab officio ſuo reſiliant, tamen decet pium Miniſtrum, vel ſolum, in Evangelio propagando perſeverare. *Coroll.* 1.

Nihil cogitari poteſt magis honorificum hoc Evangelici Miniſtri officio. Nam ſi honorati habentur qui ſub Regibus terrenis *Coroll.* 2.

terrena regna adminiſtrant; quanto honore afficiendi ſunt, qui ſub Chriſto Rege ſpirituali hoc ſpirituale regnum gubernant?

Coroll. 3. Hoſtibus Evangelii nihil miſerius aut dementius: quia Dei ipſius regnum oppugnant, quod expugnari non poteſt; & proinde Satanæ regnum conantur ſtabilire, quod unà cum omnibus ejuſdem fautoribus evertetur.

Fuere mihi ſolatio] Παρηγορία, vel *hortari* ſignificat, vel *conſolari*; innuit igitur Apoſtolus hoſce tres viros in utroque, tum hortandi, tum conſolandi opere aſſiduos adjutores ſibi extitiſſe. Hortabantur illum ad crucem patienter tolerandam, ſolabantur inviſendo, condolendo, neceſſitatibus ejus miniſtrando: nihil denique prætermiſerunt quod facere potuit ad leniendam & mitigandam miſeram illam Pauli incarcerati conditionem.

Documenta.

Docum. 1. Sapientiſſimi & optimi viri ſub cruce poſiti, hortationibus egent & conſolationibus piorum. Hoc fatetur Regius Propheta, Pſalm. 69. & graviſſimè conqueritur omnes in hoc officio ſibi defuiſſe; *Expectavi qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: qui conſolaretur, & non inveni*; verſ. 20

Docum. 2. Nota inſignis eſt pii & verè fidelis, adeſſe afflictis, eósque ſermone, opere, adeóque omnis officii ſedulitate recreare & conſolari. Sic Paulus deſcribit verè Sanctos; Ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες· *gaudentes cum gaudentibus, flentes cum flentibus &c.* Roman. 12. verſ. 13. & 15.

Docum. 3. Nihil igitur Chriſtianæ charitatis in ſe habent, qui miſerias & ærumnas aliorum floccifaciunt, modò ipſi ocio & delicii s fruantur. Hujuſmodi fuere quos Amos pungit graviſſimâ increpatione, cap. 6. verſ. 4. & 6. *Dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris, & nihil movemini ſuper contritione Joſeph.*

Atque hactenus de ſalutationibus & laudationibus horum trium qui fuerunt ex circumciſione, id eſt, ex Judæis: ſequuntur tres alii ex Gentibus; Epaphras, Lucas, & Demas.

VERS. XII.

Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt, ſervus Chriſti, ſemper decertans pro vobis in precibus, ut ſtetis perfecti & repleti in omni voluntate Dei.

Salutat vos Epaphras] Perpendamus perſonam ipſam, & quæ huic perſonæ hoc in loco tribuuntur, quò fiat acceptior & commendatior Coloſſenſibus ſuis.

Fuit hic Epaphras Miniſter Coloſſenſium, & legatus hoc tempore ad Apoſtolum, ut res Eccleſiæ hujus ad eum referret, Miniſterio ſuo illum juvaret, atque ſententiam ejus de controverſi-

is, quibus agitabatur illa Eccleſia, perdiſceret. Sic enim ſolebant Eccleſiæ, Apoſtolos etiam longè remotos tanquam oracula adire. Hoc fine miſſum fuiſſe Epaphram veriſimile eſt. De laudibus Epaphræ dictum eſt ad verſum 7 Capitis primi: jam igitur ea ſolummodò attingemus, quæ hîc expreſsè afferuntur ab Apoſtolo in eum finem ut benevolentiam & exiſtimationem illi pararet majorem apud Coloſſenſes.

Tripliciter illis commendatur { A communi patria; *Ex vobis eſt:* / Ab eminenti officio; *Servus Chriſti:* / A ſincero in eos amore; *Semper decertans &c.*

Qui ex vobis eſt] hoc eſt, civis veſter, apud vos natus, educatus, vobis denique veſtríſque commodis deditus & devotus. 1

Maximè hoc facit ad amorem illi conciliandum: nam *omnis amor* (ut Schola loquitur) *fundatur in aliqua communicatione aut participatione ejuſdem rei*: qui itaque participes ſunt ejuſdem patriæ & civitatis, quaſi arctiore quodam amoris vinculo copulantur. Nam ut natale ſolum cunctis dulce eſſe ſolet; ſic ſanis & ſobriis etiam dulciora reddit omnia quæ in eo naſcuntur.

Corollaria.

Meritò culpandi ſunt, tanquam vani & ἄστοργοι, qui ſuos & omnia ſua domeſtica contemnunt, peregrinis interim rebus & perſonis ſupra æquum & bonum extollendis addicti. *Coroll.* 1.

Qui ejuſdem patriæ & civitatis participatione, aut conſimili aliquâ ratione nobis conjuncti ſunt, cæteris paribus, debent eſſe extraneis chariores. Vnde Apoſtolus, *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*; 1. Timot. 5. 8. *Coroll.* 2.

Servus Chriſti] Iam ornat illum à dignitate officii: per *ſervum* enim *Chriſti*, non deſignat Chriſtianum in genere; ſed eminentiori loco in hoc Chriſti ſervitio conſtitutum, in eximia ſcilicet & ſacra illa functione Miniſtri Evangelici. Nam quamvis omnes Chriſti ſervi ſumus; tamen κατ' ἐξοχὴν hæc appellatio paſſim tribuitur Miniſtris Verbi. Sic Paulus ad Rom. 1. 1. ſeipſum indigitat *ſervum Ieſu Chriſti*. Sic Iacobus; ſic cæteri Apoſtoli. 2 *Iacob.* 1. 1.

Documenta.

Hinc diſcat populus Chriſtianus, Miniſtros quà Miniſtros non eſſe ſpernendos; ſed ſub Chriſto Domino ſuo, aliorum Chriſtianorum præfectos agnoſcendos, juxta dictum Apoſtoli, *Rogamus vos fratres, ut agnoſcatis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino*; 1. Theſſ. 5. 12. Serviunt igitur Miniſtri Domino ſuo Chriſto; ſed in Chriſto præſunt aliis, aut ſaltem ex muneris dignitate præeſſe deberent. *Docum.* 1.

Diſcant etiam hinc Miniſtri quid ab illis requiratur potiſſimùm in functione hujus ſacri miniſterii; Non ut hominibus placeant: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*; Gal. *Docum.* 2.

1.10. Non ut ſuis utilitatibus aut honoribus promovendis invigilent: ſed ut Chriſti ſervos ſe præbeant. Chriſto autem is optimè inſervit, qui maximè laborat ut ad Chriſti cognitionem & obſequium quamplurimos perducat.

3 *Semper decertans pro vobis in precibus, ut ſtetis integri &c.]* Poſtremò igitur commendatum cupit Epaphram facere Coloſſenſibus ab egregio in eos amore; qui declaratur & probatur dupliciter: ab Effecto, in hoc verſu; à Teſtimonio, in 13.

Hîc autem tria occurrunt obſervanda: ipſum Effectum amoris, *Precatio*; Modus precationis, qui exprimitur, πάντοτε ἀγωνιζόμενος· Materia precationis, *Vt ſtetis integri & repleti &c.*

1 Ad primum quod attinet, nimirum effectum amoris; non poteſt verus amor erga aliquem vigere in corde, quin exerat ſeſe in aliquo opere. Inter omnes enim affectus, amor minimè ociosus eſſe ſolet: quod non minùs verum eſt in amore ſancto & caſto, quàm in lubrico illo & laſcivo, de quo Poeta;

Sed malè diſſimulo; quis enim celaverit ignem,
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?

Iam verò inter multas ſinceri amoris operationes, nulla utilior amato, nulla ſacerdoti convenientior hac precatione, quâ Dei tutelam advocat, & ſpiritualium hoſtium inſidias & vim propulſat à grege ſuo. Atque hanc ob cauſam, quamvis Apoſtolus multa alia effecta nominare potuiſſet, ex quibus amorem Epaphræ in Coloſſenſes probâſſet; tamen in hoc precationis opere potiſſimùm inſiſtere voluit.

Hinc obſervemus

Obſerv. 1. Præcipua Miniſtri officia, docere gregem ſuum, orare pro eo: nam *preces ſunt arma ſacerdotis*, ut olim Ambroſius. *Nos orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus*; Act. 6.4.

Obſerv. 2. Incumbit Miniſtro, non modò officium publicè orandi pro populo ſibi commiſſo; ſed privatim, ídque vel maximè quoties contigerit illum abeſſe à grege ſuo: quod hoc exemplo Epaphræ docemur. Hæc de ipſo Effecto, ſcilicet precatione; ſequitur de Modo.

2 *Semper decertans*, πάντοτε ἀγωνιζόμενος] Hiſce verbis declarat, qualis fuerit hæc precatio Epaphræ pro Coloſſenſibus; aſſidua nimirum, & etiam fervida. Aſſiduitatem vocabulum illud πάντοτε indicat: quaſi dixiſſet Paulus, loci diſtantiam non oblivionem induxiſſe Epaphræ gregis ſui; ſed illum jam Romæ degentem, non minùs memorem eſſe illorum in precibus ſuis quotidianis, quàm cùm præſens præſentes intueretur. Vehementiam verò & fervorem oſtendit verbum illud ἀγωνιζόμενος, quod innuit certamen, & quaſi luctam cum Deo ipſo. Nam ut Iacobus olim cum Deo luctans illum dimittere noluit, niſi impetratâ ab eo benedictione; ſic pius hic Miniſter quotidiè cum

Deo

Deo decertabat, atque illum vehementiorem in modum urgebat, ut Coloſſenſibus benediceret.

Pii Miniſtri eſt, non dicis aut conſuetudinis causâ, ſed ex intimis charitatis viſceribus orare Deum pro ſalute gregis ſui. De hiſce dictum vers. 2. *Obſerv.*

Vt ſtetis perfecti & repleti in omni voluntate Dei] Hæc materia eſt, vel ſumma precationis: atque hîc tria maxima bona illis exoptat; veram & perfectam cognitionem voluntatis divinæ; veram & perfectam obedientiam ejuſdem; & finalem perſeverantiam in utroque. Hoc enim vult, ἵνα στῆτε. Quod attinet ad duo priora; ſimul implicantur & involvuntur in illo voto, *ut ſitis perfecti & repleti omni voluntate Dei.* Non eſt enim perfectus aut repletus omni voluntate Dei, niſi qui & cognoſcit voluntatem Dei, & pro virili facere ſtudet. Eſt enim voluntas Dei, ut cognoſcamus ea quæ revelavit in ſalutem noſtram: eſt etiam voluntas Dei, ut faciamus ea quæ juſſit præſtare in obſequium ſuum. De ſcientia voluntatis divinæ ſic Apoſtolus ad Epheſ. 5. 17. *Ne eſtote imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Domini.* De obedientia ejuſdem, Matth. 7. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, ſed qui facit voluntatem Patris mei intrabit in regnum cœlorum.* Atque hæc duo magna bona ſunt. Tertium bonum quod precatur Coloſſenſibus, eſt perſeverantia in perfectione prædicta. Et rectè quidem: nam ille ſolus *qui perſeveraverit* in bono, *ſalvus erit*; Matth. 24. 13. *Pereunt præterita, ſi quæ cœperunt deſinunt eſſe perfecta*; Cyprian. de bono patientiæ.

Documenta.

Quibus optimè volumus, non illis aut divitias aut honores hujus ſeculi, ſed ſcientiam & obedientiam divinæ voluntatis à Deo precari debemus. *Docum.* 1.

Cavendum, ne vel nudâ & inerti ſcientiâ, vel cæcâ quadam obedientiâ contenti ſimus: neutra enim repletum & perfectum reddit in voluntate Dei. *Docum.* 2.

Perſeverantia in bono, eſt donum ſpeciale divinæ gratiæ: nam *ſi ab homine eſſet, à Deo petenda non eſſet*; Aug. de Cor. & Grat. *Docum.* 3.

Sed hîc dubium oritur de cognitione & impletione divinæ voluntatis: nam cùm precatur Epaphras ut Coloſſenſes perfecti ſtent in omni voluntate Dei, quæri poteſt an contingat Chriſtiano hujuſmodi perfectio in hac vita. *Dub.*

Reſpondetur, abſolutam perfectionem non inveniri in ullo viatore; tendendum tamen ſemper eò & aſpirandum, authore Chriſto qui docuit nos orare, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, ſic etiam in terra.* Quæ itaque in Sanctis reperitur, eſt imperfecta quædam perfectio, tum ſcientiæ, tum obedientiæ. Hæc autem in- *Solut.*

cludit agnitionem voluntatis divinę ſufficientem & neceſſariam pro ſtatu ſuo, propoſitum & ſtudium ejuſdem implendæ & perficiendæ, progreſſum aſſiduum in fide & pietate. Excludit igitur brutam ignorantiam, hypocriſin, contumaciam, craſſam negligentiam, reliquáq; vitia quæ divinę voluntati repugnant. De hac Auguſt. cont. duas Epiſt. Pelag. lib. 3. cap. 5. *Secundum iſtius vitæ modum eſt quædam perfectio, eique perfectioni hoc deputatur, ut ſe quiſque noverit nondum eſſe perfectum.*

VERS. XIII.

Hoc enim de eo teſtor, eum multo veſtrî ſtudio ardere, & eorum qui ſunt Laodiceæ, & eorum qui Hierapoli.

QVod ſuperiore verſiculo ex effectis demonſtravit, id jam teſtimonio inſuper ſuo confirmare conatur; nimirum Epaphram eſſe utilitatis & ſalutis eorum ſtudioſiſſimum. Quaſi diceret, Quod antè à me dictum fuit, Epaphram pro ſingulari ſuo amore ſemper decertare pro vobis in precibus; nollem putetis id me ex incertis ſolummodò conjecturis autumâſſe, ſed ex certiſſima ſcientia vobis indicâſſe.

Tria hîc notemus: teſtem ipſum; teſtimonium Epaphrę exhibitum; cauſam teſtificandi.

1 *Hoc enim de eo teſtor*] Teſtis, qui amorem & ſtudium Epaphrę erga Coloſſenſes teſtatur, locupletiſſimus eſt & omni exceptione major, nimirum ipſe Apoſtolus.

Hinc obſervemus

Obſerv. 1. Eſſe officium eorum qui præſunt Eccleſię, cùm occaſio tulerit, teſtimonio ſuo cohoneſtare & ornare eos omnes, quos vident probè & fideliter fungi miniſterio ſuo.

Obſerv. 2. Incumbere etiam Miniſtris, ut amorem & curam erga gregem ſuum opere & factis illuſtrem & evidentem reddant omnibus, quò mereantur teſtimonium tam honorificum.

Sed quodnam fuit hoc teſtimonium Pauli Epaphræ exhibitum?

2 Ὅτι ἔχει ζῆλον πολὺν &c.] Græcum hoc vocabulum ζῆλος deducitur παρὰ τὸ ζέειν, quod ſignificat fervere, vel ebullire quemadmodum aqua calefacta ſolet. Innuere igitur voluit Apoſtolus, non languidum & vulgarem, ſed fervidum & vehementem fuiſſe hunc amorem in Epaphra, tum erga Coloſſenſes ſuos, tum etiam erga Laodicenſes, & Hierapolitanos vicinos eorum.

Ad haſce urbes quod attinet; Laodiceam *celeberrimam urbem* appellat Plinius, & *Lyco flumini impoſitam* ſcribit, *Dioſpolin olim vocatam.* *lib. 5. cap. 29* Huic vicina erat Hierapolis.

Proximo poſt Pauli mortem anno, ſcribunt Hiſtorici, tum Coloſſas tum Laodiceam fuiſſe terræ motu ſubverſas. Conſtat

autem

autem multis abhinc ſeculis totam illam regionem Aſiæ minoris, in qua olim hæ Eccleſiæ floruerunt, fuiſſe Mahometicâ ſuperſtitione, & Turcicâ tyrannide occupatas & everſas.

Corollaria.

Debet in omnibus Chriſtianis, ſed præcipuè in Miniſtris, vigere fervor charitatis, & zelus pro ſalute fratrum ſuorum; cujus præclarum exemplum ſe exhibuit ipſe Paulus, Rom. 9. 3. Frigiditas enim charitatis, oſtendit abundantiam iniquitatis. *Coroll.* 1. *Matt.* 24. 12.

Charitas hæc, & ſtudium hoc promovendæ ſalutis aliorum, non modò protendit ſe ad particularem illam Eccleſiam in qua vivimus; ſed ad alias omnes Eccleſias Chriſti, quibus unitate fidei & Spiritus conjuncti ſumus. Quod igitur Paulus dixit pro Apoſtolica authoritate, id unuſquiſque dicere poteſt pro Chriſtiana charitate, *Vrget me quotidie ſolicitudo de omnibus Eccleſiis*; 2. Cor. 11. 28. Oportet enim pro omnibus, orando ſaltem, ſtudium noſtrum & amorem teſtificari. *Coroll.* 2.

Etſi Eccleſia Dei perpetua ſit, tamen Eccleſiæ domicilium in particularibus locis aut regionibus, non eſt certum, fixum, & perpetuum. Id indè perſpicitur, quòd celeberrimæ hæ Eccleſiæ hoc in loco nominatæ, jampridem perierunt. *Coroll.* 3.

Horum itaque exemplo cavendum, ne propter contemptum Evangelii, vel teporem noſtrum, idem nobis accidat quod hiſce Eccleſiis Aſiaticis Deus olim interminatus, jam feciſſe conſpicitur. Sic enim alloquitur Eccleſiam Epheſinam Apoc. 2. ver. 4. 5. *Amiſiſti primam tuam charitatem: niſi reſipueris, movebo candelabrum tuum è loco ſuo.* Laodicenſem etiam ad eundem modum perterret, cap. 3. verſ. 16. *Quoniam tepidus es, futurum eſt ut te evomam ex ore meo.* *Coroll.* 4.

Sed accedamus ad illud quod ultimo loco explicandum propoſuimus, cur ſcilicet Paulus tam diligenter curat ut Coloſſenſes perſpectum haberent amorem Epaphræ: neque enim credibile eſt, prudentiſſimum Apoſtolum rem parvi momenti tam religiosè teſtimonio ſuo confirmare voluiſſe. 3

Factum eſt itaque hoc, 1. ut conciliaret Epaphræ quàm maximam benevolentiam, & præclaram exiſtimationem apud ſuos. Inſitum enim eſt hominibus, eos amare & magnifacere, quos præ aliis ſui ſtudioſos animadvertunt. Oportet autem populum hoc modo affectum eſſe in fidos Paſtores. *Qui bene præſunt, duplici honore digni habeantur &c.* 1. Tim. 5. 17.

2. Hoc tam ſeriò egit Paulus, ut conſuleret utilitatibus ipſarum Eccleſiarum. Nam quò in majore gratia & veneratione ſunt doctores, eò major utilitas redire ſolet ad auditores: doctrinam enim ejus lubentiùs attendunt, de cujus ſtudio & amore erga ſe nihil dubitant.

3. Dum ſtudium Epaphræ narrat pro ſalute harum Eccleſi-

arum

arum, eò ſpectavit, ut ſingulos in iiſdem redderet de ſua ſalute magis ſolicitos. Pudor enim haud ſinet eum ociosè ſedere, qui videt alium in re ſua tam enixè laborare. Haſce igitur ob cauſas Epaphræ ſtudium Eccleſiis hiſce notum fecit Apoſtolus; atque ob eaſdem oportet omnes Miniſtros curare, ut ſuum etiam ſtudium de illorum ſalute procuranda populo innoteſcat.

VERS. XIIII.

Salutat vos Lucas medicus ille dilectus, & Demas.

AD hoſce duos quod attinet; qui priore loco nominatur (ſi antiquis Patribus fidem habeamus) eſt celeberrimus ille Evangeliſta, *cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias; quique à fratribus delectus fuit, ut eſſet ſocius peregrinationis Pauli*; 2. Cor. 8. 18.

Lucam hunc fuiſſe medicum profeſſione, nativitate Antiochenum, cælibem vixiſſe 84 annos, ac tandem Epheſi ſepultum, & ſub Conſtantio Conſtantinopolin tranſlatum, colligitur ex Dorothei Synopſi, & Hieronymi Catalogo.

Apoſtolus non alio elogio illum ornat hoc in loco, quàm quòd vocat *medicum dilectum*. Dum ſibi *dilectum* agnoſcit, perhibet illi teſtimonium virtutis & pietatis: non ſolet enim Apoſtolus ſpeciali & familiari amore complecti, niſi ob fidem & probitatem claros & illuſtres. *Medicus* appellatur ab arte, quam olim exercuit, ſicut Matthæus Apoſtolus etiam poſt converſionem dicitur *Publicanus*, Matth. 10. 3. Nam *de medico corporum, factus jam erat medicus animarum; cujus libri quoties leguntur in Eccleſiis, toties divina ejus pharmaca hominibus offeruntur*; ut ſcitè Hieronymus in Epiſt. ad Philem. Nonnulli in dubium vocârunt, utrùm Lucas, qui hoc in loco *medicus* vocatur, idem fuerit cum Luca Evangeliſta: & videntur potiùs in contrariam ſententiam propendere; hoc uno argumento nixi, quòd Apoſtolus illum nullo honorifico titulo ornaverit. Sed tenuior eſt hæc conjectura, quàm ut poſſit nos à communi antiquorum Patrum, Hieronymi, Ambroſii, Theodoreti, ac reliquorum ferè omnium ſententia depellere. Neque enim neceſſe eſt, ut quoties mentio fiat clarorum virorum, toties honorifico aliquo titulo inſigniantur. Huc adde, quòd conſtat inter Veteres hunc Evangeliſtam fuiſſe olim medicum; nec poteſt in hiſtoria Eccleſiaſtica alius inveniri ejuſdem nominis, qui fuerit adjutor Pauli, & peregrinationis ſocius. Hæc de Luca.

Et Demas] Demas hic in Epiſtola ad Philemonem, inter ſocios & coadjutores Pauli numeratur, ver. 24. *Salutant te Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas, adjutores mei.* Sed idem 2. ad

Tim.

Tim.4.10. accuſatur quòd ***dereliquerit Paulum amplexus præſens ſeculum, & profectus fuerit Theſſalonicam.*** Dorotheus in Synopſi cauſam oſtendit; ſcilicet, ut fieret ibi ſacerdos idololatricus. Senſerat fortaſſe Evangelicos Miniſtros, ad inſtar militum, labore & inopiâ ſimul premi; contulit igitur ſe ad capeſſendum ſacerdotium inter Ethnicos idololatras, ubi ſpes major tranquillitatis & utilitatis illi affulſerat. Nullo titulo hunc ornavit Apoſtolus: itaque opus non eſt ut plura de eo dicamus; eliciamus ſolummodo haſce obſervationes,

Multos ab initio cupidè amplecti Evangelium, quos tamen poſtmodum, aut metus perſecutionis, aut amor ſeculi abripit. *Obſerv.* 1.

In horum cordibus veram fidem & pietatem nunquam fuiſſe radicatam: juxta dictum Ioan. Epiſt. 1.cap. 2.verſ.19. ***Ex nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent utique nobiſcum &c.*** Sic Cyprianus ſcribit, Epiſt. lib. 1. epiſt.3. ***Eccleſiam quæ in Chriſtum credit, nunquam ab eo diſcedere, & eos eſſe Eccleſiam, qui in domo Dei permanent.*** *Obſerv.* 2.

Hinc colligamus quales ſunt, qui, abdicato ſuo Miniſterio, transfugiunt à nobis ad Papiſtas, ut Baalitici ſacerdotes fiant: tales nimirum qualis fuit hic Demas, quos aut invidia, aut amor ſeculi, id eſt, honoris ac divitiarum cupiditas dementavit. *Obſerv.* 3.

VERS. XV. &c.

Salutate fratres qui ſunt Laodiceæ, & Nympham, & Eccleſiam quæ in domo illius eſt. &c.

QVia Paulus voluit hanc Epiſtolam tranſmitti ad Laodicenſes, & publicè legi in illorum Eccleſia, prudenter putavit illos quoque eſſe ſalutandos, ne animo, aut parum memori, aut parum benevolo in hoſce fuiſſe videatur. Conſultum enim & utile eſt, quibus poſſumus indiciis amorem noſtrum & animum benevolum in eos declarare, quos hortationibus aut conſiliis noſtris inſtruere & dirigere conamur; quia omnes faciliùs ſolent illis obedire, à quibus credunt ſe amari.

Salutate fratres qui ſunt Laodiceæ] Salutatio hæc generalis & promiſcua eſt, ad omnes ſpectans qui in illa urbe Chriſtianum nomen & profeſſionem induerunt.

Hinc obſervemus

Oportere inter omnes Chriſtianos fraternum planè amorem & affectum vigere. Dixerunt olim Philoſophi, ***ſapientem ſapienti, etiam ignoto, amicum eſſe:*** at nos dicamus Chriſtianum Chriſtiano, etiam ignoto, fratrem eſſe; imò quovis amico vel fratre conjunctiorem. Nam omnium fidelium ***cor unum***, & ***anima una*** eſſe debet. *Obſerv.* 1. *Act.* 4.32.

Hunc

Obſerv. 2. Hunc fraternum amorem non verbis tantummodò declarandum, ſed auxiliis, quoties fratres, etiam qui in Eccleſiis remotis vivunt, indigent ope noſtrâ. Nam verbo tanquam fratrem ſalutare, &, cùm datur occaſio, fratris ſalutem non promovere, deriſionis potiùs quàm dilectionis opus eſt.

Et Nympham] Iam adjungit ſpecialem ſalutationem, ob ſpecialem & eximiam hujus viri pietatem, ut ex verbis ſequentibus colligi poteſt. Æquum enim eſt extraordinarium illis deferre honorem, quorum egregia virtus præ cæteris eminet & effulget in Eccleſia.

In Commentarios, qui feruntur ſub nomine Ambroſii, ridiculus hic error irrepſit: nam hunc pium & clarum virum in fœminam transformârunt. Sic enim ibi habetur; *Nympham aüis chariorem exiſtimat, cujus etiam & domum ſalutat. Tam enim devota fuiſſe dicitur, ut omnis domus ejus ſigno titulata eſſet crucis.* Sed quia in Græco habetur τὴν κατ' οἶκον αὐτῆς, non αὐτοῦ, haud adducor ut credam Ambroſium, vel quemvis alium Græcè doctum potuiſſe tam pueriliter errare. Meo itaque judicio, poſteriora illa verba ſunt indocti & ocioſi alicujus Monachi aſſumentum, qui pro conſuetudine ſui ſeculi, ſtatim atque Eccleſiæ nomen audivit, de crucibus appictis ſomniavit. Huic conjecturæ fidem facit tum verborum manifeſta barbaries, tum rei ipſius nulla prorſus veriſimilitudo. Nam primo illo & aureo Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculo, non in parietibus, ſed in pectoribus depicta crux Chriſti devotionem arguebat: neque, ſurentibus tum Ethnicis, ac Chriſtianis noctu plerunque ſacros ſuos conventus agitantibus, probabile eſt ſapientem ullum voluiſſe hoc ſigno crucis per totam domum appicto, ſemetipſum, aliósque qui in eam domum convenire ſolebant, apertè prodere. Sed hæc fortaſſe nimis multa de re non magni momenti: volui tantummodò Ambroſium ab iſtis falſarii neſcio cujus ineptiis vindicare. Pergamus.

Et Eccleſiam quæ in domo illius eſt] Dupliciter exponi poſſunt hæc verba: deſignant enim vel cœtum Chriſtianorum, qui ad ſacra officia peragenda, hoc eſt, ad precationem, ad Verbi prædicationem, ad Sacramenti celebrationem, in domum hujus eximii viri convenire ſolebant: vel privatam ejus denotant familiam, quæ ob religioſam ſanctitatem illuſtre hoc *Eccleſiæ* nomen promeruit. *Rom. 16. 5.* Sic ſenſit Theodoretus, qui in hunc locum ſic ſcribit; *Familiam ſuam privatam fecit Eccleſiam, eam pietate & religione exornans.* Neque video quid incommodi ſequatur, ſi utrumq; conjungamus, & dicamus, hujus domum *Eccleſiam* vocari ab Apoſtolo, tum quòd congregatio fidelium domi ejus convenire ſolita ſit, tum quòd ſuos omnes domeſticos piè & Chriſtianè inſtituebat, atque religioſis exercitiis quotidiè erudiebat.

Docu-

Documenta.

Quævis collectio fidelium, etiamſi ob paucitatem ſuam intra privatæ domus parietes includi poſſint, etiamſi ob furorem hoſtium nocturnos conventus agant, eſt vera Eccleſia, & Catholicæ Eccleſiæ vivum membrum. *Docum.* 1.

Errant igitur Pontificii, qui nullam Eccleſiam agnoſcunt niſi regnantem, & in oculis mundi perpetuò volitantem. Quandoq; enim perſecutionis rabies non patitur Eccleſiam in publico omnium conſpectu verſari; ſed cogit eam in privata latibula quaſi correpere. *Fugit in ſolitudinem*; Apocal.12.6. Sic olim, Arianis dominantibus, Athanaſius reliquique Orthodoxi latebras quærere coacti ſunt. *Docum.* 2.

Vnicuique patriſamilias incumbit, ut ſuos domeſticos in religione vera ità inſtituat & exerceat, ut domus ejus *Eccleſiæ* nomen meritò obtineat. Pius Patriarcha Abraham hoc præſtitit; de quo Deus ipſe teſtatur, Gen. 18.19. *Scio quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut coſtodiant viam Domini &c.* Sic Ioſ.24.15. *Ego & domus mea colemus Iehovam.* *Docum.* 3.

Sunt igitur Chriſtianorum nomine indigni, qui (quod ad religionem attinet) nullam omnino curam ſuſcipiunt domeſticorum ſuorum; ſed domos ſuas luxu & ebrietate ità inquinari patiuntur, ut popinas veriùs dixeris quàm Eccleſias. *Docum.* 4.

Vers. XVI.

Et cùm perlecta fuerit hæc Epiſtola apud vos, facite etiam ut in Laodicenſium Eccleſia recitetur; & eam quæ ſcripta eſt Laodiceâ, ut vos quoque legatis.

TRiplex mandatum injungit Coloſſenſibus in hoc verſiculo. Vnum de publicanda hac Epiſtola in Eccleſia Coloſſenſium; *Cùm lecta fuerit &c.*

Alterum de tranſmittenda eadem ad vicinos Laodicenſes; *In Laodicenſium Eccleſia recitetur.*

Tertium de alia quadam epiſtola legenda, quam ipſe è Laodicea acceperat; *Eam quæ ſcripta eſt Laodiceâ &c.*

Cùm perlecta fuerit apud vos hæc Epiſtola] Ad primum quod attinet; voluit Apoſtolus hanc ſuam Epiſtolam in ſolenni conventu totius Eccleſiæ publicari & legi, ut omnibus innoteſceret. Vnde eruimus duo Corollaria 1

Scripturas ſacras non eo fine fuiſſe exaratas, ut paucorum Clericorum peculium eſſent; ſed ut toti populo Chriſtiano paterent, & ab omnibus cognoſcerentur. Hinc in primitiva Eccleſia viguiſſe ordinariam lectionem Scripturarum, ídque in lingua à populo intellecta, ex Iuſtino Martyre in Apolog.2. Tertulliano in *Coroll.* 1. 1.*Theſ.*5.27

Apologet. aliiſque Patribus clarum eſt. Quam conſuetudinem in Eccleſiam Pontificiam revocatam exoptat Beatus Rhenanus, in Annotat. ad Tertull. de Coron. Militis.

Coroll. 2. Errare eos qui ipſam lectionem Scripturarum negant facere ad ædificationem populi Chriſtiani in fide & charitate, niſi accedat eodem tempore enarratio & explicatio earundem per Prædicatorem. Abſit ut prædicationis utilitatem aut neceſſitatem minuamus; cum Pſalmiſta tamen de verbo Dei ſtudioſè & devotè lecto aſſerimus, *Lex Domini immaculata, convertens animas; Teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans parvulis*; Pſal. 19. 7.

2 *Facite ut etiam in Laodicenſium Eccleſiâ recitetur*] Hoc eſt ſecundum Apoſtoli mandatum, quo jubentur Coloſſenſes hanc Epiſtolam Laodicenſibus communicare.

Ratio mandati duplex afferri poteſt: una quòd hujus Epiſtolæ doctrina generalis eſt, atque idcirco non in unius Eccleſiæ privatum uſum reſervanda fuit; ſed toti Eccleſiæ Dei communicanda: primò autem vicinis ipſorum Coloſſenſium, qui, lecto autographo, exemplaria deſcribere potuerunt, & per totam Dei Eccleſiam diffundere.

Altera ratio, quia (ut veriſimile eſt) hæc Eccleſia propter vicinitatem, à ſeductoribus illis Iudaicis, & Philoſophicis, eodem modo oppugnata fuit quo Coloſſenſis; ne itaque novâ Epiſtolâ opus eſſet, voluit Apoſtolus hanc utriſque communem fieri.

Hinc obſervate

Obſerv. Debere eſſe inter omnes Dei Eccleſias, ſed præcipuè inter vicinas, ſpiritualium bonorum communicationem: ut ſi quid habeat una Eccleſia, quod facere poſſit ad ædificationem alterius, ne gravetur impertire.

3 *Et eam quæ ſcripta eſt Laodiceâ, ut vos quoque legatis*] Habemus hiſce in verbis ultimam particulam mandati Apoſtolici; quæ præcipit ut epiſtola quædam è Laodicea miſſa, legatur in Eccleſia Coloſſenſium. Probabile eſt Laodicenſes ad Paulum ſcripſiſſe de ſtatu rerum ſuarum, atque eam epiſtolam aliquid in ſe habuiſſe, quod erat perutile cognitu Coloſſenſibus: hinc jubet Apoſtolus ut ab illis legatur.

Sed de hac epiſtola diverſi diverſa ſenſerunt. Theophylactus intelligi vult primam Epiſtolam ad Timotheum, quæ fertur ſcripta ex Laodicea. Marcion Hæreticus Epiſtolam ad Epheſios ſubindicari putat; cujus titulum ſatis pro imperio auſus eſt interpolare, & eam præſcribere *ad Laodicenos*. Vide Tertul. adverſ. Marcion. lib. 5.

Pontificii quidam (inter quos Stapletonus) putant Epiſtolam quandam ab Apoſtolo ſcriptam ad Laodicenſes, quam tamen Eccleſia pro ſua authoritate in Canonem admittere noluit; atque hoc argumento probare conatur Canonicam Scripturarum au-

thorita-

thoritatem niti judicio Eccleſiæ ; quæ ipſorum Apoſtolorum Scripta potuit ex numero ſacrorum librorum excludere.

Huic errori occaſionem dederunt, ambiguitas verſionis Latinæ, quæ ità habet, *Eam quæ Laodicenſium eſt vos legatis*; & audax improbitas cujuſdam impoſtoris, qui epiſtolam quandam adulterinam emiſit titulo *Pauli ad Laodicenſes*. Sed reſpondeo neminem unquam habuiſſe illam epiſtolam pro germana Pauli Epiſtola, præter Stapletonum & ejus conſimiles, qui undecunq; corradere ſolent argumenta, ad Eccleſiæ authoritatem ſupra Scripturas extollendam.

Oecumenius in hunc locum; *Non dixit* πρὸς λαοδικεῖς, ἀλλὰ τὴν ἐκ λαοδικείας quod ante illum obſervaverat etiam Theodoretus. Quod attinet ad illam quam Stapletonus (hoc loco fretus) haberi cupit pro Pauli genuina Epiſtola; miror hominis impudentem inſcitiam, cùm ea jampridem fuerit ab omnibus Patribus (qui ejus mentionem fecerunt) rejecta. Theodoretus in hunc locum, *fictam* & *adulterinam* appellat. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, ubi omnes Pauli Epiſtolas recenſet, tandem ſubjungit hæc verba, *Legunt quidam & ad Laodicenſes, ſed ab omnibus exploditur*. Concilium denique Nicænum 2^m^ Actione 6. *Inter Epiſtolas* (inquit) *divini Apoſtoli quædam fertur ad Laodicenſes, quam Patres noſtri tanquam alienam reprobaverunt*. Eſt itaque & Græco contextui, & veritati conſona illa ſententia quam ab initio propoſuimus; deſignari hîc epiſtolam à Laodicenſibus ad Paulum miſſam, non è contrà. Deteſtanda autem Stapletoni opinio, qui ipſius Pauli Epiſtolam eſſe ſtatuit, quam omnes Patres ut adulterinam & inſulſam repudiârunt: nec ſanior concluſio, quam indè deducere voluit; poſſe nimirum Eccleſiam, germanam & veram Apoſtoli Pauli Epiſtolam pro ſua authoritate è Canone excludere. Atque hæc de triplici mandato Apoſtoli.

In duobus illis qui reſtant verſiculis, jubet eos ut Archippum moneant de implendo Miniſterio, & ſalutationem ſuam (interjectâ mentione vinculorum ſuorum) propriâ manu adſcribit.

Vers. XVII.

Et dicite Archippo, Vide miniſterium quod accepiſti in Domino, ut illud impleas.

NOvum mandatum addit de monendo Archippo, ut in functione Miniſterii ſui ſe vigilantem & diligentem præbeat.

Dicite Archippo] Quidam putant hunc Archippum fuiſſe ſolummodo Diaconum in Eccleſia Coloſſenſi; indè fortaſſe hanc conjecturam facientes, quòd hoc in loco jubeatur τὴν διακονίαν

ὦ παρέλαβε πληρῦν. Sed hoc infirmum eſt; nam vocabula, διάκονος & διακονία, capiuntur ſæpenumerò pro quolibet Miniſterio Evangelico, ità ut ipſum Apoſtolatus officium διακονία appelletur: Τὴν διακονίαν μου δοξάζω, Rom. 11. 13. Καλὸς ἔσῃ διάκονος Ἰησῦ Χριστῦ, 1. Tim. 4. 6. Οὗ ἐγενόμην διάκονος, Epheſ. 3. 7. Eſt itaque illud veriſimilius quod Hieronymus ſcribit in Epiſtolam ad Philem. nimirum, fuiſſe hunc Archippum, aut *Epiſcopum*, aut *Doctorem* ſaltem in Eccleſia Coloſſenſi. Iam verò abſente Epaphrâ (qui ejus Summyſta erat in hoc Evangelico munere) fuit illi eò diligentiùs laborandum, ut utriuſque vicem ſuppleret. At is (ut veriſimile eſt) è contrà cœpit in ſuo officio langueſcere, & proinde monitore indigere. Hinc Apoſtolus, *Dicite Archippo &c.*

Hinc obſervemus

Obſerv. 1. Etiam bonos Miniſtros quandoque obtorpeſcere in officio ſuo, & calcaribus indigere.

Obſerv. 2. Si privata admonitio non ſufficiat, per totam Eccleſiam, vel per publicam perſonam totius Eccleſiæ nomine, eſſe corripiendos.

Vide miniſterium quod accepiſti in Domino ut illud impleas] Vult Apoſtolus Archippum moneri, ut tria hæc diligenter perpendat;

1. Quid acceperit; διακονίαν] id eſt Evangelicum Miniſterium, quo nihil ſublimius, nihil utilius; nihil itaque majore fide & diligentia tractandum. Sic ſenſit totus Apoſtolorum chorus, Act. 6. 4. ἡμεῖς τῇ προσευχῇ, καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου προσκαρτερήσομεν.

2. A Quo acceperit hoc Miniſterium; Ἐν Κυρίῳ] id eſt διὰ Κυρίου, ut Græca Scholia exponunt. A Chriſti igitur authoritate, qui eum ad hoc munus vocavit, excitari vult hunc Archippum ad illud diligenter & fideliter obeundum. Nam ſi Chriſtus ipſe hoc munus Miniſtris imponat, proculdubiò & rationem muneris adminiſtrati ab iiſdem repetet & repoſcet. *Væ mihi* (inquit Apoſtolus) *ſi non Evangelizem. Si volens hoc faciam, mercedem habeo; ſin invitus, diſpenſatio credita eſt mihi*; 1. Cor 9. 16. 17.

3. Quem in finem acceperit hoc Miniſterium; *Vt illud impleret.*] Hoc itaque ſemper curare oportet Miniſtrum, non tam ut aſſequatur honorem, quàm ut exequatur laborem Miniſterii; non tam ut teneat honorificum illud munus, ſed ut impleat. Sic Paulus Timotheum ſuum etiam monuit, 2. Tim. 4. 5. *Opus fac Evangeliſtæ, Miniſterium tuum imple.* Sed quid eſt *implere Miniſterium?* Omnia ſcilicet ea facere quæ incumbunt Miniſtro, & quæ conducunt ad hominum ſalutem, & regnum Chriſti promovendum. Hujus generis ſunt ea quæ recenſentur ab Apoſtolo in eodem Capite, *Verbum prædicare, inſtare opportunè, importunè; arguere, objurgare, exhortari*, & conſimilia. Hæc ea ſunt de quibus monendus fuit Archippus.

Neceſſa-

Necessarium est Ministro qui rectè fungi cupit officio suo, sæpe & seriò perpendere, quale Ministerium acceperit, à quo impositum & commissum sibi fuerit, quem denique in finem Christus illud sibi concrediderit. *Observ.*

VERS. XVIII.

Salutatio meâ manu Pauli (Memores estote vinculorum meorum) Gratia sit vobiscum. AMEN.

IN hoc ultimo hujus Epistolæ versiculo Apostolus tria facit.

1. Ostendit se salutationem suam solennem propriâ manu adscripturum.

2. Interponit mentionem vinculorum suorum, quam per parenthesin inserit.

3. Apponit salutationem illam ἰδιόχειρον quam prædixerat.

Salutatio meâ manu Pauli] hoc est, Vt intelligatis hanc Epistolam utcunque ab amanuensi meo scriptam, esse tamen germanam, & à me dictatam, appono ad extremum salutationem meam usitatam propriâ manu scriptam, quam vos optimè nôstis. Prudenter hoc ab Apostolo factitatum est in Epistolis suis, ne quis ejus nomine adulterinam quandoque epistolam Ecclesiæ obtruderet; quod ipse indicavit, 2.Thes.3.17. ubi dicit hanc suâ manu adscriptam salutationem esse σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ· signum scilicet, quo supposititias epistolas à veris & genuinis possent dignoscere. Scholia Græca non videntur rectè explicâsse quid Paulus voluerit per *hanc salutationem, quod signum est in omni sua Epistola.* Dicunt enim illum propriâ manu subscripsisse, τὸ ἀσπάζομαι ὑμᾶς, ἢ τὸ ἔρρωσθε, ἤ τι τοιοῦτον, *Saluto vos, valete, aut tale quid.* Sed manifestum est Apostolum vocare salutationem, illam gratiæ apprecationem quam eodem in loco subjungit; *Ità scribo* (inquit) *Gratia Domini nostri &c.* Atque sic etiam hoc in loco per *salutationem* intelligit ultima illa verba, *Gratia sit vobiscum*, ut rectè Theodoret. Chrysost. Ambros. annotârunt.

Sed priusquam adscribat illam salutationem, quasi per parenthesin, ex inopinato interponit mentionem vinculorum suorum: ***Memores*** (inquit) ***estote vinculorum meorum***] Hoc fortasse eo consilio in finem Epistolæ distulit, quò altiùs in animos eorum insideret. Vult autem illos vincula sua in animo habere quatuor ob causas;

1. Vt hinc exemplum caperent patientiæ & fortitudinis Christianæ, si ob Evangelii professionem contingeret eos itidem vexari & affligi. Quis enim detrectet pati pro Evangelio, cùm in animum revocaverit, celeberrimum hunc Apostolum ob ejus professionem in vinculis magnam ætatis suæ partem contrivisse?

2. Vt hinc occaſionem caperent orandi pro tanto viro, tantis miſeriis & ærumnis oppreſſo: nihil enim acerbius afflictis, quàm ſi ſuſpicentur omnes omnem ſui curam abjeciſſe; nihil è contrà optabilius, quàm ſi intelligant alios memores ſaltem eſſe malorum ſuorum, & liberationem ex animo illis optare.

3. Vt hinc conjecturam facerent, quanti æſtimandum ſit Evangelium; cujus causâ, nec ignominiam, nec carcerem, nec mortem ipſam ſubire detrectat Apoſtolus. Ingens proculdubiò theſaurus, ob quem retinendum cætera omnia tam alacri & lubenti animo abjiciuntur.

4. Vt hinc in illis cura reviviſcat ſolandi & juvandi Apoſtolum omnibus illis Chriſtianæ charitatis officiis, quibus erga afflictos fratres exhibendis ex mandato Chriſti tenemur.

Atque hæ cauſæ ſunt propter quas ſemper oportet nos memores eſſe illorum qui perſecutionem patiuntur juſtitiæ causâ. Iam accedamus ad ſalutationem.

Gratia ſit vobiſcum] Hęc eſt illa ſalutatio propriâ Apoſtoli manu ſemper Epiſtolis ſuis adſcripta, quoad ſenſum, licèt non ſemper totidem verbis. Neq; mirum ſi fortiſſimus hic gratiæ divinæ buccinator, voluerit hanc ſalutiferæ gratiæ apprecationem teſſeram eſſe Epiſtolarum ſuarum, unde germanæ ab adulterinis dignoſcantur. Vt enim oſtenderet ſummam ſalutis noſtræ pendere ex ſola Dei gratia, eodem hoc voto ſolet tum exordiri Epiſtolas ſuas, tum terminare, *quaſi muro gratiæ divinæ circumquaque communiens fideles*, ut loquitur Chryſoſtomus. Per *gratiam* autem intelligit paternum Dei favorem nos acceptantis in Chriſto Mediatore, & omnia bona ſpiritualia quę ab hoc Dei favore ſolent dimanare. Vnico igitur hoc *gratiæ* vocabulo continetur ingens ille acervus beneficiorum, quæ fidelibus promittuntur & exhibentur in Evangelio.

Vocula illa ultima *Amen*, deducitur, ut notum eſt, ab Hebraico vocabulo [*AMAN*] quod in Hiphil ſignificat *credere*; in Niphal ſignificat *firmum, ſtabilem, fidelem eſſe*. Eſt itaq; confirmantis & certificantis particula; & *cùm precationi apponitur, eſt ejus quaſi ſignaculum*, ut loquitur Hieronymus. Hoc itaque verbulo oſtendit Apoſtolus certam cordis ſui perſuaſionem, quòd Deus hanc ejus precationem exauditurus ſit, & gratiam ſuam ubertim illis collaturus. Sic oportet nos certâ fide in Deum recumbere, quoties ab eo aliquid petimus, præſertim cùm gratiæ ſalutiferæ dona obtinere cupimus; quæ nobis fideliter petentibus à Deo Patre propter Filium ſuum, per Spiritum ſanctum copioſè & benignè infundentur.

FINIS.

INDEX RERVM.

Abelis caput Christus. 112
Abrahæ sinus fuit locus cœlestis & beatus. 279
Abstinentia, vide Jejunium. vide Ciborum discrimen. Abstinentia Paulæ. 323. Abstinentia sit moderata. 324. 325
Ἀναθαγόλα quid significet. 356
Acceptio personarum non est apud Deum. 385. 464. nec sit apud homines. ibid.
In adiaphoris obediendum superiori. 439
Admonere, officium Ministri. quid sit. 178. admonendi omnes, pauperes & magnates. 180
Adoptio quid. 461
Adveniat regnum tuum, signanter dictum. 47
Adventus Christi triplex. 342. Adventus ad judicium citò erit. 344. & subitò. 345
Adverbiorum magna vis apud Deum. 485
Adulterium quomodo differat à fornicatione & stupro. 352
Æquivocatio est mendacium. 379. 380
Æternitas duplex. 287. Æternitas mundi improbatur. 102
Afflictiones hilari animo Christianis subeundæ. 158. Afflictiones nostræ sunt afflictiones Christi. 151. honorificum pati pro Christo. 152. maximum solatium. ibid. Afflictiones nostræ non sunt aliis satisfactoriæ, sed ædificatoriæ. 153. 156. quibus de causis inferantur Sanctis. 159. gloria futura solatium contra afflictiones piorum. 345. Afflictorum memores esse oportet quatuor ob causas. 525. 526. Afflictiones Pauli. 184. 192. 193.
Amare quid sit. 58
Ambulare quid significet in Scripturis. 64. 65. 218. ambulare in peccatis quid. 366. differt à vivere in peccatis. ibid. item ab incidere in peccata. 368
Ambrosii locus à falsariis vindicatur. 520
Amen, unde derivetur, & quid significet. 526
Amici qui. 137
Amor, vide Charitas. Amorem & curam duo alliciunt. 56. Amor in quo fundetur. 513. Amor multiplex, & unde oriatur quisque. 57. Amor Dei in nos est gratuitus. 15. Amor Dei prævenit nos. 47. est causa prima reconciliationis. 127. Amor benevolentiæ erga electos est æternus & perpetuus; amor amicitiæ non. 365. 392. Amor mariti in uxorem in quibus consistat. 431

Angelus.

Angeli quo sensu Deo reconciliati per Christum. 134. quomodo filii Dei. ibid. non poterant creare mundum. 102. eorum ordines & distinctiones secundum Scholasticos. 104. hi ordines non sunt curiosè inquirendi. ibid. quando creati. 105. non poterant nos Deo reconciliare. 131. reconciliabantur nobis per Christum. 133. quomodo Christus dici possit servator, mediator, vel reconciliator Angelorum. 134. 250. 251. Angelorum ministerium in custodia electorum eorúmque salute promovenda. 251. Angeli non sunt adorandi. 249. 250. 252. 301. non sunt mediatores. 252. non infundunt gratiam. ibid. non sunt invocandi ut Intercessores. 305. non ut Mediatores ad Christum. 298. Angeli quomodo coli possint. 299. non debent coli religiosè, sive cultu dulia sive latria. 300. coluntur à Papistis cultu latria. 301. Angelorum cultus doctrina Platonica. 296. Angelorum cultores non agnoscunt Christum pro Capite Ecclesiæ. 305. Non iis nuncupanda vota. 301. 302. incertum an audiant preces. 303. Angelorum caput Christus. 249. ergò sunt conservi nostri. ibid.
Anima pro tota persona. 241
Apologi nec sunt mendacia materialiter, nec formaliter. 378

Apostolus.

Apostoli etymologia. 2. tria ad Apostolatum requiruntur. ibid. Apostoli constituuntur per totam Trinitatem. 3. sunt Legati Dei ad genus humanum. 5. qui quibus Nationibus prædicârunt Evangelium. 47. Apostoli singuli ad universum orbem missi, sed

ob commodum Eccleſia certi certis Provinciis deſtinabantur. 164. *Paulus erat verè Apoſtolus.* 2.3. *Papa Romanus non habet Apoſtolicam authoritatem.* 5.6.7.
Appetitus & ejus affectus naturaliter rebelles. 138. 266
Applicanda generalis doctrina ad auditores. 135
Ara debetur ſoli Deo. 302. *Papiſta erigunt aras Angelis & Sanctis.* ibid.
Archippus quis. 514
Ariſtarchus quis; quomodo ſocius captivitatis Pauli. 508
Ἀσωτίζεσθαι *quid ſignificet.* 506
Avaritia quid ſit. 360. *eſt vitium partim ſpirituale, partim carnale.* ibid. *quomodo avarus dicatur idololatra.* 360. 361. *avaritia quantum peccatum.* 361
Auxilium Dei in rebus adverſis. 335

BAptiſmi ritus quid ſignificet. 258. *Baptiſmus eſt efficax per fidem.* 11. 261. *quomodo illic ſepeliamur.* 258. *in Baptiſmo adultorum requiritur fides prævia, infantium ſubſequens.* 262. *baptizandi ſunt infantes.* 263. 264. *in Baptiſmo reſurgimus ſacramentaliter & realiter.* 332. *Baptiſmi myſteria probè tenenda & ſemper in memoria retinenda.* 338
Baptizati appellantur ſancti, & quare. 10. 391. *mundantur ab omnibus peccatis.* 10. *olim ſtolis albis induebantur.* ibid. *iis infunduntur gratiæ ſpirituales.* ibid. *ſpecialiter conſecrantur Deo.* ibid. 391
Barnabas quis. 509
Beatitudo futura in quibus conſiſtat. 345. *in ſolidum poſſidetur à ſingulis.* 82. *ſemper meditanda & quærenda.* 329. 330. *ejus cogitatio ſolatium in adverſis.* 345. *in quibus mercedi ſimilis, in quibus non.* 460
Benignos eſſe nos oportet. 395
Βλασφημία *unde, & quid ſignificet.* 373. *Deus blaſphematur tripliciter, homines dupliciter.* ibid. *quantum malum utraque blaſphemia.* 373.374

CÆremoniæ poſſunt inſtitui ab Eccleſia, & quibus cautionibus. 232. 233. 311. *non ſunt multiplicandæ.* 233. 276. 316. *Cæremoniarum quarumlibet obſervatio vel omiſſio, per ſe nec commendat, nec condemnat apud Deum.* 386
Cæremoniæ Legales erant confeſſiones reatus humani generis. 273. *figurabant Chriſti gratiam.* 291. *erant umbræ, & Chriſtus corpus multis rationibus.* 293. *abrogatæ per Chriſtum, & quare.* 234. *quomodo.* 274. 275. 294. *quot modis.* 310. *quousq; & quatenus poſt paſſionem obſervari poterant.* 235
Καινὰ *quid.* 370. 371
Caput, quæ requirantur ad ejus naturam. 114. 115. 305. 306. *Caput Eccleſiæ, vide Chriſtus.*
Cantica, quomodo differant à Pſalmis & Hymnis. 417. 418. *qualia cantanda à Chriſtianis.* 418. *Cantare ἐν χάρτῃ quid.* ibid. *Cantandum non voce tantùm ſed ſimul & corde.* 419. 420. *Cantandum Chriſto.* 419. *Cantandi conſuetudo recepta olim in cœtibus Chriſtianis.* ibid.
Caro pro corruptione originali. 256
Carthuſienſes Monachi à carnibus abſtinent. 285
Caſtigatio corporis per exercitia mortificationis. Vide ejus exempla. 322. 323. *Errores eorum qui hac in parte peccant.* 323. 324 *quousque hæc exercitia adhiberi poſſint & debeant.* 324. 325
Caſtigatoria pœna, non ſatisfactoria infligitur fidelibus. 159
Καταβραβεύειν *quid ſignificet.* 295
Certitudo fidelium de gratia & remiſſione peccatorum. 18. *certitudo de ſalute.* 41. 81. 345

Charitas.

Charitas quid. 404. *quomodo differat ab amore vitioſo.* ibid. *non eſt ipſe Deus, ſed donum Dei.* 34. *Charitatis inter gratias præeminentia.* 405. *eſt veſti ſimilis.* ibid. *quomodo impleat Legem.* 406. *fidem individuè ſequitur.* 34. 35. *non informat fidem.* 35. 36. *Amor internus manifeſtat ſe per externa opera.* 431. 514. *Charitas aliis communicat in omnibus.* 29. *amor jungit diſjunctos loco.* 212
Charitatis objectum quadruplex. 36. *ſcilicet Deus.* 37. *noſipſi.* ibid. *proximi.* 38. *corpus noſtrum.* ibid. *Complectitur omnes homines.* 404. *inter proximos maximè amandi ſancti, & quare.* 38. *amandi extranei.* 39. 404. *ignoti.* 57. 519. *inimici & improbi.* 39. *Dæmones & damnati non ſunt objectum charitatis, & quare.* ibid. *Amor ſuipſius*

quare non præcipiatur, & quo ſenſu taxetur. 37.

Charitatis regula in judicando, De quolibet præſumendum bonum niſi conſtet de contrario. 11

Charitatis regula in agendo, Quod tibi fieri non vis, alteri ne facias. *quomodo intelligendum.* 355

Chirographum rituum quid ſignificet. 272. 273

Chriſtianus.

Chriſtianus debet Chriſtum imitari. 332. *Chriſtianus mortuus peccato, mundo, & carni.* 336. *quomodo mortuus.* ibid. 337. *Chriſtianus in peccato vivens eſt mortuus ambulans.* 259. *facit omnia in nomine Chriſti.* 422. *Chriſtiani debent ſe invicē docere, monere, & corripere.* 415. 416. 417. *Chriſtiani vita non ſit Evangelio ſcandalum.* 488. 489. *Chriſtianus quoad nomen nihil.* 260. 369. *Chriſtianus alis quàm Deo ſerviens eſt ſacrilegus.* 11. *Chriſtiani dicuntur ſancti in Chriſto, & quare.* 13. *fideles in Chriſto.* ibid. *& fratres in Chriſto.* ibid. *Chriſtiani fratres inter ſe.* 12. 501. 519. *adeóque concordes.* 12. *Semper debet Chriſtianus proficere.* 61. 218. 382. *Creſcit in fide indies, & quomodo.* 200. *Chriſtianus inſtar arboris fructifera.* 67. *in quibus.* 68. *hoſtes Chriſtiani.* 71. 278. *ejus converſatio in cœlis.* 329. 330. 402. *Eſt in Chriſto per fidem & ſpiritum.* 248

Chriſtus.

Chriſtus pro Eccleſia Chriſti. 151

Chriſtus ut eſſet mediator debuit eſſe θεάνθρωπος. 88. 89. *oportuit eſſe Deus ut ſit doctor ſalutis.* 237 238. *ut ſit author ſalutis.* 238. 239. *Eſt dominus omnium etiam ut homo.* ibid. *quomodo una perſona.* 242. 243. 244. *non tamen ubique quà homo.* 245. 334. *exemplar creaturarum.* 100 *eſt Creator mundi.* 101. 102. *finis omnium.* 106. *conſervator omnium.* 107. *primogenitus omnis creaturæ, & quo ſenſu.* 98. 99. *primogenitus ex mortuis, & quo ſenſu.* 119 *primus reſurrexit.* 120. *author reſurrectionis noſtræ.* ibid. 121. *habuit plenitudinem gratiæ.* 124. *quare habuit.* 125. *ſolus habuit.* ibid. *eſt canalis gratiæ, efficaciâ operationis, beneficio interceſſionis, & merito paſſionis.* 8. *Inſluit gratiam ut homo inſtrumentaliter.* 113. *ab eo omnis gratia.* 306. *Eſt via ad Deum.* 218. *ſolus potuit & debuit nos reconciliare.* 129. *quomodo nos redemerit.* 91. *quomodo mediator Angelorum.* 134. *quomodo caput Angelorum.* 249. *Chriſti compaſſio in afflictionibus noſtris.* 151. *Qualis ſcientia fuerit in Chriſto.* 207. *Chriſtus per fidem habitat in nobis.* 177

Chriſtus ſolus caput Eccleſiæ. 8. 73. *idque ſecundum utramque naturam.* 112. 113. 114 *etiam veteris Eccleſiæ* 112. *quibus reſpectibus dicatur caput Eccleſiæ.* 114. 115. 116. 306. 307.

Chriſtus eſt objectum fidei. 33. *eſt fidei principale objectum.* 31. 32. *adæquatum objectum fidei quà juſtificat.* ibid.

Chriſtus eſt imago Patris quà Deus, 95. *quà homo.* 96

Chriſtus eſt inſtar tabernaculi. 239. *triumphator Diaboli in cruce.* 281

Chriſtus quomodo ſedeat ad dextram Dei, quà Deus. 333. *quomodo quà homo.* ibid. *Chriſti patefactio & adventus triplex.* 342

Ciborum diſcrimen nullum Chriſtianis. 285. 312. 313. 314. *quale olim Judæis.* 284. *quid ſignificabatur per prohibitos cibos.* 291. 292

Circumciſio pro Judæis ipſis. 265. *Circumciſio interna quid.* 256

Circumciſio Chriſtiana excellit Judaicam in tribus. 253. *ejus author & illius inſtrumenta.* 256. *debet eſſe totalis.* 257. *Circumciſio Judaica quid ſignificabat.* 273. *præcipua inter cæremonias Judaicas.* 252

Cœlum & terra quid ſignificent in Scripturis. 101. *Regnum cœlorum, vide Regnum.*

Cognitio quam habemus de Deo triplex. 97. *quarum nulla attingit ejus eſſentiam.* ibid. *Cognitio Chriſti.* 207

Coloſſæ ubi ſita. in Præfat. terræmotu ſubverſæ. ibid. & 516

Communicatio idiomatum. 208. 242

Communicatio non habenda cum impiis aut ſuperſtitioſis. 490

Commodi *Imperatoris factum fœtidum.* 376

Communio Sanctorum in quo conſiſtat. 160

Compati debemus in malis aliorum. 394 512

Concluſio de fide ubi altera tantùm propoſitio ex Scripturis. 23

Concordia, vide Pax. Concordia charitatis oritur ex conſenſu in fide. 199

Concupiſcentia triplex; naturalis, carnalis, ſpiritualis. 359. *Concupiſcentiæ carnalis*

primi motus sunt peccata. ibid.
Condonatio injuriarum cedit in commodum condonantis. 400
Conscientiæ pax, vide Pax interna.
Conservator omnium Deus. 107. 108
Consolatio omnis nititur gratuitis promissionibus. 197. 198. fatentur idem Pontificii cùm in conscientias suas descendunt. 198
Consolatio non est sine charitate. 199
Consuetudo mutat naturam. 354. non valet contra jus. 7. nec contra veritatem doctrinæ. 217
Conversatio Christiani debet esse in cœlis. 402. 329. 330
Convitium quantum malum. 373. 374. 375
Corpus pro massa peccatorum 256
Corpus nostrum objectum charitatis & quare. 38. corporis cura qualis habenda, qualis non. 325. 326.
Vnusquisque habet in se tria corpora; naturale, Adami veteris, & novi. 350. Ex his corpus peccati propriè nostrum. ibid.
Corpus Christi fuit verum, non imaginarium. 141. in quo ipse verè passus est, & non Simon Cyrenæus. ibid.
Corporaliter ponitur pro Personaliter, quia corpus pro tota persona. 241. 242
Corripere debemus nos invicem & quomodo. 417.
Corruptio naturæ, vide Natura.
Creatura non potest creare, ne ut instrumentum. 102
Creatio & conservatio eadem Dei actio. 106
Credo in Deum quid significet. 204
Credo remissionem peccatorum quid significet. ibid.
Crucis pœna nostra redemptioni convenientissima. 132. in cruce triumphavit Christus. 281. Cruci affixus est Diabolus. ibid.
Culpâ remissâ, remittitur & pœna. 154. 159
Cultus quid sit. 299. cultus triplex. ibid. religiosus soli Deo debitus. 300. ab ipso Deo præscriptus. 315. 316

Damas quare desecerit. 519
Detractio. 373. pejor furto. 53

Deus.

Deus author & finis omnium. 106. quomodo agas propter finem. ibid. non colendus in idolo. 98. solus amatur propter se. 37. quomodo invisibilis. 96. 97. quomodo incognoscibilis. ibid. terribilis sine Christo. 96. omnipræsens. 456. adest tripliciter. 241. quomodo dicatur irasci. 363. non acceptor personarum. 385. 464. eius iustitia in puniendo. 363. quot modis blasphemetur. 373
Dei efficacia in Ministris. 5. eius φιλανθρωπία in iisdem. ibid. Deus prævenit nos. 47. est fons omnis gratiæ ut est pater noster. 15. 16 communicat gratiam per filium. ibid. primus author reconciliationis. 127. author vivificationis nostræ. 268. author salutis prædestinando, & efficaciter vocando. 78. solus debuit & potuit nos salvare. 83
Dextra Dei quid sit, & quid sedere ad dextram Dei. 333. 334
Diaboli quare dicantur imperia & potestates. 277. quomodo Christus de iis triumphavit in cruce. 281. quomodo victi nos lacessunt. ibid. quomodo Christus nos liberavit à Diabolo. 92. 281. Diabolus magis sævit in Christianos. 213.
Diaconus sumitur largè & strictè. 53. 54. 161. 514.
Dies judicii, vide Judicium.
Dierum discrimen nullum Christianis. 285. quale olim Judæis. 284. Dies festi Judæorum quomodo in æternum observandi. 287. 288. quid singuli adumbrabant. 292
Dies festi à Christianis observandi, & quomodo, 288. 289. Cautiones in eorum observatione. 289. 290
Dignitates Ecclesiastica tuendæ. 5. 163. 215
Dignitas duplex, æqualitatis & convenientiæ. 65
Dilectio fraterna inter Christianos. 12. 501. vide Charitas.
Divitiæ temporales tripliciter possunt appeti. 360. Divitiæ spirituales. 173. 174
Docere est officium Ministri. 179. Doctrina Legis & Evangelii utraque per Ministrum proponenda, sed diversimodè. ibid. Doctrina Ministrorum non sine examine recipienda. 223. 322. Laici debent se invicem docere. 416 Paterfamilias familiam. 521
Δογματίζειν quid significet. 310
Dominium in creaturas Civile & Evangelicum. 422
Domini malè tractantes servos puniuntur à Domino. 462. debent cum servis justè agere. 466. & æquabiliter. 467. non debent servos vilipendere. 466. debent eis auscultare. 467. eorum infirmitatis rati-

onem habere. ibid. benemeritis benignos se prebere. 467. habent enim suum Dominum in cœlis. 468

Dominus omnium Christus ut homo. 16. ergò illi fideliter serviendum. 17. 423

Dubitare de remissione possunt fideles, sed non quà fideles. 25. 26

Duellum non est licitum. 403

Ecclesia unde dicatur, & quotuplex sit. 116. cujus Ecclesia Caput est Christus. 117. 118. 119. Impii & hypocritæ non sunt membra Ecclesiæ. ibid. 307. Ecclesia est quasi familia Dei. 162. recipit omnia à Christo. 307. Ecclesia augmentum quale. 308. quomodo tota uniatur Christo, & ejus membra inter se. 306. 307.

Ecclesia particularis qualibet potest deficere. 9. 517. habet potestatem instituendi ritus externos. 232. domestica familia potest esse Ecclesia. 521.

Ecclesiasticæ dignitates, vide Dignitas.

Educatio puerorum ne sit austera nimis, nec mollis. 449. 450

Electio temporalis & æterna. 390. utriusque consideratio obligat ad sanctitatem. 391.

Electi soli verè credunt. 45. 78. 80. 171. 173

Eleemosynæ faciendæ. 395

Eloquentia Scripturarum. 190. Eloquentia Ministris non affectanda. 54. Eloquentia fallax Hæreticorum. 211

Ἐμβατεύειν quid significet. 296

Epaphræ laudes. 53. 54.

Ἐπιχορηγεῖν quid significet. 306

Errores oriuntur ex ignoratione Christi. 77

Esse essentiæ verè tribuitur rebus, quamvis non habentibus Esse existentiæ. 291

Ἐθελοθρησκεία damnatur. 69. 319. est duplex. 319. abducit à Christo dupliciter. 236. arridet humano ingenio. 319. est Monachorum origo. 319. 320

Evangelium.

Evangelium quomodo differat à Lege. 144

Evangelium dicitur regnum Dei, & quare. 511. dicitur sermo veritatis, & quare. 45. 46. dicitur sermo Christi duplici ratione. 412. Est effectivè à tota Trinitate. 204. Non docendum per mudum hominem. 237. 238. ignoscibile rationi naturali. 169. Evangelium dicitur mysterium, & quare. 203. Erat olim absconditum, quomodo, & à quibus. 167. 168. nunc non obscurum, sed perspicuum. 170. prædicatum est in toto mundo. 47. quomodo. 48. à quibus. 47. quomodo prædicatum omni creaturæ. 145. 146. ejus dilatatio & incrementum etiam in persecutionibus. 50. 481. nec potest vinci, nec vinciri. 485. ejus divitiæ. 173. gloria. 174. 175. ejus efficacia in mutandis moribus est à Deo. 49. Evangelii prædicandi facultas est à Deo. 186. 187. 480. Libertas prædicandi Evangelium est à Deo. 481. Evangelii prædicati efficacia & penetratio est à Deo. 482. 483. 171. vide Fides donum Dei.

Evangelium æternum Ioachimi Abbatis. 204

Excandescentia quid. 370

Exemplar creaturarum Christus. 100. Christi vita exemplar Christianorum. 401

Exordii partes quæ. 189. observatæ à Paulo. 189. 190.

Extranei amandi. 39

Fama nostra, non tantùm conscientia, providendum. 52

Fides.

Fides duplex; alia informis, historica, & generalis; alia formata, justificans, & particularis. 34. 35. in quibus justificans differat à non justificante. 35. Fidei objectum generale est quicquid traditur in Scripturis. 31. speciale & principale est Christus Iesus sub ratione mediatoris. 31. 32. eadem fides in Christum ante incarnationem & post. 89. 112. 279. 293. solus Deus infundit fidem. 45. 171. 172. 482. Fides donum Dei. 262. Fides infusa simul monstrat rem creditam & rationem credendi. 202. Quomodo verbum prædicatum sit instrumentum fidei generandæ. 44. 45. Fides est fundamentum & radix religionis. 30. 31. 303. Quod fit sine fide non est bonum. 31. 139. Fides justificat quoad veritatem, non quoad gradum. 21. Sola fides justificat. 144. Fides justificans est stabilis, & non amittitur. 144. 145. 519. Fides solida quæ. 215. fidei firmitas duplex. 219. utraque requiritur. 220. Fides non excludit omnem dubitationem, sed vincit. 26

Fides πληροφορία quid, & unde. 201. Vera fides non est sine charitate. 35. non tamen informatur à charitate. 35. 36

Fides implicita non est Deo grata. 321. non sufficit Laico. 64. 202. Carbonarii fides. 202

Fidelis.

FIdelis est certus se habere fidem. 18. idq; certitudine fidei. 23. Fidelis est certus de gratia & remissione peccatorum. 18. hoc aliqui ex Pontificiis fatentur. 26. Fidelis non dubitat quà fidelis. 25

Fidelis semper habet intentionem habitualem placendi Deo. 66. 67. ideò ejus persona est Deo accepta non obstantibus delictis. 67. quomodo fidelis possit excidere è gratia, quomodo non. 365. Verè fidelis assimilatur vigilanti, apparens somnianti. 24. Debet fructificare. 68

Figurata locutiones non sunt mendacia. 378. 379

Filius, vide Liberi.

FILIVS *apparuit olim Patribus.* 97. *vide Christus.*

Finis specificat actionem moralem. 66. *quomodo Deus agat propter finem.* 106. *Christus finis omnium.* ibid.

Flagellantes qui. 323

Fornicatio quid sit, quomodo differat ab adulterio & stupro. 352. *apud Ethnicos non putabatur crimen.* 352. *gravitas ejus peccati declaratur.* 353. *improbatur à quibusdam Ethnicis.* 354. *fornicatio non toleranda in Republica Christiana.* 356. *contrariatur charstati multis modis.* 355. *Fornicationi favent Pontificii.* 356. *quare ab Apostolo annumeretur rebus adiaphoris.* 354

Fortitudo Christiana in quibus consistat. 70. *unde habeatur.* 72. *fortitudo vera à solo Deo.* ibid. *quomodo differat à patientia.* 74

Fratres inter se omnes Christiani ob quatuor causas. 12. 51. 59. *idque in Christo.* 13. *Falsi fratres perniciosissimi.* 504

GAudium Christianorum in adversis. 76. 150

Gloria Christi debet esse finis uniuscujusque actionis nostræ. 422. *Gloria futura consistit in duplici stola, anima & corporis.* 343. *in anima est visio, amor, & fruitio Dei; in corpore, claritas, impassibilitas, & agilitas.* 343. *gloria futura est solatium in omnibus adversis.* 345. *Vana gloria Ministris fugienda.* 54

Gratia.

A Gratia Paulus incipit & claudit Epistolas. 526. Gratia & pax *salutatio Apostolica.* 13. *quare jungantur.* ibid. *quare gratia præmittatur.* 15. *Gratia tria denotat; actum Dei acceptantis, habitualia dona, speciale auxilium.* 14. 526. *Omnia hæc sunt à Deo.* 15. 16. *ut Patre.* 16. *per Filium derivata tripliciter.* ibid. *Gratia efficax solorum electorum.* 45. 78. 80. 171. 173. *non est tantùm immissio visi quod aptum est movere liberum arbitrium.* 267. *Gratia necessitas ob corruptionem naturæ.* 79. 267. *Gratia plenitudo quid sit.* 124. *quotuplex.* 145. *in gratia proficiendum quotidie.* 61. 381. 359. *Gratia non tollit politias.* 288

Gratiarum actio.

Apostolica gratiarum actio, in quo differat à civili. 27. *Gratitudo quàm necessaria.* 411. *Gratia Deo agenda ob bona collata.* 28. 222 411. *Gratia Deo agenda in usu creaturarum, & successu rerum omnium.* 424. *quare agantur potissimùm Patri.* ibid. *Gratiarum actio adjungenda orationibus.* 30. 477. *Gratia agenda propter beneficia accepta, accipienda, dilata, & negata.* 477. 478

HÆreticus non omnis qui non credit quod debet credere. 25. *Hæreticorum eloquentia fallax.* 211. *eorum scopus.* 212. *habent caput columbæ, sed caudam scorpionis.* 491. *quomodo Magistratus se debeant gerere erga hæreticos* 491. 492. *quomodo privati conversari debeant cum iisdem.* 492

Homo omnis creatura *quo sensu.* 145. 146. *homo vetus quid, quomodo exuatur.* 381. *ejus membra.* 349. *homo novus quid.* 381. *ejus membra.* 390

Hostes Deo sumus naturâ. 136. 137. *Hominis Christiani hostes qui.* 71. 72. 278. *eos vicit Christus.* 278. *Hostes crucis Christi qui.* 282. *Vide Inimici.*

Humilitas omni conditioni conveniens. 395. *motiva ad humilitatem.* 396

Hymni quomodo differant à Psalmis & canticis. 417. 418. *quales hymni cantandi à Christianis.* 418

Hypocrita non justificantur. 142

IDololatriæ suspecti severè puniebantur à veteri Ecclesia. 489. *ad idololatriam allecti manus abscindendas ultrò offerunt Juliano.* 490. *Idololatria seu cultus Dei in idolo improbatur.* 98. *Idola non confringenda privatâ authoritate.* 490

Jejunia qualia in usu in primitiva Ecclesia.

325. *Iejunantium exempla.* 322. 323. *quomodo jejunandum.* 324. *jejunandum moderatè.* 325. *quousque leges humanæ de jejuniis obligent.* 286.287. *Duplex error in Pontificiorum jejuniis.* 285.286
Iesus qui appellabatur Iustus. 510. *alii ejusdem cognomenti.* ibid.
Ignorantia Christi causa errorum. 77
Imago quotuplex, & quot requirantur ad ejus naturam. 94. *quomodo Christus quà Deus sit imago Patris.* 95. *quomodo quà homo.* 97. *quare Spiritus non dicatur imago.* 95. *Imago Dei aliter in Christo, aliter in nobis.* 383. *In quo consistat imago Dei in homine.* 384
Imitari debemus Christum. 401
Impunitas invitat ad peccandum. 362
In *sæpe in Scripturis significat* per. 101
Incarnatio Christi ostendenda in vita nostra. 261. *Incarnatus est totus Deus, sed non secundum omnes Personas.* 240. *Assumere carnem importat actionem & terminum.* ib. *Tota Trinitas incarnavit, sola secunda Persona fuit incarnata.* 240.241
Indulgentiæ Papales quatuor erroribus nituntur. 154. *eorum validitas refutatur.* 156. 157. *nec fundantur in Scripturis, nec Patribus.* 157
Infantes sunt baptizandi. 263. *quomodo fidem habeant.* 263. *Infantes fidelium sunt in fœdere.* 264
Infirmitas Sanctorum. 71. *in operibus bonis.* 79. *Vide* Opera bona imperfecta.
Infidelium nulla opera sunt bona. 31
Ingratitudo quantum vitium. 411
Inimici sunt diligendi. 39. *illis ignoscendum & benefaciendum.* 399. *Vide Hostes.*
Injurias ferre & non inferre glorioſum. 403. *injuriarum illatores miſerrimi.* 463. *injuriam non inferre ubi facilè poſſis, eſt juſtitiæ ſpecimen.* 465. *Vide Patientia & Vindicta.*
Intellectus noſter naturaliter obſcuratus. 138. *in rebus fidei cæcus.* 169.266
Intelligentia quid, & quomodo differat à ſapientia. 62.63. *unde habeatur.* 63.64
Intèrceſſor meritorius ſolus Chriſtus. 480.
Invidia facit alienum bonum noſtrum ſupplicium. 29
Invocatio Chriſtiana differt ab Ethnica & Iudaica. 29. *Invocandus ſolus Deus.* 301.
Ioci non affectandi à Chriſtianis. 495
Ira quid ſit, quomodo differat ab excandeſcentia. 370. *quare fugienda.* 371. *quæ bona, & quæ malæ.* 372. *quo ſenſu tribuatur Deo* 363. *Ira Dei ſequitur peccatores.* 363. *ira Dei duplex, paterna & hoſtilis.* 365
Iſchomachus exemplar maritorum. 432
Iudæorum cæremoniæ. 284. *Sunt hoſtes Chriſtianorum.* 511
Iudex non debet eſſe acceptor perſonarum. 464
Iudex abſolutus in cauſis fidei nemo mortalium. 297
Iudicandum de fratribus juxta regulam charitatis. 11
Iudicium duplex, authoritatis & diſcretionis. 322. *Iudicis dies adveniet citò.* 344. *& ſubitò.* 345
Iuſtificationem comitatur ſanctificatio. 269
Iuſti ſumus imputatione iuſtitiæ Chriſti. 247
Iuſti nominabantur multi. 510
Iuſtitia Dei in puniendo. 363.364

LAodicea urbs celeberrima, terræ motu ſubverſa. 516. *Ad Laodicenſes epiſtola quæ extat non eſt Pauli, ſed ementita.* 523
Laus invitat ad perſeverantiam. 214
Lectio publica Scripturarum in lingua intellecta in uſu apud Veteres. 522
Lectio Scripturarum publica ſine Prædicatore poteſt eſſe ædificatoria. 522
Leges Eccleſiaſticæ per ſe non obligant conſcientiam. 233.284.285.286.287.315
Leges humanæ non per ſe obligant conſcientiam. 455
Lex quomodo differat ab Evangelio. 144. *Lex Moralis quomodo inimica nobis.* 274. *Lex Cæremonialis quomodo nobis erat inimica.* 274. *Lex Moralis quomodo ſublata, & Cæremonialis quomodo abrogata per Chriſti mortem.* 275
Liberalitas exercenda. 394.395
Liberorum qualis debeat eſſe in parentes obedientia. 437.438.439. *cedit pietati in Deum.* 443.444. *liberi nec molliter, nec duriter educandi.* 449. *ſunt quaſi partes parentum.* 452. *incõmoda auſteritatis erga liberos.* ib.
Liberum arbitrium non diſponit ad gratiam. Vide Meritum ex congruo.
Libertas Chriſtiana in cæremoniis. 285
Libido impura. 357. *interni motus libidinis comprimendi.* 358
Licinii *torpedo oblivioſa.* 4
Limbus Patrum nullus. 279.280

Lingua noſtra regulanda & frænanda. 421. 494.
Localis ſucceſſio nihil valet ſine ſucceſſione doctrinæ. 9. 519
Longanimitas, μακροθυμία, *quid ſit.* 74. *quomodo differat à tolerantia.* ibid. *à fortitudine.* ibid. *eius uſus & neceſſitas in Chriſtiano.* 75
Lucas Evangeliſta quis & qualis. 518
Lupanaria non toleranda in Republica Chriſtiana. 356. *damnantur à Patribus.* 356. *toleratio lupanarium non admit ſed auget viris de uxoribus metum.* 357

Μακροθυμία *quid.* 74.
Magiſtratus mali ſunt à Deo æquè ac boni. 491
Magiſtratibus etiam Ethnicis & idololatricis parendum. ibid.
Maledicentia quantum malum. 373. 374.
Maledico non præbenda aures. 375
Malitia quid. 370. 371
Manſuetudinis officia. 396. *ad eam motiva.* 397
Manus abſcindendas offerunt Chriſtiani ab idololatria reſipiſcentes. 490
Marcus quis. 58. *videtur converſus à Petro.* 509. *ſcripſit Evangelium doctus à Petro.* 509. *Primus Epiſcopus Alexandriæ.* ibid.
Maria quomodo dicatur plena gratiâ. 125
Maritorum exemplar Iſchomachus. 432
Maritalis amoris officia tria, videlicet perpetuum conſortium. 431. *directio & eruditio.* 432. *proſpectio de rebus neceſſariis.* ibid. *Quomodo maritus debeat uxorem eligere.* 433. *mariti ſint mites erga uxores.* 433. 434. 435. *non debent uxores verberare.* 436. *invitis uxoribus non debent Monaſticam vitam agere.* 441
Martyrum cruciatus non ſatisfaciunt pro aliis. 156. *Martyrum dies feſti cultui ſolius Dei inſerviunt.* 289
Matrimonium contrahere, invitis parentibus, peccatum. 448. *Contractus de præſenti eſt matrimonium.* 449
Mediator debuit eſſe θεάνθρωπος. 88. 89. *Mediator ſolus Chriſtus, tum redemptionis, tum interceſſionis meritoriæ.* 408
Medicus animarum Lucas factus eſt de medico corporis 518
Membra veteris hominis quæ. 349
Mens, vide Intellectus.
Merces poteſt ſpectari in bene operando. 42. 43. *mercedis ſimilis beatitudo cœleſtis, ſed & diſſimilis.* 460
Meritum non excedit perſonam quæ meretur. 155. *Meritum ex congruo nullum ante gratiam.* 47. 80. 172. 173. 266. 367. *nec ex condigno poſt gratiam.* 65. 80. 155
Mezentii compaſſio. 151

Miniſtri.

Miniſtri debent vocationem expectare. 163. *eorum vocatio duplex.* 163. *imò triplex.* 148. *Inter Miniſtros debet eſſe ordo, adeóque imparitas.* 163. *Certis locis alligandi.* 164. *Miniſtrorum ſufficientia omnis à Chriſto & eius Spiritu.* 186. 187. 480. *Miniſterium humanum efficax ad ſalutem.* 5. *Miniſtri debent eſſe officii memores.* 461. *non ſint deſides.* 185. 186. *ſint vigiles.* 223. *Quæ perpendenda Miniſtro ad excitandam diligentiam.* 55. 524. *Fidelitas Miniſtrorum in duobus conſiſtit; ſcilicet in reſpiciendo gloriam Domini, non ſuam.* 54. *& in promovendo utilitatem gregis.* 55. 486. *eorum officium in prædicando conſtat in admonendo & docendo.* 178. 179 *docere debent tum Legem, tum Evangelium, ſed diverſimodè.* 179. *debent in fungendo officio erga omnes eſſe indifferentes.* 180. *debent quorumcunque vitia reprehendere.* 485. *non debent attemperare verba ad errores audientium.* 486. *non debent affectare eloquentiam.* 54. *debent applicare generales doctrinas ad auditores.* 135. *Miniſtri debent prædicare Verbum liberè & confidenter.* 485. *aſſiduè & diligenter.* 486. *ſincerè & fideliter, nihil addendo aut ſubtrahendo.* 487. *appoſitè pro auditoribus.* 487. 488. *ob peccata populi ſiunt muti.* 485. *Miniſtrorum dignitas* 54. 502. 513. *eis nemo debet detrahere aut illudere.* 52. *Non debent ſe invicem deprimere.* 52. *Miniſtri proprii maximè amandi & honorandi.* 56. *laborandum ut ſint bonæ famæ.* 52. *Debent eſſe humiles.* 53. *non ſint obſcœni vel ſcurriles.* 376. *non ſunt fidei noſtræ Domini.* 149. 162. *Miniſtris non tantùm prædicandum, ſed & orandum pro populo.* 15. *idque aſſiduè.* 59. 514. *debent inquirere in vitam & mores ſingulorum ſibi commiſſorum.* 500. *debent peculiariter amare religioſiores.* 504. *de-*

quibus gaudendum Ministris. 213. *gregis bono præsertim spirituali debent lætari.* 27. 193. *quomodo absolvant à peccatis.* 158. *ad crucem tolerandam debent ipsi animari.* 150. 162. 185. 484. *& alios hortari.* 501. *quas ob causas possint labores suos prædicare.* 191. 192

Minister absens à grege est magis solicitus. 195. *nunquam totus debet abesse.* 213. *Pro Ministris debet populus orare.* 479. *ut sint idonei.* 480. *ut sint diligentes.* 483

Misericordia debetur malis aliorum. 394. 512

Modus agendi quandoque plus quàm actio. 485

Molles qui. 358. *Liberi non molliter educandi.* 439.

Monachismus non est status perfectionis. 183. 184. 386

Monasterium ingredi non licet maritis, invitis uxoribus. 441. *nec liberis, invitis parentibus.* 441. 442

Monere debemus nos invicem & corripere, & quomodo hoc faciendum. 416. 417

Mors non timenda Christianis. 122

Mors Christi duobus modis nos liberavit. 91. 92. *erat modus non in se absolutè necessarius, sed convenientissimus nos reconciliandi, & quare.* 131. 132. *Mors Christi omnibus hominibus applicabilis, non omnibus applicata.* 139. 140. *mors Christi ostendenda in vita nostra.* 261

Mortificatio.

Mortificatio quid, & quæ ad illam requirantur. 347. *mortificatio duplex; habitualis & interna, practica & externa.* 348. *An sit in hominis potestate seipsum mortificare.* 347. 348. 393. *mortificationis author est Christus tripliciter.* 120. 260. *mortificationi adjungitur vivificatio.* 259. *mortificatio debet esse omnium peccatorum.* 257. 271. *mortificatio admittit gradus.* 259. *& in hoc distat à morte naturali.* 348. *quomodo qui sunt mortui peccato debeant se adhuc mortificare.* 348. 349. *quousque renati possint esse peccato mortui.* 336. *quomodo quis in hac vita possit abolere omnia peccata, quomodo non.* 257. 271. *mortificatio Christiani est perpetua, laboriosa, & periculosa.* 351.

Mortificatio carnis per exercitia externa, & ejus exempla. 322. 323. *quousq; hæc exercitia adhiberi possint & debeant.* 324. 325. *errores eorum qui hac in parte peccant.* 323. 324.

Mulieres non debent esse vanæ, nec ornamentorum studiosæ. 429. *debent domi se continere.* 427

Multitudo conspirantium addit animos. 49. *non est nota Ecclesiæ.* 308

Mundum non esse æternum probatur contra Peripateticos. 102. *non potuit creari ab Angelis.* ibid. *creabatur à Deo.* ibid. *conservatur à Deo.* 107. 108.

Mysterium quid significet. 166. *sumitur pro summa doctrinæ Evangelicæ.* 166. 203. *item pro vocatione Gentium.* 166. *mysteria credenda, non discutienda.* 95

Nationum nullum discrimen apud Deum. 385.

Natura nostra ex creatione bona. 136. *Natura corrupta incapacitas ad spiritualia.* 79. 84. *non disponit ad gratiam.* 80. 266. 367. *est aliena à Deo.* 135. 136. *est hostis Deo.* 136. 137. *& Deus illi.* 137.

Naturalis corruptio in intellectu, in voluntate, & appetitu. 138. 266. *naturaliter homo mortuus quoad spiritualia.* 264. *explicatur per partes.* 266. *naturaliter omnes proclives ad omnia vitia.* 370

Negationes in comparationibus non excludunt, sed postponunt. 458

Neomeniæ Iudæorum quid significent. 292

Nobilitas neminem commendat Deo 388

Nomina propria in Scripturis non frustra ponuntur. 408

Facere aliquid in nomine Christi quid. 421

Nomen, vide Vocabulum.

Novitas vitæ. 259

Νηφάλιος *quid significet.* 178

Nympha vir non mulier. 520

Obedientia, vide Subjectio.

Obedientia cæca non est bona. 64. 320. 321. 322

Obedientia uxorum in viros. 427. *liberorum in parentes.* 437. 438. *servorum in dominos.* 454

Objectum fidei quotuplex. 31. 33

Obscœnitas in verbis fugienda. 375. 376

Odium perfectum quid. 39

Odio habetur Deus à peccatoribus, & quomodo

do. 137. *eosdem ipse odio habet.* ibid.
Omniscientia non competit humanæ Christi naturæ. 207. 208
Deus omnia videt. 456
Onesimus Diaconus. 503
Opera bona sunt à Deo. 68. *præstanda à Christianis.* ibid. *non sunt opera bona nisi quæ à Deo mandantur.* 69. *diriguntur à cognitione, & disponunt ad ulteriorem cognitionem.* 69. 70
Opera omnia nostra tam interna quàm externa ad normam dirigenda. 4. 21. *facienda in nomine Christi.* 422. *saltem habitualiter.* 423. *Opera Legis non justificant.* 51. *Opera renutorum, licèt imperfecta, sunt accepta Deo, & quare.* 67. 79. *Opera non renatorum nulla placent.* 31. *sunt mala.* 139. *Opera supererogationis nulla.* 155. *Opera unius non imputantur alteri, nec quà meritoria, nec quà satisfactoria.* 155
Opportunitas capienda. 170
Opportunitatem redimere quid sit. 492. 493

Oratio.

Orationis partes προσευχὴ & αἴτησις. 59. *quomodo differant.* ibid. *orandum cum reverentia.* 60. *cum vehementia.* 60. 476. 514. *conditiones orationis.* 470. *orationes sint cum attentione sive vehementia.* 471. *sint frequentes & assiduæ.* 472. 474. *quomodo semper orandum.* 59. *quare semper orandum.* 472. *orandum cum vigilantia.* 475. *corporali.* 476. *& mentali.* ibid. *orationes sunt cum gratiarum actione.* 30. 477. *& quare.* 477. 478. *mutuis orationibus nos invicem juvare oportet.* 480. *orandum Ministris pro populo.* 15. 59. 514. *populo pro Ministris.* 479. 480. *orandum linguâ notâ & intellectâ.* 473. 474. *orationes breves Monachorum Ægyptiorum.* 471. *solus Deus orandus, & quare.* 301. *solus Deus pro gratia orandus, idque in Christi solius nomine.* 17. *soli filii adoptivi confidenter orant.* ibid. *Orationis successus in Scripturis.* 471
Ordinis variæ significationes. 214. *ordo quid.* 163. 215. *ordinis encomium.* 214. *ordine fiunt omnia à Deo.* 364
Ordo debet esse inter Ministros Ecclesiæ. 163. 215.
Ornamenta mulieribus quæ sint optima. 429
Osea quomodo sumpserit sibi uxorem fornicationum 354. 355

Pædobaptismus. 263. 264
Papa Romanus non habet Apostolicam authoritatem. 5. 6. 7. 8. 9. *non est Monarcha vel Caput Ecclesiæ.* 8. *non potest condere articulos fidei.* 148. 149. *non est Pastor universalis Ecclesiæ.* 7. *prærogativas habuit, sed non quasi jure divino debitas.* 7. *non potest per indulgentias dispensare merita Christi.* 156. *potest errare.* 7. *imò potest esse hæreticus.* ibid.
Pappula mentita sexum parentibus invitis ingreditur Monasterium. 446
Παῤῥαλεῖν *quid significet.* 196
Παῤῥαλογίζεσθαι *quid significet.* 210
Parentibus obedientia præstanda. 437. 438. *quousq; obliget præceptum de honorandis parentibus.* 439. *parentibus obedire quàm sit Deo gratum.* 440. *parentibus invitis liberi non possunt ingredi Monasteria.* 441. 442. *obediendum magis Deo quàm parentibus.* 443. *quomodo parentes debeant tractare liberos.* 449. 450. *incommoda duræ tractationis.* 452
Pascha quare institueretur, & quid significet. 292
Passio Christi fuit perfecta. 151. *satisfactoria tam pro omni pœna quàm culpa.* 155
Passiones fidelium, vide Afflictiones.
Patefactio Christi triplex. 343
Patris nomen clementiam spondet. 451
PATER *nominatus non excludit reliquas Trinitatis personas.* 28. 111. *Pater est* DEVS *Christi quà homo.* 28. *Deus Pater est* PATER *Christi, & quà Deus, & quà Homo.* 28. 29. *Pater non est prior Filio quà Deus.* 29. 99. *Pater est specialiter invisibilis.* 97. *Est primus author reconciliationis nostræ.* 127. *quare dicamur reconciliati Patri.* 129
Paterfamilias debet in religione instituere familiam. 521
Patientia, ὑπομονὴ, *quid sit.* 74. *quomodo differat à fortitudine.* ibid. *quomodo à mansuetudine.* 397. *multiplex ejus necessitas.* 74. *ejus multiplex utilitas.* 75. *motiva ad patientiam.* 397. *patientia Ministris maximè necessaria.* 185
Patientia Christi. 402. 403
Patres sub veteri Testamento salvabantur per Christum. 89. 90. 112. 379. *intuebantur Christum per fidem in cæremoniis.* 293. *non fuerunt in Limbo.* 279. 280

Patria communis vinculum charitatis mutuæ. 513.
Paula abstinentia. 323
Paulus unde sic dictus variæ opiniones. 2. *eius* προσωπογραφία, *vita, & laudes, ex quibus Authoribus petenda.* 2. *habuit omnia ad Apostolatum requisita.* 2. 3. *fuit Apostolus Gentium.* 164. *quare toties Apostolatus sui mentionem fecerit.* 3. *eius labores.* 184. *certamina.* 192. 193. *cur Timotheum sibi associaverit.* 4
Pauperibus dandum. 395

Pax.

Pax Hebræis significat prosperum rerum statum, Apostolis spiritualem etiam prosperitatem complectitur. 14. *Pax duplex, interna & externa.* 408. *utraque à Deo.* ibid. *Pax triplex; interna, fraterna, & externa.* 14. *sit sincera.* 408. *motiva ad pacem.* 409. *Pax & gratia quare conjungantur.* 13. *Pax sequitur gratiam, atque ab ea oritur.* 15

Peccatum.

Peccata omnia fugienda. 69. 71. 72. 257. 271. 370. *Peccata provocant Deum ad pœnas infligendas.* 362. *Peccatum dulce venenum.* 267. *Peccata sunt catenæ Diaboli.* 281. *Peccati gravitas patet ex pretii magnitudine.* 89. 269. *Peccati corpus.* 256. *ejus corporis membra.* 349. *vocantur membra ejus ob tres causas.* 349. 350. *quomodo peccatum sit mortuum in renatis.* 336. 337. *peccatum originale non est mera carentia originalis justitiæ.* 267. 268. 351. *quomodo inficiat totum hominem.* 265. 266. *primi motus concupiscentiæ sunt peccata.* 359. *Peccata carnalia, spiritualia, & media.* 360. *Peccata derelicta intueri juvat.* 367
Peccatores sunt alieni à Deo, & ejus hostes. 135. 136. 137. *sunt mortui.* 264. 265. *sunt homicidæ.* 267
Pentecoste quare instituebatur, & quid significet. 292
Perfectio seu plenitudo gratiæ quid. 124. *quotuplex.* 125. *perfectio viæ & patriæ.* 60. 183. 515. *perfectio partium & graduum.* 183. *perfectio graduum hîc in nobis non consummatur.* ibid. *perfectio operum hîc non datur.* 79. *perfectionis status non alligatur Monachismo.* 184. 449
Peregrinis favemus magis quàm nostris. 505. 513
Perseverantia coronat. 12. 51. 145. 515.
Persona quid. 244. *persona Christi una.* 242. 243. 244. 245. *quo sensu dicatur composita.* 243. *una persona Trinitatis nominata non excludit alteram.* 28. 111
Personarum acceptio, vide Acceptio personarum.

Philosophia.

Philosophia vera quæ. 224. *est necessaria Theologo.* 225. *ejus multiplex usus in Theologia.* 228. 229. 230. *etiam ad ornatum.* 231. *non est contra, sed infra Theologiam.* 228. *Philosophiæ multiplex abusus in Theologia.* 227. 228. *Non consulenda in rebus fidei.* 226. 227. 303. 304. *Philosophia parit hæreses.* 169. 228
Φρονεῖν *quid significet.* 329
Πληροφορία *quid significet, & unde habeatur.* 201
Pœna certò sequitur peccatum. 362. 363. *quare puniantur peccatores.* 364. *pœnæ temporales sunt ad emendationem.* 363. 364. *Pœna ordinat peccatum.* 364. *Pœna remittitur cum culpa.* 154. 159.
Pœnitentia nostra est opus Dei. 367. *Pœnitentiæ exercitia externa, vide Mortificationis exercitia.*
Prædicatio Verbi quomodo sit instrumentum generandæ fidei. 45. *Prædicabatur Evangelium per totum mundum, & quomodo.* 48. *quomodo Ministri debeant Verbum prædicare.* 485. 486. 487. 489
Præputii variæ significationes. 265
Præsentia Dei triplex. 241. *Præsens spiritu quid.* 212. 213
Preces arma Sacerdotis. 514. *Vide Oratio.*
Primogenitus omnis creaturæ Christus, & quo sensu. 98. 99. *primogenitus ex mortuis idem.* 119. 120
Procrastinandum non est. 51
Proficere semper debemus in gratia. 61
Proficientes magis amandi & incitandi à Ministris. 58
Proprietates divinæ naturæ non communicantur humanæ. 208. 209
Προσκαρτερεῖν *quid significet.* 470
Proximus quis, & quomodo sit objectum charitatis. 38
Prudentia divina in sermone instar salis. 495
Psalmi, hymni, & cantica, quomodo differant. 417. 418. *quales cantandi à Christianis* 418
Pubertatis anni qui. 441
Pueri quomodo educandi. 449. 450

Quadragesimale jejunium malè observatur à Pontificiis. 285.286

Quærendi vocabulum quid significet. 329

Quærere superna quid sit. 330. *quærere terrestria quid.* ibid.

Raritas commendat bonos. 504

Ratio naturalis non assequitur res fidei, vide Philosophia.

Reconciliare quid sit. 126. *reconciliatio duplex.* 139. *reconciliationis nostra author primus Deus, proximus Christus.* 127. *reconciliatio nostrum facta est totì Trinitati, sed tribuitur Patri ob duas causas.* 128. 129. *solus Christus debuit & potuit nos reconciliare.* 131. *quomodo Christus reconciliaverit nos sibimet.* 129. *reconciliatio per mortem fuit convenientissima ob multas rationes.* 131. 132. *item per mortem crucis.* 132. *quomodo Angeli dici possint Deo reconciliati.* 134. 250. 251. *quomodo tota creatura.* 134

Redimendi quatuor modi. 91. *Redemptor debuit esse Deus & homo.* 88. 89. *omnes redimuntur* per Christum, *soli Electi* in Christo. 89. *solus Christus nos redemit.* 93. *quomodo nos redemerit.* 91. 93. *redempti quales erant, & quales sunt.* 84

Redemptio nostra in hac vita non est plena, & quare. 90. *de redemptione non cogitandum sine gratitudine.* 77

Regeneratio necessariò præcedit resurrectionem. 121. *præcedit gloriam.* 344

Regnum cœli quid significet, & quotuplex. 86. 87. 311. *Regnum cœlorum semper meditandum & quærendum.* 330. *Vide* Beatitudo

Religio quid sit. 299. *Religio Christiana non evertit politias.* 455

Remissio peccatorum quid sit. 269. *est gratuita.* ibid. *est universalis, scilicet omnium peccatorum aut nullorum.* 270. *Articulus de remissione peccatorum quomodo intelligendus.* 24. *Remittere peccata est Dei proprium, quo sensu.* 270. *Ministri remittunt, quo sensu.* ibid.

Remissâ culpâ remittitur pœna. 154. 159. *fideles sunt certi de remissione peccatorum.* 18

Renatorum peccata odit Deus, non ipsos. 67

Resurrectionis primitus Christus. 120. *Pater suscitavit Christum, & tamen ipse se suscitavit.* 263. *Christus est author resurrectionis nostra tripliciter.* 120. 121. 260. *tum spiritualis, tum corporalis.* ibid. *Eâdem omnipotentiâ Christus resurrexit à mortuis, & nos à peccato suscitavit.* 262. *Resurrectio Christi ostendenda in vita nostra.* 261. *Resurrectio nostra duplex, utraq; fit à Christo.* 331. 332. *Resurrectio nostra spiritualis debet imitari Christum.* 332. *fit in nobis virtute resurrectionis Christi.* ibid. *Resurrectio fiducia Christianorum.* 345

Robur spirituale quid efficiat. 70

Sabbatum quare institutum, & quid significet. 292

Sacramenta sine Christo nihil valent. 255. *Sacramenta sunt exhibitiva gratia, sed non nisi fidelibus.* 11. 261. 262. *In ipsis signis nulla est gratia, nec in opere operato.* 255. 262. *Non tamen contemnenda externa signa.* 255

Sales sermonis triplices; virulentia, urbanitatis, & prudentia. 495

Salutis author Deus, prædestinando & efficaciter vocando. 78. *salutem nobis dare Deus solus debuit & potuit.* 83

Salutatio quid sit. 506. *salutationis formula.* ibid. *salutationes quàm necessaria.* 507. *quo sensu prohibeantur.* ibid. *salutatio Pauli.* 525. *salutatio Hebræorum* Pax tibi. 13. *salutatio Apostolorum* Gratia & Pax. ibid.

Sanctificatio comes justificationis. 269. 369. 391. *fit gradatim in hac vita.* 342. 393

Sanctitas quid. 10. *sanctitas duplex.* 141. *sanctitas triplex; actualis, habitualis, & imputata.* 142. *omnis sanctitas à Christo.* ibid. 247. *sanctitas nostra inhærens est imperfecta, sed vera.* 141. 142. *sanctitas vitæ adjungenda veritati fidei.* 218. *sine sanctitate nemo erit beatus.* 344. *sanctitas auget scientiam.* 70

Sanctorum nomine Baptizati intelliguntur, & quare. 10. *Sanctorum infirmitas variis similitudinibus illustrata.* 71. *adjuvatur à Deo.* 72. *eorum opera non sunt perfectè bona.* 79. 517. *nulla eorum opera sunt supererogatoria.* 155

Sancti non sunt adorandi. 289

Sapientia quid sit, & quomodo differat ab intelligentia. 62. 63. *unde habeatur.* 63. 64

Sapientia spectat res credendas, scientia res agendas. 205.

Satisfactio pro peccatis nostris fit à solo Christo. 159. 160. 271. *eò Pontificii ipsi confugiunt suas consulentes conscientias.* 198

nos non possimus satisfacere, nec agendo, nec patiendo. 269
Scenopegia, vide Tabernaculorum festum.
Scientia in Christo quotuplex. 207. *quanta sit* ibid. *non est infinita.* 207.208
Scientia & virtus jungantur oportet in Christiano. 69. 70. *scientiam auget virtus.* 70 *scientia humanarum literarum non commendat nos Christo.* 387
Scriptura apud fideles sunt αὐτόπιστοι. 4. *non nituntur testimonio Ecclesiæ.* 203. *sola Scriptura sunt regula fidei.* 147.148.149.246. 297.486.487. *sunt perspicuæ.* 170. *sunt eloquentes.* 190. *sunt sermo Christi duplicitèr.* 412
Scripturarũ efficacia in mutandis moribus. 49
Scriptura diligenter legenda. 147.202.413. *etiam à Laicis.* 64. 147. 220. 414. 415. 497. *Scriptura in primitiva Ecclesia publicè legebantur, idq; in lingua à populo intellecta.* 522. *sunt instar pharmacopolii, in quo nihil otiosum aut inutile.* 498
Scriptura ab Hermano impiè conferuntur Æsopi fabulis. 203
Scholastici Doctores pro fidei articulis obtrudunt discursus caca rationis. 169. 204
Scurrilitas fugienda. 377
Scytha Barbarorum immanissimi. 387
Seductores duplices. 210. *ex malitia.* ibid. *ex insciitia.* 211
Sermo Christianorum qualis esse debeat. 421. 495.
Servator noster debuit esse Deus. 238. *& homo* 239.
Servitus non distinguit homines apud Deum. 387. 388. *Servitus fortunæ, non naturæ discrimen.* 466
Servorum qualis olim conditio. 454. *Servo quatuor necessaria.* 465. 466. *Servi debent obedire dominis.* 454. *debent ex animo servire.* 457. *Christo enim serviunt.* 458. 461. *cui serviendum fideliter ut Domino.* 17
Servus ad oculum quid. 455. *servus desidiosus vel contumax in terrenum dominum, punietur à supremo Domino.* 463
Servire Deo facilius quàm homini. 467
Sessio ad dextram Patris quid. 73. 333. 334
Societas nulla habenda cum impiis vel hæreticis. 492
Solidum quid significet. 215. *solida fides quid.* ibid.
Sophia quid significet. 317
Sors Sanctorum quid significet. 81. *eadem sors omnium Sanctorum.* 82. *non est communis cum impiis* ibid.
Spes humana & divina. 26. *Spes includit non tantùm jucundam expectationem voluntatis, sed & indubitatam persuasionem intellectus.* 26. *spei infusæ eadem est certitudo ac fidei.* ibid. *Beatitudo quare dicatur spes nostra.* 40.41.
Spiritus sanctus est instar Thesaurarii. 10. *quare non dicatur imago.* 95. *unit nos Christo, & inter nos.* 36. 37
Spirituale robur quid efficiat. 70.
Spiritualia semper meditanda. 329. 330. *sunt præoptanda.* 15. *præsertim à Ministris.* 54. *quousque naturaliter cognosci possint.* 226. 227.
Spiritu præsens quid significet. 212. 213
Stephanus quomodo plenus gratiâ. 125
Stuprum quomodo differat ab adulterio & fornicatione. 352
Subjectio quid sit. 426. *quàm utilis.* ibid. *subjectio uxoris erga virum in quibus consistat.* 427
Successio localis nihil valet sine successione doctrinæ. 9. 10
Suffitus cultus soli Deo debitus. 302. *tribuitur Angelis & Sanctis à Papistis.* ibid.
Συλαγωγεῖν quid significet. 223
Superbia vitanda. 396. *superbia uxorum.* 429
Superna quæ dicantur. 329
Superstitiosæ observationes. 231.232
Simon Cyrenæus non passus est in specie Christi. 141.

Tabernaculorum festum quare institutum, & quid significet. 292.
Τάξις quid significet. 214
Templum debetur soli Deo. 302. *Papistæ dedicant templa cultui Angelorum & Sanctorum.* ibid.
Tenebræ significant statum naturæ corruptæ, & quare. 84. 85. *quomodo nos indè eripiamur.* 85. 86
Terrena quæ dicantur. 330, *sunt caduca.* 402. *sunt vana.* 331. *contrariantur cœlestibus.* 331. *non quærenda.* 330. 331. 343. 344. 345. *sed utenda.* 331. *non sunt quærenda duas ob causas.* ibid.
Testamentum vetus est novum velatum; novum vetus revelatum. 293

Theologia non contra sed supra Philosophiam. 228.
Theologus utitur philosophiâ multipliciter. 228. 229. 230.
Θρησκία *quid sit.* 299
Timor Dei optima actionum regula. 456
Timotheus qualis, & quare à Paulo dictus frater. 4. *circumcisus à Paulo.* 235
Tolerantia, vide Patientia. Motiva ad tolerantiam injuriarum. 399
Traditiones non sunt necessariæ. 146. 181. 197. *in rebus externis quatenus possint observari, & quatenus non.* 232. 233. *Traditiones rejicienda, vide* Fides regula fidei. *Traditiones humanæ non sunt partes cultus Dei.* 315. 316. *habent speciem sapientiæ, & quomodo.* 318
Trinitatis opera ad extrà sunt indivisa. 28. 240
Triumphi descriptio. 277. *Christi triumphus in Dæmonas.* 278. *Christus triumphavit in cruce.* 281
Tychicus primus Episcopus Chalcedonensis. 498

VBiquitas non competit humanitati Christi. 245. 334
Verba nostra regulanda. 421. 494. *sint gratiâ condita.* 495
Verbum Dei, vide Scriptura. Quomodo Verbum prædicatum sit instrumentum generandæ fidei. 45
Veritatis sermo pro Evangelio. 45. 46
Vigiliæ publicæ Festorum quales olim, qua occasione institutæ. 475. *earum abusus.* 476. *meritò jam cessârunt.* 476. *vigiliæ privatæ laudabiles.* 476. *vigiliæ mentis quæ.* 476. *motiva ad eas.* 477. *vigilantium exempla.* 322. 323. *Vigiliarum cæterorúmq; externorum exercitiorum usus & abusus qualis.* 323. 324. 325.
Vindicta quatenus Christiano licita & illicita. 401. *Vindicta per duellum non est licita.* 403
Virtus & scientia invicem sè promovent. 69. 70 *jungantur oportet in Christiano.* ibid.
Virtus vesti similis. 392. *& eidem dissimilis.* 393
Vita gratiæ & gloriæ est vera vita, non vita corporalis aut carnalis. 339. *vita gratiæ est ætas infantilis gloriæ.* 339. *vita naturalis tendit ad mortem, spiritualis ad æternitatem.* 339
Vita Sanctorum quomodo abscondita. 339. 340 *quomodo cum Christo in Deo.* 340. 341. *Christus vita nostra, quo sensu.* 342. *quot rationibus possit dici author vitæ æternæ.* ibid. *vita æterna in quibus consistat.* 343
Vivere peccato quid. 339. 366
Vivificatio impii est opus omnipotentiæ, ergo fit à solo Deo. 268. *est duplex.* ibid.
Vitium, vide Peccatum. Vitia sunt contagiosa. 492
Unio personalis in Christo qualis. 242. 243. 244. 245. *non ponit ubiquitatem humanitatis.* 145. *Unio mystica fit per fidem & Spiritum.* 248
Vocabulum sine re nihil valet. 6. 11. 51. 260. 269. 504. *in vocabulis non tam spectanda origo, quàm usus.* 2
Vocatio Christiana requirit sanctos mores. 209 369. *vocatio efficax solorum electorum.* 78. *Vocatio Ministrorum triplex.* 148
Voluntas Dei cognoscenda & facienda. 515. *Voluntas Dei practica & approbans.* 173. *beneplaciti & signi.* 182
Voluntas humana naturaliter prava. 138. 266
Votum quid. 301. *soli Deo nuncupandum.* ib. *Pontificii nuncupant Angelis & Sanctis.* ib.
Uxor qualis eligenda. 433. *non propter divitias aut pulchritudinem eligenda.* ibid. *Uxoris subjectio in quibus consistat.* 426. 427. *quare debeat se subjicere marito.* 427. 428. *quænam ejus subjectionis impedimenta.* 428 *debet amare virum & quomodo.* 429. *Uxoris officia in familia.* 427. *non debet esse superba.* 428. *non debet res vanas affectare.* 429. *uxoris ornamenta quæ sint optima.* ibid. *non est verberanda.* 426. *Ælii Veri opinio, quòd uxor sit uxorum dignitatis non voluptatis, rejicienda.* 431

ZElus unde dictus. 516. *Zelo adjungenda discretio.* 211
Zelus in orando, vide Orationis vehementia.

Index Quæstionum in expositione primi Capitis obiter & breviter decisarum.

AN Papa Romanus habeat dignitatem & authoritatem Apostolicam. 5. &c.
An fideles certò statuere possint se esse in gratia apud Deum, & peccata esse sibi remissa propter Christum in quem crediderunt. 17. &c.
An Christus sit adæquatum objectum fidei quâ justificat. 31. &c.
An charitas nostra sit ipse Deus. 33. 34
An vera fides possit esse sine charitate. 34. &c.
An charitas sit ità conjuncta fidei, ut sit ejus forma. 35. &c.
An liceat bona opera facere intuitu mercedis. 42. &c.
An Evangelium fuerit prædicatum per totum mundum. 48. &c.
An in omni opere bono necessaria sit actualis intentio placendi Deo. 66
An renatus possit habitualem intentionem placendi Deo in omnibus semper retinere. 67
An fidelis sit semper acceptus Deo non obstantibus delictis. 67
An fideles sub veteri Testamento salvarentur per Christum. 89
An Angeli creati fuerint ante mundum visibilem conditum. 105. 106
An Deus conservet singulas creaturas. 107.
An Christus sit Caput Ecclesiæ secundum utramq; naturam. 113. 114
An soli sanctificati sint membra ejus Ecclesiæ cujus Caput est Christus. 117. 118. & 119.
An remissâ culpâ non simul remittatur omnis pœna satisfactoria. 154. 159
An dentur in Sanctis opera vel passiones supererogatoriæ. 155
An merita unius Sancti possint imputari alteri in relaxationem pœnæ. 155
An Speciet ad Papam thesaurum Ecclesiæ per suas indulgentias dispensare. 156. &c.
An Scripturæ sint perspicuæ. 170

In expositione Capitis II.

AN humana Christi natura sit omniscia. 206
An quis sit usus Philosophiæ & quatenus in Theologia. 224. &c. ad pag. 231
An & quomodo Legales cæremoniæ per Christum sint abrogatæ. 234. &c.
An humana natura Christi subsistat in persona Verbi. 242. 243. 244. 245
An Christus sit Servator Angelorum. 250. 251
An & quomodo Angeli promoveant spiritualem salutem Electorum. 251. 252
An Infantes sint baptizandi. 263. 264
An peccatum originale sit mera carentia originalis justitiæ. 267. 268. 351
An detur Limbus Patrum. 279. 280
An Christiani Magistratus possint leges condere de abstinentia ciborum, & quatenus observandæ. 286
An Christiani possint dies festos celebrare, & quatenus. 288. 289. 290
An cultus omnis religiosus debeatur soli Deo. 299. 300.
An Pontificii tribuant cultum latriæ Angelis & Sanctis. 301. 302
An illud solum sit ex necessariis ad cultum Dei quod ab ipso præscribitur. 315. 316
An cæca obedientia sit Deo accepta. 321
An & quomodo externa exercitia mortificationis sint adhibenda. 324. 325

In expositione Capitis III.

AN ex sessione Christi ad dextram Dei inferatur humanitatis majestas & ubiquitas. 333. 334
An mortificatio sui sit in hominis potestate. 347. 348. 393
An peccato mortui excitari debeant ut se mortificent. 348. 349
An simplex fornicatio sit peccatum mortale. 353. 354. 355.
An Lupanaria tolerari possint in Republica Christiana. 356. 357
An primi motus sint peccata. 359
An & quomodo Deus irascatur Electis peccantibus. 365

An omnis ira sit mala. 372
An aliquod mendacium sit licitum. 389
An aequivocatio sit mendacium. 379. 380
An non liceat Christiano illatam injuriam vindicare. 400. 401
An duello propulsare injuriam sit licitum. 403
An charitas impleat Legem. 406
An Scripturæ sint à Laicis communiter legendæ. 414. 415
An Christianus teneatur in qualibet actione adjutorium Christi expresiè implorare. 423
An liceat marito verberibus castigare uxorem. 436.
An filii conjugati, vel ad Ecclesiæ aut Reipublicæ administrationem vocati, teneantur adhuc obedire parentibus, & quatenus. 439
An filii invitis Parentibus possint se astringere ad vitam Monasticam. 441. &c.

In expositione Capitis IIII.

AN orandum sit linguâ ignotâ. 473. 474.
An sola Scriptura sit regula fidei. 486. 487.

Index locorum Scripturæ obiter explicatorum.

	Cap.	Vers.		Pagina.
GEN.	2.	2.	QUievit Deus ab omni opere.	108
	2.	24.	Idcirco relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.	439
EXOD.	12.	14.	Celebrabitis eum solennem Domino in æternum.	287
	31.	17.	Pactum est sempiternum inter me & filios Israel, signúmq; perpetuum.	ibid.
LEVIT.	23.	21.	Legitimum & sempiternum præceptum erit in generationibus vestris.	287
2. REG.	4.	29.	Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi.	507
PROV.	20.	9.	Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato?	20
	28.	14.	Beatus homo qui semper pavidus.	22
ECCLES.	9.	1.	Nescit homo utrùm amore vel odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.	20
IEREM.	9.	25.	Ecce dies venient, quando visitabo omnem circumcisum in præputio.	265
OSEAE.	1.	2.	Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum &c.	354. 355
IOEL.	2.	12.	Convertimini ad me ex toto corde vestro.	21. 22
	2.	14.	Quis scit si convertatur, & ignoscat Deus.	ibid.
ECCLES.	5.	5.	De propitiato peccato noli esse sine metu, &c.	20
MATTH.	3.	8.	Facite fructus dignos pœnitentiâ.	65
	5.	39.	Si quis te percusserit in dexteram tuam maxillam, obverte illi & alteram.	400 401
	15.	17.	Nondum intelligitis quòd quicquid in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum ejicitur?	314
	16.	19.	Quodcunque solveris super terram erit solutum in cœlis.	158
LUC.	1.	28.	Maria gratiâ plena.	125
	10.	4.	Neminem in via salutate.	507
	18.	1.	Oportet semper orare & non deficere.	59
IOAN.	3.	36.	Qui non obtemperat Filio, ira Dei manet super eum.	137

Act.	7.	55.	*Stephanus plenus Spiritu sancto.*	125
	8.	22.	*Pœnitentiam age, si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui.*	21.22
	15.	20.	*Abstineant à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.*	354
Rom.	1.	19.	*Id quod de Deo cognosci potest manifestum est in illis, &c.*	226
	5.	20.	*Lex subintravit ut abundaret peccatum.*	221
	15.	2.	*Unusquisque nostrûm proximo placeat.*	66
1. Cor.	4.	8.	*Saturati estis, divites estis, regnatis sine nobis.*	221
	12.	21.	*Non potest caput dicere pedibus, Non estis mihi necessarii.*	81
2. Cor.	2.	10.	*Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.*	158
Gal.	1.	10.	*Si hominibus placerem Christi servus non essem.*	66
Ephes.	4.	1.	*Precor ut ambuletis dignè vocatione &c.*	65
Phil.	1.	27.	*Dignè Evangelio Christi conversamini.*	65
	2.	12.	*Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*	22
	3.	18.	*Multi ambulant quos sæpe dixi vobis, nunc autem & flens dico, hostes esse crucis Christi.*	282
1. Thes.	2.	12.	*Testificati sumus ut ambuletis dignè Deo.*	65
	5.	17.	*Sine intermissione orate.*	59
1. Tim.	2.	4.	*Deus vult omnes homines salvos fieri.*	182
1. Ioan.	4.	8.	*Deus est charitas.*	34
Apoc.	22.	13.	*Ego sum primus & novissimus.*	99

ERRATA.

Pag.	7	lin. 33	pro *præstabit*	lege	*præscribit.*
	63	44	*Aristole*		*Aristotele.*
	166	28	*aliquanndo*		*aliquando.*
	295	18	*Iterpretibus*		*Interpretibus.*
	315	45	*et*		*ut.*
	332	37	*pecato*		*peccato.*
	441	8	*Monasticham*		*Monasticam.*
	444	20	*percalcato perge patro*		*per calcatum perge patrem.*

FINIS.